UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2404.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fratrum Capucinorum
Paderbornensium

Jesus Maria Franciscus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Angelus Rocca Augustinianus in
suo Commentario de Canonizatio
ne scribit quod primi sex qui ritu
solenni a summis Pontificibus sunt
Canonizati, fuerunt Natione
Germani. primus fuit S. Swiberto
Episcopus Wertinensis. a Leone 3.
Anno 804. secundo S. Vdalricus
Episcopus Augustanus. a Joanne
papa 15mo. anno 993. Tertius
S. Simeon Monachus Benedictinus
Trevirensis. a Benedicto Nono
anno 1035. quartus. S. Wolfgangus
Episcopus Ratisbonensis a Leone
9. Anno 1049. quintus. S. Ber=
wardus Episcopus Hildesiensis
Anno 1050. a Leone 9. sextus
S. Norbertus Archi=Episcopus
Magdeburgensis ab Innocentio
secundo anno 1116.

VITAE,

Ad vsum ff. siue Capucinorum paderborn.

RES GESTAE SANCTORVM;

STVDIO ET OPERA F. ZACHARIAE LIPPELOO, Carthusiæ Col. alumni collectę: & nunc recens recognitæ, ac vitarum aliquot accessione locupletatæ per Fr. CORNELIVM GRASIVM, eiusdem Carthusiæ professum.

TOMVS QVARTVS:

ADIECIMVS HISTORIAM SS. VRSVLAE, ET Sociarum Virginum, cum annotationibus, in quibus veritas eiusdem inuestigatur.

PER R. D. HERMANNVM FLEIEN, S. THEOlogiæ Doctorem, S Cuniberti Decanum, Sanctarumq; Virginum Coloniæ Canonicum.

COLONIAE AGRIPPINAE:
Sumptibus BERNARDI GVALTHERII.
Anno M. DCIII.
Cum gratia & priuileg. Sac. Cæsar. Maiest.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIO.

QVARTVM hunc Tomum, quem de vita, siue rebus gestis Sanctorum, ex probatis Scriptoribus, F. Zacharias Lippeloo Carthusianus Coloniensis breui compendio collegit: & nũc recens F. Cornelius Grazius, eiusdem Carthusiæ professus, magno studio recognouit: ex speciali commissione legi, & magno cum pietatis fructu in lucem mitti posse iudicaui.

Tilmannus Vosmerus
S. Theol. Licent.

Annumeror Bibliothecæ Fratrũ Capucinorum Paderbornæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PLVRIMVM REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. BRVNONI D'AFFINGVERES, MAIORIS

Carthusiæ Priori dignissimo, totiusque S. Ordinis Carthusiensis supremo moderatori vigilantissimo prudentissimoque: cum debita obedientia,

S. D. P.

SVmmus ac sapientissimus ille omnium (vt ita loquar) entium Conditor, DEVS OPTIM. MAX. Reuerende admodū in eodem Pater, priusquam vllas formaret creaturas, nullius rei indigus, totius bonitatis ac plenariæ consummationis abundantiā, omnis excellentiæ supereminentiam, cunctorum denique existentium modum perfectissimè in se complectebatur.

Cum autem boni proprietas hæc sit, vt sese alijs benignè impertiatur, Orbem hunc terrarum diuersas rerum species continentem, in quibus ipse mundi fabricæ opifex, Diuinæ Maiestatis suæ virtutes gloriosè manifestaret, creare voluit. Et primùm quidem Cælos fecit; in quibus duo luminaria magna, Solem quippè in potestatem diei, Lunam verò & stellas in *Psal. 135.* potestatem noctis admiranda sanè imposuit harmonia. Angelicos quoq; spiritus tribus Hierarchijs diuisos, ac nouem Ordinibus egregiè discretos produxit; in quibus sanè ineffabilis ac immensæ bonitatis suæ specimen exhibuit; dum eos oēs esse voluerit ad ministratores Spiritus: in ministerium eorum qui *Hebr. 1.* hæreditatem capient salutis. Quatuor insuper creauit elementa; ignem nimirùm, aërem, pontum & aridam; in quibus animantia quæque; Hominem quoque; solùm quidem ad imaginem & similitudinem suam formatum instituit. Porrò ne plasma suum ali-

monijs destitutum inedia interiret, omnigenos aquis pisces, omnigena terris animalia, vberrimos arboribus fructus, virentia agris olera & campis gramina producere mandauit. Eoque modo factum est, vt mundus hîc ita ex amussim & præclarè concinnatus sit: vt congruentius haud potuerit.

Proindè creaturas omnes, specialiter vtique rationales, ad Conditoris sui agnitionem, cultum, amorem & timorem summo iure obligari exploratissimum est; quinimò & ad eiusdem in humanum genus bonitatis infinitæ pro viribus, æmulationem. Quò dona quippè spiritalia & corporalia, quæ gratis desursùm à patre luminum accepêre: gratis quoque ac gnauiter alijs communicent; ne in tremendo illo examine, cum seruo nequam & inerti, ob talentum in terra absconsum, ob bonas horas malè collocatas tenebris adiudicentur sempiternis. Multam vtique malitiam docuit otiositas. Sed enim sicuti per rimã sentinæ aqua latenter intrat, & excrescit, donec nauis per nautarum incuriam demergitur, ita ex otio atq; inertia cogitationes prauæ & concupiscentiæ malæ augentur, donec nauis mentis eis succumbẽs multiplici peccato periclitetur. Porrò quemadmodum oues in pascua dimissæ, minimè apud pastorem suum gloriantur vespere, multo se pastas gramine, sed lac ei affatim, velluseque præbent, ita nec quisquam prudens prædicârit quantum didicerit: verùm quid didicerit afferet in medium.

Iacob. 1.

Matth. 25.

Eccl. 33.

Simile.

Aliud.

Et ego quidem memoratis potissimùm rationibus permotus, laborem istum, cui 4. hoc Tomo supremam (immortales Deo gratiæ) iam manum impono, suscepi; non autem gloriolæ captandæ studio, vel vt mihi nomen indè parem; cum nihil eo semper duxerim ingenuo & religioso homine indignius, nihil turpius: animique magis angusti & parui. Quid enim? cum indies penè ipsa edoceamur experientia, homines quod inpræsentiarũ laudauerint, post modicum vituperare, inuidere & carpere; etsi hoc minimè fecerint, nihil tamen illi penitùs prodesse: quem

laudant. Nouimus vt in scena sibi personas imponãt histriones; quã præclaras, quã honestas: quàm ad extremam, quàm ad exactissimã formæ diligentiã effectas. Attamen nemo prouidus eas aliquãdo adamãrit. Quare? Quoniã huiusmodi adspectus non est verus. Inanes etenim cùm sint, imitãtur solùm decorẽ: verùm nullꝰ ibi solidus decor; Soluto namq; theatro, sublatisq; personis: vnusquisq; quod est, id quoq; videtur. Ita sanè & gloria inanis est; imitatur quidem gloriã: at vera gloria non est. Optimè igitur commonet Tullius, *Si* (inquiens) *quis ad gloriam assequendam laborat, talem se efficiat, qualis vult haberi. Quod si ostentatione inani, & ficto sermone vel vultu, stabilem se gloriam assequi opinatur, vehementer errat. Vera enim gloria radices agit; ficta aũt omnia celeriter tanquam flosculi decidunt: neq; simulatum quicquã potest esse diuturnũ.* Quo circà inter verba laudantium siuè vituperantium ad interiora iugiter recurrendũ est; & si ibidem non inuenitur bonũ quod de nobis dicitur: summoperè cõtristari debemus; & rursum, si inibi non reperitur malũ quod de nobis spargunt homines: in Domino plurimum gloriari. Quid enim, si non oẽs laudant, & cõscientia liberos nos demonstret? Habemus vas electionis, gentiumq; doctorẽ dicentem: *Gloria nostra hæc est: testimonium conscientiæ nostræ. Sicut autem in conspectu hominum gratiosa est facies venusta: Sic in oculis Dei speciosa est conscientia munda.*

Ex hom. 17. Chrysost. ad Rom.

Teste Greg. Pap. lib. 18. moral. c. 3.

2. Cor. 1. Chrys. hom. 6 oper. imperf.

Qui verò externa bona materiam insolescendi sibi faciant, voluntq; ob ea dũtaxat coli, & plus alijs æstimari, perindè faciunt, ac si asellus aureis phaleris ornatus, generoso equo præferri ob ea ornamenta vellet. Haud aduertẽtes miseri, non solũ hæc cum brutis ac ratione carentibus animalibus sibi esse cõmunia: verùm etiã homines ijsdẽ ꝓsæpè ab illis superari. Sed .n. gloriatur quis de magna corporis mole? quãta est quæso, si cũ elephãtis mole cõparetur? De fortitudine & audacia? à leone lõgo interuallo separatur. Fortissimus siquidem bestiarum; ad nullius pauet occursum.

Teste Isodo. orat. de Humil. tom. 1.

Prou. 30.

ſum. De cantu & vocis modulatione? opponuntur Cygnus, Luſcinia, & plurimæ aliæ vocales aues. De multiplici arte? quid in hac re apibus eſt præſtantius? quarum opera quis pictor, quis geometra poſſit imitari? De acuto viſu? nonnè caprea & aquila acutiori præditæ? Turpe igitur (vt ſummatim perſtringam) homini in ijs gloriari: in quibus à volatilibus cæli & beſtijs terræ longè ſuperari conuincitur. Quamobrē mediū tenere præclarè admodùm docet D. Hieron. Epiſt ad Euſtoch. *Nec ſatis religioſa velis videri* (aiens) *nec plus humilis quàm neceſſe eſt; negligentiam fugiendo quæras: plures enim in hoc ipſo cupiunt placere: quod placere contemnunt. Et mirum in modum latus dum vitatur: appetitur.*

Ea propter quid in recognitione, expurgatione, ac locupletatione Quarti huius Tomi ac precedentium præſtitum ſit: candidi Lectoris iudicio æſtimandum relinquo; vt qui opellæ noſtræ buccinatores eſſe nolimus.

Ceterùm cum certò proſpicerem huic volumini ex celeberrimi nominis veſtri inſcriptione multum vtique decoris & ornamenti acceſſurum: idipſum R. P. V. nuncupare omninò viſum fuit; quò & tanti Patris ſuffultum patrocinio, liberius in publicū prodeat: atque potenti eius virtute à Sycophantarum calumnijs obtrectationibusque egregiè vindicetur. Quod autem ad hunc vſque diem huiuſmodi mei officij exhibitio dilata ſit, id vtique haud negligenti inconſideratione, verùm prouida procraſtinatione actum: vt opportuniore quippè factam tempore, eam gratiorem ſuſciperes. Sermo ſiquidem opportunus (vt ſacris edocemur Prouerbijs) eſt optimus: & vt mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo. Sed enim expectaui vt exoptato occurrerem in via hac, primò quidem diuiniſſimis illis Nobiliſſimæ Frācorum gentis ac ſacratiſſimis Apoſtolis, Dionyſio martyre ac Rhemigio Antiſtite; eorumque ſucceſſoribus ſanctiſſimis ac præſtantiſſimis

Prouerb. 15. & 23.

Galli-

Gallicanæ Ecclesiæ Præsulibus, Marcellino, inquam, Nicasio, Gatiano, Martino, Eucherio, alijsque complurimis hoc volumine contentis; quorum indefesso studio (vt ex eorum rebus præclarè gestis videre est) illustrissimum illud Francicum siuè Gallicanum Regnũ sacrosanctis Christianæ fidei mysterijs plenariè imbutum & excultum est. Deindè S. Ordinis nostri fulgidissimo sydere B. Hugone Lincolniensi posteà Pontifice. Demùm verò & potissimùm, ipso Almæ Domûs Vestræ, atque adeò Instituti nostri S. Initiatore ac fundatore D. BRVNONE: cuius vti & nomen, ita & officium tenes. Ex quo sanè, tanquã primaria radice, tot meritorum vtique ac virtutum insignes, eiusdem sublimis propositi spirituales Oliuæ, succedentibus temporibus, per totum penè Orbẽ Christianum prodiere; Cuius Cęlestis disciplinæ Domicilijs adeò etiamnùm is nobilitatur, exornatur, decoratur, vt haud immeritò de ijsdem occinat quisque illud propheticum; *Quam pulchra tabernacula tua Iacob & tentoria tua Israel? vt valles nemorosæ; vt horti iuxtà fluuios irrigui; vt tabernacula quæ fixit Dominus: quasi cedri propè aquas.* Accedit & numeri haud incongruens conuenientia. *Num. 24.*

Sicuti namque Tomus hîc in ordine existit Quartus, ita & Quadriennium iam agitur, quo æternæ sapientiæ, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, placuit R. V. P ad sublimem illam totius nimirum S. Ordinis nostri Præfecturæ Generalis dignitatẽ euehere. Ex quo & te post IESVM CHRISTVM Pastorum omnium supremum Principem, post toties memorati S. Cætûs nostri Patriarcham B. BRVNONEM, post Christi in terris Vicarium, Apostolicæ sedis Pontificem Maximum, te, inquam, in ordine Quartum Generalem Pastorẽ nostrum confitemur, amplectimur, congratulabundique veneramur. Et quidem haud immerito; quippè qui id cures potissimùm, vt cultui Diuino, Religionique nostræ suus seruetur honos, sua in- *Sap 8.*

Psal.25. tegritas, sua gloria atque dignitas; ac proinde cũ Propheta Regio, decorem domus Dei, locumque habitationis gloriæ eius vnicè diligere certò comproberis.

Sic olim vtique Moyses; sic Iosue; sic Dauid; sic Salomon; Ita deniq; oẽs in vniuersum Israelitici populi moderatores id in votis gesserunt, idq; factis præclarissimis reipsa ostenderunt; vt demandatam Dei legem, sancitas illas ceremonias, perq; maiores & receptas & obseruatas, haudque illaudatas consuetudines ita seruarent, ita & augerent: vt ad se erant propagatæ, vt à patribus religiosè ac sanctè instituta. Quorum exemplum, haud pauci ethnicorum quanquam longo interuallo imitati sunt, apud Romanos, Græcos, aliasq; à Deo alienas nationes. Quæ quamuis idololatriæ dedititissimæ, id tamen iugiter procurârũt, vt eorum dijs ac simulacrorum portentis, suus & haberetur honos & gloria immunis. Hinc templa, hinc sacrificia; hinc varius cultus, varia ministrorum munia designata. Alij siquidem Ioui, alij Aesculapio, alij Dianæ, alij Deæ Vestæ, denique alijs alij & dicati erant: & sacrificia dependerunt. Verumenimuerò cũ obscuratum esset insipiens cor eorum, euanuerunt in cogitationibus suis, nutantes gloriam incorruptibilis Dei, in similitudine corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum; & serpentium; colentes & seruientes creaturæ potius quàm creatori. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in passiones ignominiæ, in reprobum sensum: vt faciant ea quæ non conueniunt &c.

Rom.1.

Plebs porrò Iudaica id omnimodis factitabat, vt nihil non magnificè ageretur cum templi ministris, cultu ceremonijsq;. Adeoque solicitè curatum est, vt quam splendidè omnia agerentur, vt si quando vel latum digitum ab ijs dimouerent, quę sanctè, quæ iustè instituta erant, mox vel ipsi inter se, vel numen illud cæleste in temeratores animaduertebat. Et ad eũ quidem modum ætas illa tum florebat: tumque admini-

ministrabatur. Quam & succedente tempore secuti sunt Christianæ Religionis professores cum Ecclesiastici, tum profani; tanto animi feruore, vt se suaq; omnia pro Orthodoxæ fidei defensione, pro maiorum placitis, decretis, ac traditionibus haud dubitarint exponere; rectè quidem ac iustissimè censentes, se benè feliciterque præesse haud posse: nisi prius supremi Monarchæ, hoc est CHRISTI regnum, Ecclesiam, fidem, Diuinumque cultum serta tecta seruarent atque defenderent.

Quàm verò strenuè eosdem imitati sint S. Instituti nostri Patres primarij, in promptu videre est; in eo quidem potissimum, quod inter tot præstantissimos Cænobiticæ vitæ Ordines, vnicus noster (quod aliorum bona venia dictum velim) sit reperiri, qui hactenus præstiterit infractus, præstiterit immobilis, constansque: neque à pristino suo rigore notabiliter diuerterit. Quorum vestigijs cum non modo insistere, sed & inuicta animi magnitudine præcellere omnimodis cùm contendas, haud sanè mirum, si indies omnib⁹ charior, venerabilior ac spectatior euadas. Vt etenim aliquis ingressus vineam, vitesq; contēplatus pāpinis conantes, fructu grauidas, macerijs ac septis vndiq; munitas, minimè desiderat cuiusquam qui demōstret vinitoris industriam, ac dexteritatē, & Agricolæ virtutē; Itidē & Almā Domum vestrā, Primariā (inquam) Carthusiā, si quis ingressus conspiciat vites vestras spiritales, earumq; fructū ccontēpletur, nihil opus habuerit, vt ex cuiusquā oratione discat: qualis sit eiusdē Præpositus. Fidelis autem Dominus in verbis suis; qui quærentibus primùm Regnū Dei & iustitiam eius: reliqua abundè adijcienda spospōdit. Possem equidem cōplura alia singulatim huc cōgerere, ex multiplicibus præclarissimis donis R. P. V. cælit⁹ impertitis, quæ laudem ac nomen vestrum haud parùm illustrarent; nisi id maligni & inuidi quiq; assentationi tribuerent asseriberentque. Solent namque ij, cuncta quæ vident, deprauato oculo conspicere; vndè

Matth. 6.

Teste Paulo Orosio de Ormesta lib. 4.

occæcati tenebris nequitiæ in id cadunt, vt minus videndo plus videant; cum tamen id, quod est ita, vt est, videre non possint. Adeò siquidem possessam mentem obliquat inuidia: vt quod rectũ est natura haud cernere queat. Malui proindè temperare sermonem, ac tempori potius seruire: quàm mihi adulationis notam inurere.

Ceterùm DEVS OPT. MAX. quod in vobis, vestroque prouido regimine insigniter vtique capit, ad sempiternam suæ Maiestatis gloriam, ad certum Ecclesiæ commodum, ad lætum S. Ordinis nostri rerum successum, magis ac magis secundare dignetur. Ex Carthusia vestra Agrippinensi, Anno à CHRISTI Incarnatione 1603. pridie Exaltationis S. Crucis.

Reuerend. V. P.

humillimus ac obsequentissimus filius

Fr. Cornelius Grasius.

Annumeror Bibliothecæ Fratrum Capucinorum Paderbornæ.

INDEX

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX SS. QVARTO HOC TOMO CONTENTORVM.

A.

Menses.	Dies.		
October.	1	ANaniæ Apostoli	29
	5	Attalini Episc. Lamorensis	98
	17	Andreæ Cretensis Martyris	262
	19	Aquilini Episcopi Ebroicensis	275
	24	Arethæ martyris	327
Nouemb.	2	Acyndini & Sociorum martyrum	409
	4	Agricolæ & Vitalis martyrum	421
		Amantij Episc. Ruthenorum	400
	17	Aniani Episc. Aurelianensis	525
		Aciscli & Victoriæ martyrum	540
	20	Agapij martyris	567
	30	Andreæ Apostoli	623
December.	4	Annonis Archiepisc. Coloniensis	651
	6	Asellæ virginis	685
	7	Ambrosij Episc. Mediolanensis	688
	13	Autberti Episcopi Cameracensis	733
	25	Anastasiæ martyris	776

B.

October.	1	Bauonis Confessoris	19
	6	Brunonis Carthusian. Patriarchæ	104
	11	Brunonis Archiep Coloniensis	203
	14	Burchardi Episcopi Herbipolensis	226
	16	Bercharij Abbatis & mart.	260
Nouemb.	1	Benigni presbyteri & martyris	397
	13	Brictij Episcopi Turonensis	505
	19	Barlaam mart.	554
	20	Berwardi Episcopi Hildesemensis.	570
December.	3	Birrini Dorcestrensis Episcopi	639
	4	Barbaræ virginis & martyris	642

C. Cha-

Menses.	Dies	Index	
		C.	
	5	Charitinæ virginis & martyris	94
	10	Cerbonij Episcopi Populoniensis	173
October.	14	Calixti Papæ ac sociorum martyrum	217
	20	Caprasij ac Fidei mart.	280
	25	Crysanthi & Dariæ mart.	341
		Crispini & Crispiniani mart.	356
	1	Cæsarij Diaconi & martyris	394
	8	Claudij ac sociorum mart.	460
	12	Cuniberti Episcopi Coloniensis	501
	21	Columbani Abbatis	574
Nouemb.	22	Cæciliæ virginis ac mart.	583
	23	Clementis Papæ ac martyris	594
	25	Catharinæ virginis & mart.	606
	26	Conradi Episcopi Constantiensis	615
	8	Conceptionis B. MARIAE virginis	705
December.	31	Columbæ virginis & mart.	855
		D.	
	8	Demetrij martyris	134
	9	Dionysij Areopagitæ martyris	149
October.		Domnini ac sociorum mart.	161
	13	Danielis ac aliorum Franciscan. mart.	214
	14	Dominici Loricati	230
	5	Dalmatij Episcopi & mart.	669
	6	Dionysiæ, Datiuæ ac aliorum martyrum	683
December.	11	Danielis Stilitæ	715
	31	Dedicatio Ecclesiæ	862
		E.	
	3	Ewaldorum duorum martyrum	45
	16	Eliphij martyris	244
October.	24	Euergisli Episcopi Coloniensis	323
	29	Ermelendis virginis	370
	31	Epimachi martyris	376
	4	Emerici Hungarorum Regis filij	422

Engel-

Menses.	Dies.	Sanctorum.	
	5	*Engelberti Archiepisc. Coloniensis*	441
	15	*Eugenij Episc. Toletani & martyris*	521
Nouemb.	16	*Eucherij Episcopi Lugdunensis*	522
	19	*Elizabeth Regis Hungarorum filiæ*	556
	20	*Eadmundi Regis Angliæ & mart.*	562
	1	*Eligij Episcopi Nouiomensis*	631
	9	*Eulaliæ virginis & martyris*	709
December.	12	*Eustratij & sociorum martyrum*	727
	13	*Epimachij Alexandri & sociorum martyrum.*	719
	25	*Eugeniæ, Philip. patris eius, & aliorũ mart.*	782
	28	*Euthycij & Florentij Monachorum*	824
		F.	
	4	*Francisci fundatoris Ordinis Minorum*	60
October.	14	*Fortunati Episcopi*	224
	24	*Felicis Episc. Tibiensis*	320
	28	*Faronis Episc. Meldensis*	364
Nouember.	2	*Fidelium Animarum*	404
	7	*Florentij Episc. Argentinensis*	449
		G.	
	3	*Gerardi Abbatis*	47
October.	9	*Gisleni Monachi*	163
	10	*Gereonis & sociorum mart.*	168
	11	*Gummaci Confessoris*	194
	16	*Galli Abbatis*	249
	5	*Galationis & Epistemis martyrum*	429
Nouemb.	8	*Godefridi Episc. Ambianensis*	464
	17	*Gregorij Thaumaturgi*	528
	23	*Gereonis inuentio & Translatio*	603
December.	18	*Gratiani primi Episc. Turonensis*	752
	24	*Gregorij Spoletani martyris*	769
		H.	
October.	14	*Hedwigis Ducissæ Poloniæ*	233
	21	*Hilarionis Abbatis*	285
	3	*Huberti Episc. Leodiensis*	414

Hiero-

Menses.	Dies.	Index	
	7	*Hieronis & sociorum martyrum*	441
Nouember.	13	*Hemoboni Confessoris*	512
	17	*Hugonis Episc. Lincoln. Carthusiani*	541
		I.	
October.	18	*Iusti siue Iustini martyris*	240
Nouemb.	9	*Imaginis Saluatoris*	472
	27	*Iacobi Incercisi martyris*	518
	13	*Iudoci filij Regis Britonum Confessoris*	735
December.	27	*Ioannis Apostoli & Euangelistæ*	793
	28	*Indes & Domnæ & sociorum mart.*	810
		Innocentium	806
		L.	
October.	2	*Leodegarij Augustod. Episc. & martyris*	35
	16	*Lulli Archiepisc. Moguntini*	258
	18	*Lucæ Euangelistæ*	236
	6	*Leonardi Confessoris*	433
Nouemb.	12	*Liuini Archiepisc. & martyris*	499
	14	*Laurentij Archiepisc. Dublinēsis*	516
December.	13	*Luciæ virginis & mart.*	723
		M.	
	5	*Marcellini Archiepisc. Rauennat.*	97
October.		*Meinulphi Diaconi*	101
	21	*Malchi monachi captiui*	303
	24	*Maglorij Episcopi Dolensis*	337
	25	*Miniatis militis & mart.*	352
	30	*Marcelli Centurionis & filiorum mart.*	372
	1	*Marcelli Parisiensis Episcopi*	391
	11	*Mennæ Aegyptij mart.*	480
Nouemb.		*Martini Episcopi Turonensis*	483
	18	*Maximi Episc. Moguntini.*	555
	25	*Mercurij martyris*	605
	27	*Maximi Episc. Regiensis*	616

Mennæ

Menses.	Dies.	Sanctorum.	
December.	10	Mennæ & sociorum martyrum	912
	31	Melaniæ iunioris	857
		N.	
October.	1	Niceti Treuirorum Episcopi	31
	22	Nunilonis & Atodiæ virg. & mart.	312
	29	Narcisci Episcopi Hierosol.	367
	31	Noitburgis virginis	388
December.	6	Nicolai Myrensis Episcopi	671
	14	Nicolai Episc. Rhemen. ac soc. mart.	748
	25	Natiuitatis CHRISTI Solennitas	771
		O.	
October.	7	Osithæ virginis ac martyris	130
	15	Oswaldi Episcopi VVigorniensis	238
Nouember.	1	Omnium Sanctorum	400
		P.	
October.	4	Petronij Episcopi Benoniensis	55
	5	Placidi ac sociorum mart.	85
	8	Pelagiæ peccatricis nuncupatæ	140
Nouember.	21	Præsentatio B. MARIAE virginis	581
December.	2	Petri Chrysologi Archiepisc. Rauennatis	637
		Q.	
October.	31	Quintini martyris	378
Noùemb.	13	Quinctiani Aruernens. Episcopi	508
		R.	
October.	1	Remigij Archiepisc. Rhemensis	1
	26	Rogatiani & Felicissimi martyrum	360
Nouemb.	18	Romani martyris	549
	29	Radbodi Episcopi Traiectensis	621
		S.	
October.	6	Sergij & Bacchi martyrum	123
	23	Seruandi & Germani martyrum	313
		Seuerini Episc. Coloniensis.	314

Sino

Menses.	Dies.		
	28	*Simonis & Iudæ Apostolorum*	362
Nouember.	29	*Saturnini Episcopi Tholosani & mart.*	619
	4	*Sabæ Monachi*	663
	14	*Spiridionis Archiepisc. Cypri*	739
December.	26	*Stephani protomartyris*	789
	30	*Sabini Episcopi Spoletani ac sociorum mart.*	844
	31	*Sylvestri Papæ*	846
		T.	
October.	2	*Thomæ Episc. Herefordensis*	42
	11	*Tharaci ac sociorum mart.*	175
	9	*Theodori tyronis mart.*	469
Nouemb.	10	*Theotistes Lesbiæ*	477
	23	*Trudonis presbyteri & Confessoris*	599
	21	*Thomæ Apostoli*	752
December.	23	*Theoduli ac sociorum mart.*	766
	29	*Thomæ Archiepisc. Cantuariensis*	826
		V.	
	12	*VVilfridi Episcopi Eboracensis*	208
	21	*Vrsulæ ac sociarum martyrum*	*in fine libri.* 869
October.	27	*Vincentij, Sabinæ & Christetæ mart.*	361
	31	*VVolffangi Episc. Ratisponensis*	384
	3	*VVenefridæ virg. & mart.*	417
	6	*VVinoci Abbatis*	437
Nouemb.	7	*VVillebrordi Episcopi Traiectensis*	444
	8	*VVillehadi primi Episcopi Bremensis*	462
	16	*Valentini ac sociorum mart.*	751
December.	23	*Victoriæ martyris*	764
		Z.	
October.	30	*Zenobij & Zenobiæ mart.*	373

FINIS.

OCTOBER.

VITA S. REMIGII, ARCHIEPISCOPI RHEMENSIS: FRANCORVM APOSTOLI:

Ex ea quam Hincmarus æquè Rhemensis Archiepiscopus conscripsit: additis & emendatis quibusdam ex C. Baron. Obijt sacratissimus Antistes nonagenarius sexennio maior Anno Salutis quingentesimo quadragesimo quinto, sedente Vigilio Papa.

Vide C. Baron in Notâ. ad Martyr. Roman & Tom. 6 Annal.

POST terribilem illam scelerum vindictam, quæ Galliarum cæde facta est à Domino, prosequente VVandalorum crudelitate, Gallia mirabili Remigij natiuitate rursus recreata fuit. Erat venerabilis quidam, ac professione sua non minus quàm nomine dignus Montanus monachus; qui in vita solitaria, à prophanorum hominum congressu ac familiaritate penitùs seclusus, cælestibus sæpè & angelicis fruebatur alloquijs. Is cùm nocte quadam in oratione peruigil anxiè pro pace sanctæ Ecclesiæ, quæ multis ac diuersis apud Galliarum & Belgicarum prouincias calamitatib. affligebatur, laboraret, & indefessis precibus omnipotentis Dei clementiam exoraret: tandem leni, præ nimia lassitudine, oppressus sopore, subitò angelorũ choris & beatissimarũ animarũ visus est sibi interesse cœtibus;

1. Octob. quæ est dies translationis eius: Natalis autem Idib. Ianuar.

Montanus monachus insignis.

Eius ecstasis.

qui humanæ ſalutis auidi, de Gallicanæ eccle-
ſiæ deiectione queritabantur. Cumque varia
inter ſe crebro ſermone cõferrent, ſubitò vox
à ſuperioribus intonans adytis, gratulabunda
huiuſmodi ſuauiſſimè promulgabat ſententiã:
Dominus proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Do-
minus de cælo in terram aſpexit; vt audiret ge-
mitus compeditorum, vt ſolueret filios inter-
emptorũ: vt annuncietur nomen eius in genti-
bus; in conueniendo populos in vnum: & reges
vt ſeruiant ei. Cilinia in vtero concipiens, filiũ
pariet, nomine Remigiũ; cui à me ſaluandus
popul' cõmittetur. Erat Cilinia inſigni admo-
dũ pietate matrona: q̃ licet corpore in terris,
mente tamẽ in cælis verſabatur; pepereratq; in
flore iuuẽtutis de vnico viro ſuo Aemylio Prin
cipium, Sueſſionum ciuitatis poſteà ſanctum e-
piſcopum: & fratrem eius, B. Lupi epiſcopi
eiuſdem Principij ſucceſſoris patrem: vtrum-
que haud vulgari ſanctitate conſpicuum. Vir
autem ille venerabilis, tanta conſolatione ac-
cepta, Ciliniæ diuinum oraculum deuota mẽ-
tis hilaritate innotuit. At illa cum marito ſuo
AEmylio, ambo genere nobiles, ſed effœto
corpore ſteriles, & ab omni concipiendæ ſpe
prolis prorſus excluſi, andito Montani fauſto
nuntio hæsêre animis: ægreque nimis dictis
eius fidem commodare potuerunt. Tum verò
Montanus, qui vtroque lumine orbatus erat,
vt, inquit ad Ciliniam, vera me nunciare ſcias,
tu ablactato infante, oculos meos tuo lacte
perunges, & ego eiuſdem infantis meritis pri-
ſtinam videndi facultatem recipiam. His au-
ditis, pij parentes gaudio & exultatione reple-
ti haud

Pſalm. 101.

Cilinæ matris Remigij laus.

AEmylius pater eius. Principius Sueßionum Epiſcopus eius frater.

Montanus cæcus.

ti haud dubia ſpe prolem expectârunt: quam deinde Cilinia debito peperit tẽpore: cui Remigij nomẽ in ſacro fonte impoſuit. Natus eſt aũt in pago Laudunenſi anno Domini 449. alto parentum ſanguine; multiplicib. à Deo meritis per Spiritus ſancti gratiã decoratus. Nam ablactatus vatis ſui oculos lacte matris, obſtetricãte matre, perungens, lumen illi diuina gratia reſtituit. Nec à myſterio vacare putandũ eſt, ꝙ in chartis recenti tẽpore poſt illius obitum, & poſt plura annorũ curricula, de reb. Rhemenſi Eccleſiæ cõſcriptis, Remediũ fuiſſe nominatũ legimus. Porrò primùm diſciplinarũ capax factus eſt, ſtudijs à pijs parentibus adhibitus, non modò natu maiores, ingenij fœlicitate, diſcẽdiq; ardore, ſed & morũ maturitate ſingulari, excelluit; cunctosq; admiranda cordis beneuolentia ſibi cõcilians, ſilentij & quietis amator præcipuus, populorũ vitabat frequentiam: in caſtro Lauduno prudẽter delitescens; vt ſolitarius addiſceret, quod poſtmodum in cathedra populo prędicaret. Igitur cùm in ſancto ſilentio iuſtus adoleſcens Domino militaret, iãque ad annum ætatis ſuæ ſecundum & viceſimum peruenisſet, defuncto per id tẽpus * Bennadio Rhemenſi Archiepiſcopo, fuit repentè omniũ votis ad pontificij culmen nõ tam electus, quam violenter raptus. Et quidem quod ad ætatem eius minorem attinet, accidiſſe interdum cognoſcitur: vt cum in aliquo eminentiſſima virtus atque ſcientia egregia cerneretur, de eadem ratio minimè haberi ſoleret: vti videre eſt in S. Ioãne Chryſoſtomo: qui non niſi fuga ſibi conſulere potuit, nè eiuſdem

Natiuitas S. Remigij ex parentib. nobiliſsimis.

Montanus recipit viſum.

Remigius alias Remedius dictus.

Puer degit ſolitarius.

** al. Gennadio.*

Huius vitã habet lector 14. Septẽb.

Adolescens rapitur ad pontificatũ: anno Domini 471.

ætatis Episcopus ordinaretur. Is verò his subitò depressus angustijs, cùm nihil non moliretur vt tantum onus declinaret, pariterque antiqui hostis veritus insidias fugam cogitaret, placuit omnipotenti Deo manifestis indicijs, suum de eo monstrare iudicium. Nam cunctis, qui aderant, videntibus, subitò noui luminis super ipsius verticem descēdit radius: quo diutius eum illustrante, sensit demùm ipse suo capiti cælestem quendam infusum liquorem. Tanti igitur ac tantis diuinitùs acceptis auspicijs, diutius voluntati cælesti reluctari nefas esse existimans, posthabita omni dubitatione, ancipitique submota sententia, infulis se sacerdotalibus indui, atque in cathedra honoris collocari patitur.

Eius electio diuinitus approbatur.

Diuinitùs vngitur.

Eximiæ eius virtutes.

Ea dignitate sublimatus, quo ordine cōmissum sibi officium, curamque animarum administrauerit, quis p dignitate explicare queat? Inediæ & vigiliarum ipse patientissimus, antè omnia pauperũ inopiam larga manu subleuabat. Pabulum diuini verbi sedulus vbique & omni tempore administrabat; profundis ignorantiæ & peccatorum tenebris miserè occæcatos, singulari ratione pietatis & doctrinæ illustrabat: denique omnibus omnia factus omnes pariter consolari, omnes ad æternæ vitæ gaudia secum adducere studebat. Cùm die quodã pastorali solertia ex more diœcesim suam peragraret, in vico fortè Calmaciaco inuenit hominem miserè quidem oculorum lumine priuatum, sed longè miserius occulti dæmonis infestatione, qui eum inuaserat, vexatum. Ibi vir sanctus, qui totus misericordiæ operibus deditus

tus erat, mox in terram prostratus, ac Domino piis lachrymis supplex factus, & pristinum lumen cæci oculis reddidit, & pestem immundi spiritus ab eo depulit, & opes vitæ degẽdæ necessarias pauperi assignauit. Alio quoque tempore in domo Sobrinæ suæ Celsæ, vasculũ penè vacuum, signo S. Crucis & oratione, vino abundare fecit. Hæc verò tam eximia viri sancti ergà quemuis proximum charitas, quam fuerit Deo accepta, non erit abs re miraculis alijs, quibus eum Dominus in hac vita illustrauit, declarare.

Cæci dæmoniaci curatio.

Cùm aliquando Rhemorum ciuitas, surgentibus subitò flammarum globis, incendio vastaretur, iamque tertiam ferè partem, fauillis extantibus, concrematio peracta consumpsisset, victrixque flamma obuia quæque depasceret, Rhemigius antistes rei calamitosæ nuncio excitatus, mox ad orationem in beati Nicasij pontificis & martyris basilica (ibi namq; morabatur) se prostrauit. Surgensq; deindè ab oratione, concito cursu per gradus petrarum, ciuitatem petijt; statimq; extensa contra ignem dextera, cum Christi nominis inuocatione, signũ sanctæ Crucis expressit, totumq; illud incendiũ, fracta & cõcisa atq; in sese relisa virtute, mirabiliter fugauit. Porrò in ipsis petris impressa fuêre viri sancti vestigia: q̃ hodieque ibi ad memoriã diuini miraculi demonstrantur.

Incendium Rhemorũ.

Signo Crucis profligat incendium.

En rem miram.

Porrò ijsdem ferè temporibus regnabat in Gallia Aquitania Alaricus Gothorum Rex; qui quantumlibet Arianus esset, tamẽ sanctos Antistites Catholicæ communionis coluit & frequentauit officijs: eos præsertim quos editione

miraculorum Deo gratissimos sentiebat: inter alios sanctissimum hunc Antistitem Regiũ. Ad eum siquidem cuiusdam benedicti, sui regni nobilis viri filiam, dæmonio sæuo & tetro obsessam curandam misit: quam sacer præsul non solum à dæmone diuina virtute liberauit, sed & iam defunctam ad vitam reuocauit.

Curat dæmoniacam & mortuam excitat.

Eodem aũt tempore quo vir sanctus cũ magna sanctitatis laude populũ sibi creditũ pascebat, Clodoueus Regni Franciæ gubernacula tractabat; qui licet paganus & à Christi fide cũ exercitu suo alienus multas deuastaret ecclesias, Remigium tamen ob celebrem miraculorum famam reuerebatur; eumque attentis sępè auribus de virtutum pulchritudine vitiorumque fœditate differentem audiebat. Quodam verò die secùs Rhemorum ciuitatem castra mouens, regio edicto seuerè cauit, ne quis ciuitatem ingredi tẽtaret; solicitus videlicet, ne quid Ecclesia viri Dei detrimenti vel incommodi ab infideli populo pateretur. Accidit autem vt quidam, spreta disciplina militari, eandem ciuitatem intrarent, & inter alia ornamẽta sacrilego ausu abrepta, vrceum miræ magnitudinis atque pulchritudinis tollerent. Sanctus autem Remigius ea re haud mediocriter tristatus, ilicò suos ad Regem destinauit legatos, vt si alia eclésię vasa recipere non mereretur, saltem vel vrceum illum reddere iuberet. Rex hæc audiens legatos ad Suessionum vsque ciuitatẽ exercitum sequi iubet, illic haud dubiè, quod postularent, recepturos. Eò verò vt peruentum fuit, vniuersa præda in medium allata, Rex vrceum istũ sibi donari postulauit.

Clodouei adhuc pagani reuerentia erga S. Remigium.

Fuit

Fuit eius postulato, vt par erat, summa militũ voluntate & reuerentia factum satis. Interim eorum vnus, incertum qua mentis temeritate, eleuata subitò bipenni vrceum illum indignabundus percussit, dicens: Neque tu rex hinc quidquam accipies, nisi quod tibi sors vera donauerit. Eo hominis facto omnibus obstupefactis, rex prẹter opinionem iniuriam tulit patientissimè; acceptumq; vrceum nuntio ecclesiastico reddidit: ac dissimulata ira vindictam in tempus reseruauit. Transacto aũt anno Clodoueus rex exercitus sui delectũ habiturus, cùm vires singulorum armaque lustraret, venit ad hominem illum qui prẹterito anno bipennem in vrceum defixerat, aitque ad eum; Quid tu solus hic armis adeò incultis ac sordidis appares? Neque clypeus, neque lancea, neq; bipennis vtilis est. Simulque arreptam eius bipennem proiecit in terram. Cùm autem ille inclinato corpore eam humi leuare tentaret, rex eleuata manu bipennem suam in caput eius validè defixit dicens: Quod tu anno superiori vrceo fecisti, hoc ipsum & ego nunc facio tibi. Nescio quid hic prius quidve magis in hoc rege admirari debeam; an eximiam beneuolentiam, qua rex ethnicus virum sanctum prosequebatur: an verò rarum patientiæ documentum, quo illatam à vilissimo milite iniuriam anno integro dissimulauit.

Militis cuiusdam temeritas.

Nota supplicium hominis sacrilegi.

Post hæc Clodoueus decimo anno sui regni, Thuringiam sibi prouinciam subiugauit: indeque * Gundebaldi regis Burgundionũ neptim, nomine Crotildẽ, insigni corporis specie puellam, & Christiana religiõe egregiè imbutam, inter-

** Gundebardi.*

Clodoueus Crotildem duxit vxorẽ.

interueniente Aureliano consiliario suo, stabili sibi matrimonio copulauit. Illa verò grauida facta, cùm filium enixa esset, velletque illum modis omnibus Christiano ritu lustratũ, rex totis viribus reluctabatur: sed regina orando, obsecrando, & Christum illi assiduè prædicando tandem obtinuit, vt natus infans expiaretur. Qui baptizatus & * Ingomirus de nomine vocatus in Albis vita functus est. Vndè rex tristitia pariter & ira repletus, mortis causam reginæ imputabat; impio mentis errore sibi persuadens, irata deorum numina infantem, quod Christo nomen dedisset, ea pœna mulctasse. At regina nullo animi dolore ex morte filij, quem ad cælestia regna translatum sciebat affecta, posteà aliam genuit prolem, cui similiter sacro fonte lustratæ Clodomiri nomen imposuit. Is verò Clodomirus paulò post haud leui infirmitate correptus sopitum patris renouabat dolorem, stimulabatque acriter, vt Christum maledictis insectaretur: ac si ab eo & mors & morbus in filios deriuassent. Cæterùm pientissima regina Domini misericordiam instanter implorans, breui laboranti filio sanitatem impetrauit; regemque deinde opportunè importunè admonuit, obsecrauitque, vt tandem aliquandò Christum indueret: eumque verum & solum cæli terræq; Dominum agnosceret. Sed non poterat regis animus ad fidem commoueri, donec tandem aliquãdo extrema belli, quod contra Alemannos Sueuosque mouerat, calamitate oppressus, omnique auxilio destitutus, ab ipsomet Christo opem flagitare est coactus.

Ingomirus Clodouei primogenit filius moritur.

Nota, in Albis.

** Ingomer.*

Clodomirus nascitur.

Factum

Factum est enim vt Franci cum Alemannis & Sueuis bello decertãtes, spectante sanè magno cũ animi sui dolore rege, fœdè terga verterent, hostilique ferro concisi ruerent. Cumq; Rex inops consilij de fuga cogitaret, Aurelianus eum intuens: Quin, inquit, Domine mi rex credis in Christum, quem tibi regina assiduè prædicat? certus præsens tibi ab eo affuturum auxilium? Ille verò eleuatis in cælum oculis, commotus in lachrymas ait: Iesu Christe, quẽ Crotildis filium Dei viui prædicat, tuum adiutorium deuotus postulo: spondens me tuo ex animo crediturum nomini, si fusis fugatisque hostibus victoriam dederis. Cumque hæc lachrymabundus oraret, Alemãni in fugam versi, terga dederunt; cæsoque rege suo, Clodouei potestati se subdiderunt.

Bellum inter Francos & Alemannos.

Clodoneli adhuc pagani ad Christum preces.

Tunc verò regina Clodoueum regem cælesti ornatum victoria, lætabũda excipiens, hortari instantius vt Christi potentiam agnoscat, illique confestim salutare fidei obsequium exhibeat. Nec diutius recusauit rex; quin potius supplex à Remigio salutis monita postulans, ipsum quoq; populum sibi subditum ad Christiana inuitauit sacra: cunctosque permouit, vt excusso infelici dæmonum iugo, Christo, libẽbenter sua nomina darent. Igitur rege iam tota mente in Christianam religionem propenso, Remigius pridie illius diei, quo rex sacro fonte lustrandus erat, regij cubiculi ostiũ pulsaturus accessit: quo benignè admisso, mox põtifex, vt per alta silentia noctis, regi, alijs curis absoluto, liberius sacra diuini verbi committeret mysteria, eum cum regina paucisque familia-

Alemanni succumbunt.

Clodouei conuersio.

Franci credunt.

miliaribus in oratorium Principis Apostolorum, quod regio cubiculo contiguum erat, introduxit. Ibi positis sedilibus, cùm verba salutis magna cum pietatis significatione exorsus esset, repentè lux copiosa totam repleuit Ecclesiam, & è luce vox pariter intonans: Pax, inquit, vobis; ego sum, nolite timere: manete in dilectione mea. Et post hæc verba, luce ab oculis omnium sublata, incredibilis odor suauitatis eadem in domo remansit: prorsus vt auctorem pacis ac lucis illuc venisse, nemo dubitaret.

Vox cælitus auditur, lumen itē apparet & odor suauissimus percipitur.

Rex verò & Regina salutari timore perculsi, mox pedibus venerandi antistitis prostrati, magno cum gemitu cōsolationem eius requirunt. Quibus ille optimè sperare iussis, multa prophetico spiritu futura prædixit; diligentissimeque interim regem catheceſi instruxit. Indè vbi dies baptismo designatus adfuit, rex cum suis, pompa regia magnificentia ac tanto gaudio dignissima, ad fontem deductus fuit. Ibi tunc nutu plane diuino chrisma deesse cōpertum est. Nam, ne tam præclara regis conuersio miraculo careret, cùm Clericus qui chrisma deferebat, à populo interceptus ad fontem venire nequiret, ac propter populi pressuram nulli omninò egressus ingressusque pateret Ecclesiæ, Pōtifex oculis ac manibus in cælum protensis, tacitè cum lachrymis orare cœpit. Et eccè subitò columba niue candidior, attulit in rostro ampullam, chrismate sancto incredibilis fragrantiæ repletam: quam simulac sanctus antistes in manibus sumpsit, species columbæ euanuit; cunctusque

Nota reuerentiam.

S. Remigius prophetico spiritu clarus.

Chrisma cælitus adfertur.

que populus ad rei nouitatem vehementer obstupuit. Rex verò viso tanto miraculo venerabundus ad fontem processit: expiatusque lauacro, sacro chrismate pariter ad luctam spiritalem est inunctus. Eius exemplo cæteri prouocati, tria virorum millia de exercitu eius, exceptis paruulis & mulieribus, eodem die lustrata sunt. Albofledis quoque & * Landehildis regis sorores eandem baptismi gratiā perceperunt.

Rex baptizatur. Vngitur Chrismate.

Item tria hominum millia & sorores Regis.

** Lanthildis*

Baptismate lustratus Rex, mox in Remigium munificus, plurimas per varias prouincias ei tradidit possessiones; quas vir sanctus ne attingere quidem voluit, sed diuersis assignauit Ecclesijs, prudenti vtique consilio; ne ex Christi Euangelio, turpis lucri cupidus, non animarum salutem, sed diuitiarum iniquitatem quærere videretur. Cuncta quoque quæ fuerant belli tempore Ecclesijs ablata restitui curauit: assignauitque ijsdem alia magni pretij bona Rex iam factus Christianus. Ijs igitur possessionibus Ecclesiam S. Mariæ in castro Laudunensi inprimis locupletauit, bonisque omnibus mirificè efflorentem reddidit. Administrabat autem eam parochiam Genebaldus, vir cum generis dignitate, tum diuinarum humanarumque rerum cognitione valdè conspicuus; qui ducta prius in matrimonium nepte ipsius Remigij, vitam deindè religiosam, magno vtique coniugis consensu, expetierat, & Laudunēsem parochiam antistes administrandam susceperat. Sed accidit vt is idem, parum de vitandis hostis insidijs solicitus, post sanctum diuortium, eandem quasi pro

Existimant nonnulli Clodoueum Regem in Baptismo dictū esse Ludouicum.

Historia Genebaldi Episcopi notatu digna.

pro instructione salutarij frequentius se visitare permitteret: sicque demum vxoris delinitus blanditijs ad carnalem copulam rediret, filiúque ex coniuge susciperet. Postmodum verò conscientia stimulis doloris concitata, gemēs dolensque factum damnauit; & quia nimio se pondere premi cernebat, tandem archipræsulem Remigium aduocauit, vt, quemadmodum prætendebat, exortas Lauduni causas quasdam grauiores per se diffiniret. Adfuit mox vocatus Remigius, debitaque cum reuerentia à Genebaldo exceptus, intellexit protinùs ex viri lachrymis & singultibus, quod enormi aliquo esset delicto obstrictus. Cumque Genebaldus penè desperabundus crimen protulisset, Remigius ne abundantiori tristitia pœnitens absorberetur, mirabili lenitate medicam illi manū porrexit; hortatusque pœnitentiam, tugurio-lum ei cum lecto instar sepulchri assignauit: clausstroque reuinctum septem annorum pœnitentiam damnauit. Intereà Remigius Ecclesiæ eius cura in se suscepta, vtrique populo diuini verbi pabula administrabat; & vna quidem Dominica Rhemis, altera verò Lauduni Missarum celebrabat solennia.

Nota pœnitentiam tanti viri.

Cæterum septimo iam indictæ pœnitentiæ anno, pridiè illius diei, qua Ecclesia Dominicę cœnæ recolit memoriam, cum Genebaldus pernox in oratione profusis lachrymis delictū suum deploraret, adest subitò angelus Domini, admirabili fulgore coruscans; ac humi prostratum pœnitentem his verbis solatur: Exauditæ sunt pro te patris tui Remigij orationes. Dimissum est peccatum tuum. Surge igitur, & assum-

Eccè pœnitētiæ virtutē.

assumpto Episcopali ministerio, Domino pœnitentes reconcilia, Genebaldus nimio terrore perculsus, cum rursus angeli voce animaretur tandem ait: Non possum hinc egredi, quia pater meus Remigius ostium hoc suo muniuit sigillo. Et rursus ad eum angelus: Vt, inquit, nõ dubites, me à Domino missum, sicut patet tibi cælum, sic & ostium istud patebit. Et statim saluo sigillo ac sera, ostium reseratum est. Tunc Genebaldus in modum crucis in limine prostratus, cum lachrymis exclamans ait: Etiamsi ipse Dominus meus Iesus Christus ad me peccatorem venire dignatus fuerit, pedem foras non efferam, donec ille, qui me in in eius nomine, hoc ergastulo conclusit, aduenit.

Nota eximium contriti cordis exemplum.

Dum hæc fierent beatus Remigius pernox Rhemis in precibus, ab eodem angelo paulò pòst rem totam est edoctus, admonitusque vt Laudunum peteret, & Genebaldum pristinæ dignitati atque officio restitueret. Nec mora. Gaudio incredibili perfusus, confestim eò tendit, cunctaque ex mandato angeli fideliter peregit: & Genebaldus deinceps cum magna sanctitatis laude munus suum administrauit.

Genebaldus restituitur sedi suæ.

Cæterum Rex Clodoueus (quem alij in fonte salutari Ludouici nomẽ assumpsisse volunt) indigno ferens animo Gothos Arianos optima Galliarum partem occupare; religionis zelo permotus, eos è regno exturbare cogitabat. Ipso autem expeditionis exordio, prudenti consilio Reginæ vsus, insignem basilicam in honorem Apostolorum Petri & Pauli Parisijs curauit

Pietas Clodouei Regis.

curauit ædificari; pugnaturus siquidem aduersus hæreticos, iure sibi Principis Apostolorum eo munere conciliandos putauit: vtpote validissimos, aduersus impios propugnatores Ecclesiæ. Hortamine quoque beati Remigij * Aurelijs Episcoporum Synodum conuocauit: in qua multa Ecclesijs vtilia constituta fuêre. Demum ad debellandos hostes pergens: benedictionem à sacro Antistite petijt. Quam cum Regi beatus Remigius largitus esset, & victoriam in verbo Christi spopondisset, dedit & illi vtrem vino à se benedicto plenum: præcipiens illi, vt tam diu ad bellum procederet, quàm illi & suis, quibus indè dare vellet, vinum de vasculo non deficeret. Bibit ergò indè Rex ac regalis familia, & numerosa turba populi; & ex indè vberrimè satiantur; & vasculum vini detrimentum non patitur: sed benedictione Dei per beatum Præsulem indita, more fontis inundatione repletur.

** Aureliani. En humilitatem tanti Regis.*

En insigne miraculum.

Gothi victi à Clodoueo Rege.

Inito itaque prælio cum Gothis, ijsdem fugatis, & Alarico eorum Rege interfecto, multisque ciuitatibus suæ ditioni subiugatis, Clodoueus Rex cum opimis spolijs & glorioso triumpho tandem ad propria redijt.

Munificentia Regis Clodouei Hormisdam Papam creatum.

Multo verò post tempore sanctissimo Papa Symmacho felicissimè vita functo, Hormisda summa cleri Romani concordia ad Cathedram Pontificalem sublimatus est. Quod cum beato Remigio innotuisset, Christianissimo Regi persuasit, vt nouo Pontifici coronam auream cum gemmis (quæ regnum appel-

appellari ſolet) ad honorem beati Petri, dirigeret . Sed & ipſe S. Remigius literis ſuis nouum Romanæ Eccleſiæ ſalutauit Pontificem . Ad quem idem reſcribens ; illi ob præclaram , meritorum excellentiam & nobiliſſimæ ſedis prærogatiuam , vt in Francorum regno vicem gereret ipſius Romani Pontificis, dedit: excellens ſanè ampliſſimæ dignatis munus & præfectura.

Excellens dignitas collata S. Remigio ab Hormiſda Papa.

Et quidem Hormiſdæ acceptis literis S. Remigius nihil cunctatus , generalem Synodum colligendam curauit : ad quam conuenêre Epiſcopi Galliæ ac diuerſarum prouinciarum . Erant autem Gallicanæ Regiones ob Gothos Arianos , qui ibi regnârant , nonnihil eius hæreſis labe conſperſæ : quamobrem ſanctiſſimi Epiſcopi in illud præcipuè incubuerunt , vt fidem Catholicam ab ea contagione liberam conſeruarent . Coacto igitur Rhemis ſacro Patrum conuentu , accidit vt inter filios Dei (vt eſt in Iob) & ſatan quoque aſſiſtere præſumpſerit ; nimirum Arianus Epiſcopus : qui tanquam nouus Goliath , exprobans agminibus Dei viuentis , prouocanſque eos ad ſingulare certamen , ſtrenuus perfidiæ propugnator , ſuperbiaque inflatus , Catholicis omnibus inſultabat. Sed exurrexit ex aduerſo non iuuenis rurſus aſpectu vt Dauid , verum veneranda canicie ſanctiſſimus ſenex Apoſtolicus vir Remigius ; eiuſque faſtum mirabiliter compreſſit, atq; victum ad Chriſti fidem perduxit.

Synodus Gallicana.

Iob. 1.

1. Reg. 1.

Cum

Mirabilis conuersio cuiusdam Ariani Episcopi.

Cum siquidem Episcoporum Concilium ingrederetur, & à multitudine Patrum expectãtium, assurgentes omnibus reuerenter, sicut Angelus Dei susciperetur S. Remigius; vnicus ille nimis elatus hæreticus, & malè de viro Dei sentiens dedignatus est ei assurgere. Et quidem ille, simulac sanctus Præsul antè eum trãsijt, ita obmutuit, vt nec verbum quidem vllũ effari potuerit. Magnum planè miraculum, garrulam linguam & petulantem, quæ Dei filium iugiter blasphemârat, solo transitu compressisse; vinculis inuisibilibus obligasse: atque intrà dentium claustra arcto carcere obserasse. Expectantibus etenim omnibus, vt post allocutionem B. Remigij hæreticus ille aliquid diceret, nihil potuit loqui: sed ad vestigia sãcti viri pronus cadens nutibus veniam petijt. Cui sanctus dixit; In nomine Domini nostri Iesu Christi verè filij Dei viui, si ita de eo ratè sentis, loquere: & de illo sicut Catholica credit Ecclesia, crede & confitere. Ad cuius vocem antè superbus hæreticus, humilis iam & Catholicus, Catholicam fidem de sancta & inseparabili Trinitate, & de Christi incarnatione Catholicè confessus est; & in eadem confessionis fide se permansurum professus est: Sicque animo per infidelitatem perdito & corporali voce propter superbiam condemnato, virtute diuina S. Remigius & animæ & corporis reddidit sanitatem.

S. Remigius ad tempus cæcus.

Ceterùm post præmissas & alias multas admirandas operationes S. Pontifex, oculorum corporalium lumine à Domino est priuatus: vtique vt mentis oculis intentius quæ superna

ſunt (ad quæ toto anhelabat deſiderio) cõtemplari valeret; quod tamen lumen vir ſummæ patientiæ antè mortem iterum à Domino recepit; gratus Deo in omnibus tam aduerſis quam proſperis: vtpotè quem nulla calamitatis tempeſtas vel latum vnguem ab amore diuino dimouere poterat. Recepto lumine non multo poſt cùm iter illud ad cæleſtem patriam ſibi optatiſſimum inſtare intelligeret, condito teſtamento & rebus Eccleſiæ ſuæ ritè ordinatis, omnibus ſacroſancto Miſſę ſacrificio, ac ſacræ cõmunionis largitione pacẽ & ſalutem à Domino poſtulãs, ex corporis ergaſtulo fœliciter emigrauit: poſtquam in Epiſcopatu annos ſeptuaginta quatuor ſanctiſſime exegiſſet. Corpus eius fuit in ſacello S. Chriſtophori (nam alio moueri non poterat) vbi eſt altare ſanctæ Genouefæ ſacrum, quæ huic ſanctiſſimo Præſuli familiariſſima extitit, honorificè tumulatum. Sepulto ibidem aliquamdiu corpore, cùm in eadem Eccleſia multa & ſtupenda eius meritis coruſcarent miracula, viſum eſt cunctis ſtructuram illam nouo opere dilatare, modiſque omnibus in honorem ſancti antiſtitis adornare. Exſtructa iam & adornata Eccleſia eùm in nouam cryptam retrò altare, ſanctiſſimũ corpus trãsferre vellẽt, nullaq; id, vt prius, vi, ſuo loco mouere poſſent, tandem nocte, cũctis alto ſopore oppreſſis, inuẽtum eſt ſubitò Angelicis manibus ibidem decenter poſitum.

Recipit lumen antè mortem.

Fœliciter decedit nonagenarius ſexennis.

Locus ſepulturæ eius.

S. Genouefæ vitam reperiet lector 3. Ianuar.

Clæret admirandis ſignis poſt obitum S. Remigius.

Translatio corporis eius hoc die ab Angelis facta.

Ceterum trecentis plus minus annis poſt hanc, anno nimirum Incarnationis Dominicæ 852. ſecunda ſacri huius Antiſtitis corporis

Secunda translatio S. Remigij quandò & qualis.

translatio facta est : adhuc ampliata ipsa Ecclesia . Cumque de loco cryptæ prioris, sepulchrum vna cum B. Remigij corpore transferretur in cryptam maiori & pulchriori opere factam , ipsum sanctissimum corpus omninò incorruptum inuentum est ; ac in locello argenteo transpositum ; sepulchro marmoreo in quo antè iacuerat superpositum: etiam tunc sicuti & antè multis & insignibus miraculis coruscans.

Lib. 1. Epist. 7. Lucubrationes S. Remigij periêre.

Quod ad lucubrationes eius attinet , eas excellentis admodum fuisse styli , videre est ex testificatione Sidonij Apollinaris viri doctissimi ac istius seculi Gallicanorum scriptorum ornamenti. Verùm(proh dolor(nobis ijsdem haud frui licet;eò quod viuensvir sanctus præ animi summissione eas obliuione potius obruere voluit,quàm perpetuitati dicare.

Versus inscripti sepulchro S. Remigij.

Hic famulus Hincmar Domini, sacra membra locauit
Dulcis Remigij: ductus amore pio.
Qui prius est sanctus,mundo quàm matre creatus:
Et magnus dictus cælitus ore Dei.
Bis denos binosq; gerens feliciter annos,
Sorte Dei sumpsit pontificale decus.
Sexaginta simul bis septem manserat annis,
Istius vrbis honor,præsul & orbis amor:
Vitam defunctis reddens; quoque lumina cæcis:
Egerat & viuens plurima mira satis.

Nam

Nam domuit fera corda animo pius, ore profusus,
Sicambræ gentis Regia sceptra sacrans
Nonaginta quidem sex cum compleuerat annos:
Splendida lux nostras deseruit tenebras.
Idus iam plenas cum Ianus mensis haberet;
Emeritus miles præmia digna capit.

Epitaphium S. Remigij.

VITA S. BAVONIS, QVI PROPRIO nomine dictus est Alloynus. Ex ea quã Theodoricus Abbas S. Trudonis conscripsit. Migrauit è corporè anno Domini 631. Honorij Papæ 6.*

** al. Alleuinus.*

Vide 8. Tom. C. Bar. Annal. & Not Martyr. Roman. Item Ioan. Molen. in Ind. SS. Belgij. 1. Octob.

GLORIOSVS Dei athleta Alloyn°, cognomento Bauo, in Gallia Belgica pago Hasbaniensi oriundus, patrem habuit* Eilolphum Hasbanię, Comitem fratrẽ patruelem Carolomanni matrẽ Adelthrudẽ: parẽtes claro inprimis stemmate & diuitiarum gloria valdè illustres. Tale igitur generatus stirpe Alloynus, Austrasiorum Ducũ hæres, cum adoleuisset primũ militauit sub Imperatore Mauritio, deindè sub Regib. Frãcię & Austrasię. Porrò vxorẽ duxit nobilissimis æquè ortã natalibus, Comitis Adilionis videlicet filiam; quæ grauida facta filiam enixa est, insigni postmodum castitate virginem, Algethrudem nomine; quæ admiranda sua sanctitate ipsis quoque parentibus sanctioris vitæ viam aperuit.

** Agilulphi. Patria & parẽtes eius.*

Agletrhudis filia Bauonis.

Nam eius potissimum exemplo prouocatus Alloynus pater, animũ à terrenarum rerũ curis ad cælestia paulatim inflectere: prorsus vt tandem virtutum pulchritudine suauitateque allectus, mũdum eiusq; gloriã penitus despiceret, totaq; mentis auiditate ad Antoniorũ

En mutationẽ dexteræ excelsi in Bauone.

Macariorumque eremũ aspiraret. Sed hoc eius cælestis viæ desiderium tardabant coniunx nimirum, filiaq;; quas nullo sanctioris vitæ proposito sinè scelere deserere poterat.

Obitus conũgis eius.

At verò hæc die noctéque meditantem coniunx tandem salutari mortis interuentu deseruit, maritumque præcedens, multò ardẽtius ad cælestem patriam totis viribus expetẽdam inflammauit. Ea tempestate B. Amãndus vir Apostolicus* Gandã accessit; populo isti, nescio quo impietatis furore ebrio, Euangeliũ annũciaturus. Qui nõ semel ab impia gente contumelia affectus, exturbatusq;; cum nihilonimus in gentium salute statuẽda firmandaq;, inuicta virtute perseuerat, tãdem præsente Christi numine, locum, in quem totius penè orbis dęmonia, quasi in sentinã confluxerant, verbo veritatis expugnauit; populoq; baptismate lustrato, Ecclesias cõstituit. Ea viri sancti fama quasi quodam odore suauissimo, lõgè lateq; diffusa, Alloynus protinùs excitatus, Gandam, per longa viarũ dispẽdia, aduenit; totumq; sese, regni cęlestis cupidus, Amando in disciplinã tradidit. Et licet Mauritius lege lata prohibuisset, ne quis ex seculari militia ad monasticam vitam transiret, in proposito tamen constanter perstitit, suffultus fauore Clotarij & Dagoberti Regum; animatus quoq; à Gregorio magno Papa: qui militum pium studium aduersus Mauritij edictum defendebat. B. Amandi itaq; salutari doctrina plenius informatus, mox mũdo eiusque põpis valere iussis, possessiones suas omnes solenni donatione, Ecclesijs pauperibusque erogauit; impositaq; humeris suis Chri-

** Gandauũ. S. Amandus Gandaui prædicat: cuius vita habetur 6. Februarij.*

Venit ad S. Amandum Bauo.

Christi Cruce, lætus sanctorum viam calcare incipiens S. Amando promotore Gandaui in honorem S. Petri monasterium construxit, egregieque dotauit: quod ab eo posteà denominatum est. Et quidem ne victus aliquando mentis humanæ inconstantia pedem ab ingressu itineris retraheret, sacris se initiari voluit; vt hoc modo vel necessitate salutari coactus, vsque spiritum sanctioris vitæ ad extremum propositum exequeretur. Gauisus S. Amandus viri alacritate, multa prius diaboli machinamenta prudenter prætendere; grauem esse, quem vellet arripere, ascensum de casu timere: inceptum quidem facilem, finem verò prædicabat esse difficilem. At verò Alloynus nihil rerum difficultate perculsus, in proposito perstabat immobilis; obsecrabatque Amãdum, vt se armis omnibus internis externisque ad spiritale bellũ perfectè muniret. Tũ verò vir diuinus non diutius cunctandũ ratus, Alloynum tãquam filium amplexatur charissimum; eumque antè aram B. Petri in Gandensi *ecclesia quam ædificârat Christianã militiã profitentem suscipit: & barba ac capillis tonsum in Clericatum assumit. Ibi tunc ornamentis illis decoratus Alloynus, statim quasi nauim corporis optata iã collocasset in littore; omnium bonorum, quas olim collegerat, merces exponere; humilitatem ostendere; patientiam exercere; charitatis latum mandatum ex præcepto Dei ad inimicum vsque extendere: solus ipse omnibus seruire; gloriam virtute superare; denique loca sanctorum vicinosque cœnobitas circuire; vt instar Antonij

Renuntiat mundo: & construit cœnobium.

Assciscitur in clerum: & tondetur.
**monasterio.*

Sedulo studet proficere Bauo.

virtutum flores vndecunque colligeret, & in aluearium melliti cordis ſedulus comportaret.

Inter hæc ſtudio virtutũ anachoretis haud inferior, eremum ceu paradyſum vehementer concupiſcebat. Nec mora, capta temporis & loci opportunitate, ſaltum, quem Beilam nuncupant, ingreſſus, inuenit in remotiori diuexæ vallis latere, annoſam fagum; cuius ſpatioſa altitudo, in modum fornicis camerata, hominem in aluo erectum ſuſtinere poterat. Hoc quaſi habitaculum diuinitus ſibi præparatum tanta cum iucunditate eſt ingreſſus velut ſi totius orbis delicias anguſto ſecum in pariete clauſiſſet. Cumq; aliquãdiu ibidem latitaſſet, virtus eius, quæ diu occulta eſſe non poterat, populi frequentiam ilicò allexit; qua animi quietem ſe perdere cernẽs, nocturno ſilentio indè migrauit: ſeſeque in vaſtam & penè inacceſſam condidit eremum, Medmedung nomine, duobus à Ganda milliaribus diſtantem. In ea, vepribus ſarculo hinc indè erutis, vile exſtruxit tuguriolum; in quo, quaſi ſepultus ſub protectione Dei, cęli, iucundè morabatur. Cibos ei ſaltus nucum pomorumque ferax miniſtrabat; potum amnis. Ibi cum aliquamdiu gratiſſimum iucundiſſimumq; pariter Deo famulatum exhibuiſſet, iterum fama eius hinc indè diſperſa, loco illo cedere eſt coactus, ſi vellet frequentem populi vitare cõcurſum. Igitur comperto, quod beatus Amandus amotis clericis monachos in Gandenſi Eccleſia ſubſtituiſſet & ijſdem ad monaſterium ſuum venerabilis vitæ Florebertum præfecerat Abbatem, illicò ad

Beilam Eremum petens degit in arbore.

Populi frequentem fugiens visitationẽ, Megmedung eremum petit.

Reuertitur Gandauum.

ad professionis suæ locum redijt; vt ibidem in silentio Deo deinceps famularetur.

Receptus à fratribus, cum singulari amoris & beneuolentiæ significatione, mox cellulam diuinis studijs aptissimã ædificari curauit, qua in ædificatione omnipotẽs Deus electi sui meritum præclaro ostẽdit miraculo. Erat Artinus quidam qui sabulum lapidesque plaustro aduehebat. Is cum quadã vice insano canũ latratu impediretur, grauiusque vrgeretur; ore procaci murmurare, & nescio cuius susurrij maledicta in sanctum virum euomere: permissus diabolus, qui fana dirui, & Sanctorum Ecclesias erigi dolebat, hominẽ vehiculo proturbatum, mole desuper ponderis & iumentorũ incursu reliquit mortuũ. Euocatus populus, cadauer conclamatum in nauim imponũt, funeriq; necessaria non sinè miseratione præparãt.

Cellulam in Abbatia curat exstrui.

Intereà Bauo, vt de hominis interitu certior est factus, dolore gemituq; repletus, reatũ suũ accusare, defuncti sanguinẽ sibi imputare, totisq; ad Deum visceribus conuersus misero Artino vitam postulare. Vix trium horarũ spatio lachrymis gemitibusq;, pro defuncti salute, incubuerat, cùm eccè Artinus vitæ restitutus surgere, ac tandem ambulare; populo ad miraculi nouitatẽ multum stupescente. Mirum spectaculum, & ad roborandos nascentes Ecclesiæ filios congruum: qui in huius resurrectione speciali, cogebantur non hæsitare de sua & omnium resurrectione generali.

Mortuum suscitat S. Bauo.

Ad alia vt transeamus: quadam die de habitaculo egressum, obuiũ contigit habere seruulum, quem aliquando neglecta re familiari

caussa supplicij venalē iusserat exponi. Quem vt vidit, mox amarissimis perfusus lachrymis, ac si ipsum in mortem vendidisset Christum, pedibusque illius prostratus, petita humiliter ab eo venia, forpicem ei flagellumque obtrusit: sacris eum obtestans verbis, vt duris iustisque verberibus in venditorem Christiani sanguinis vindicaret. Cumq; seruus reluctans hoc ipsum deprecaretur, Alloynus mira nolentis animum expugnans eloquentia, hominem impulit, vt eam crudelitatem in dominum exerceret, quæ vel saxis pias lachrymas excutere potuissent. Ligatis enim manibus pedibusque vir sanctus, totum se flagellis concidendum, caputque detundendum, latronum instar, tradidit. Nec eo supplicio contentus, cùm ex hoc eculeo ad cellulam delatus esset, vt peccatorum rubiginem, quamuis raram, ardentiore tribulationis fornace decoqueret, in neruo, quem vulgò cippum vocant, pedes suos arctari præcepit. In quo totos quatuor desudans menses, cùm quotidiè penè moreretur, pœnam tamen pro delicijs reputabat.

Necè miram pœnitentiam ob venditū olim seruum nexium susceptam.

His verò pietatis exercitijs, ignitus Christi amor tantum in eius pectore crescebat, vt non modò pedum, sed & totius macerati corpusculi integram reclusionem à S. Præsule Amando & Abbate Floreberto peteret, & vix aliquādo impetraret: Et quidem arctam specum medio cellulæ æquore, ad capacitatem erecti hominis sibi effoderat: quæ introgressum non nisi stantem sustineret: & quasi Crucifixi corporis suspensum vultum in neutram partem deflecti permitteret. Eam orationis crucem sibi præparaue-

Recluditur in cellula.

fauerat: in ea inter canonicas horas ſuſpendi magis quàm ſtare elegerat. In eam fuit vir diuinus ab Amando pontifice & Abbate Floreberto, Clero populóque cum hymnis & Crucibus proſequente, quinto Idus Nouemb. anno Domini 629. introductus: ac in cellula recluſus. Ab eo igitur tempore antè omnia diriſſimum ventri ſuo indixit bellum; prorſus vt pane infermentato aquaq; ad menſuram præbitis, eum ſpiritui integrè deſeruire cogeret. Vigilię ſemper vſque ad defectionem: Somnus erat talis, vt vix pertingeret vſque ad refectionem: ac magis eum aliqua meditari, quàm dormire putares. Lectiſternia, humus & cinis inſperſus. Defeſſo capiti lapis orarium: tegumentum erat Cilicium. Nec aliorum interim curam, ſalutemque, animarum negligebat: ſed optimam hanc ſibi hominum iniunxerat prouinciam, vt diſcordes in pacem conciliaret; diſſidentesque animos firmiſſimo charitatis nexu coniungeret. Sal verò terræ cùm eſſet infatuatorum defricabat ſtultitiam; animorum quotidiè putredines reſecans, neminem non ſalutari pœnitentiæ medicamento curans. Confluebat ad eum tota penè vicinia; nobilis & ignotus; doctus & indoctus: homines vtriuſque ſexus, integros dies noctesque pro foribus excubabant. Nunquam ſinè egeno menſula; nunquam ſinè hoſpite fuit eius cellula. Præterea, quæ extrinſecus erant inſtantia, quotidiana eius ſolicitudo omniũ Eccleſiarum: ſuper quas ita inuigilabat, ita ſe afficiebat, tanquam ſi ſolus ipſe pro eis debitor Domino rationem redditurus eſſet. Hæc aliaq; admirãdæ

Oratorium eius quale.

Summus eius vitæ rigor.

In cellula degens etiã ſaluti animarum inuigilat.

Multi ad eũ confluunt.

Hoſpitalitatem ſectatur.

Pia eius ſollicitudo.

ſanctitatis opera quãquam eum omni populo mirè celebrem redderent, ipſe tamen humanæ fragilitatis probè conſcius, nunquam ab affligendo corpuſculo ceſſabat: nè remiſſior quandoque factus, hoſtili impetu, inſidijſve obrueretur. Hinc ad alios labores corporiſque moleſtias, illud quoque poſtremò adiecit, vt inter frequentes genuflexiones, & perpetuas preces, immani pondere lapidem brachijs teneret: quo ſeſe aſſiduè laſſabat, mortificabatque.

Iugiter corpus ſuum caſtigat.

Cæterùm tortuoſus ille ſerpens, cuius ſunt mille mæandri, æſtuans inuidia, iam ſenem, & emeritum Chriſti militem in pugnam euocare nõ dubitauit. Cellulam igitur die quadam, turbinis inſtar, aggreſſus, furores eiaculatur: ſtygios minatur ignes. Sed Chriſti ſeruus, oppoſito fidei ſcuto, hoſtis facilè diſſipauit inſidias, turbinemque precibus extinxit. Turbine ceſſante, rurſus iniquitatis exercitus, in variarum animantium, tetrarumque beſtiarum apparuit formis: ſerpentinos pariter & ferales oſtentans motus: vt inuictum Chriſti athletam, quemadmodũ ſperabant, inani formidine proſternerent. Sed nihil eo terrore motus vir ſanctus filium iniquitatis intus irridebat, ſubſannabatque grandi cum fiducia: vtpotè qui ex Chriſti promiſſione, imperterrito pede, dæmonia calcare didicerat.

Tentatur à dæmonibus.

Lucæ 9.

Inter hos verò tribulationis ſcopulos, & quotidiani martyrij ſyrtes, cùm die quodam leui oppreſſus ſopore ardentiùs ad conditoris ſui aſpiraret deſiderium, Angelus in ſpecie columbæ adfuit: tantaque odoris fragrantia totam cellulam repleuit, vt ſe paradiſi delicijs inter-

Angelus ei in ſpecie columbæ apparet.

interesse existimaret. Ablata ab oculis visione, cùm sibi redditus, vigilanti animo causam discuteret, tanto diuini spiritus amore deindè succensus est, vt nihil aliud dies noctesque, quàm corporis sui dissolutionem, desideraret. Nec distulit eum Dominus longis certaminibus fatigatum clementer consolari, & glorioso sanè miraculo de æternæ beatitudinis corona securum reddere. Eccè enim die quodam, sole in medio centro æstuante, admiranda viuificæ Crucis figura, spectante populo super viri iusti caput descendit, eumque mirificè illustrauit: lætitiaq; incredibili affecit: prorsus vt deinceps, omni proturbato merore, securus de sua remuneratione in Crucifixi consideratione exultaret.

Item Christus in Crucis specie.

Intereà imminente tempore quo ad beatam immortalitatem euocandus erat, incidit in lectum ægritudinis: ac languore sensim ingrauescente, cum iam iam migrare pararet familiarem sibi inprimis Domlinum, Thurholtensis Ecclesiæ presbyterum requirebat. Is cùm, propter iter prolixum, vastam solitudinem, nemus densissimum, aliaque, quæ facilem negabant transitum, haberi non posset: & famulus ad accersendũ eum festinare iussus, domini sui imperium, quanquàm viarum prorsus ignarus, non recusaret: eccè Angelus Domini derepentè comes illi factus, iter non modò ostendit, sed [a] Thurholt vsque deduxit, & saluum gaudentemque vnà cum presbytero reduxit.

Morbo corripitur vir sanctus.

En rem mirabilem.

a propè Brugas in Flandria.

Præsente Domlino vir sanctus depromptis secretò pectoris sui arcanis, mox manibus,

bus, oculis, & toto denique corporis habitu, ad cælum erectis, conciues suos angelos recognoscens, eorumque dulci delectatus præsentia; Vale, ait, seruorum Dei Ecclesia: Christus adest: egredere in occursum eius anima mea. In hæc verba spiritum de luto fæcis huius efflans, corpus sanctis monachis luctu lachrymisque oppletis, terræ mandandum reliquit. Fertur verò sanctissima illius anima, in ipsa exitus sui hora, virgini apparuisse Gertrudi, mandasseque vt linteamina condendo funeri necessaria, mitteret. Aderat in funeris curatione, præter aliam turbam innumerabilem, pauperum multitudo; quæ patre amisso, orphana, vestes & solatia, quæ de manibus eius acceperant, ostendebat; totamque Ecclesiam inconsolabili luctu replebat: gloriosis interim miraculis sanctum suum Deus illustrauit. Cæterùm expletis, quæ necessaria erant funeri, cum lampadibus & cereis & psallentium choris, ex Ecclesia B. Petri Apostoli, vbi ad pernoctandum pridiè delatum fuerat, in locum agonis sui, reclusionis nimirum cellulam reportatur: ibique ex officio S. Amandi sepelitur.

Præsentes cernens Angelos fœliciter expirat animam.

Apparet anima eius S. Gertrudi.

Claruit miraculis post obitum.

Sepultura eius.

Porrò Anno 1010. à Christi Incarnatione sacræ eius reliquiæ multo antè tempore Gandauum translatæ: ab Eremboldo Abbate in præstantiorem thecam transpositæ in Cathedrali Ecclesia SS Bauonis & Ioannis Baptistæ collocatæ sunt.

Translatio eius.

MARTY-

MARTYRIVM SANCTI ANANIAE Christi discipuli: Ex eo quod est apud Metaphrasten.

Vide Tom. 1. Annal. C. Baron. & Not. in Martyr. Roman. 25 Ianuarij. 1. Octob. iuxtà Græcos: Latini verò agunt 25 Ianuarij.

ANANIAS qui fuit septuaginta Christi discipulorum vnus diuina quadam virtute & oculto numinis instinctu, Antiochia, vbi Christiani prima ditatus fuerat appellatione, venit Damascũ, vt eam quoque Euangelicæ veritatis doctrinæque suæ radijs illustraret.

Ananias vnus ex septuaginta Christi discipulus.

Eodem verò tempore Saulus Iudaicæ doctrinæ strenuus æmulator, magno in Christi discipulos furore concitatus, obtentis à Pontifice literis, acerrimam in eos mouebat persecutionem: cunctosque, quos poterat, Christianæ pietatis cultores, vinctos in custodiam, varijs excarnificandos supplicijs tradebat. Cum verò ea propter Damascum quoque pergeret, plenusque minarum, non paucis stipatus satellibus, ciuitati appropinquaret, eccè subitò cælesti circundatus lumine, à Domino humi prosternitur, increpaturque; Saule, Saule, quid me persequeris? Saulus ea Christi Iesu voce totus tremefactus, supplicem se protinùs ei exhibet; & quid fieri à se velit, tremebundus rogat. Cui Dominus: Vade, inquit, in ciuitatem, diceturq; tibi, quid te facere oporteat. Eodem illo tempore monuit Ananiam Dominus visione cælesti, vt rectà ad Saulum pergeret, impositisque manibus caliginem ab oculis eius abstergeret. Hac visione admonitus Ananias, aliaq; omnia, quæ prolixè in Actibus compræhenduntur, edoctus, venit ad Saulum; tersa-

Actor 9. Saulus persequitur Ecclesiam.

Christus apparet Saulo, & monetur vt ad Ananiam vadat.

Ananias Saulum in vtroque homine illuminat.

terſaque ab oculis ac mente caligine, videndi facultatem ei reſtituit: eumque deindè diuinis rebus præclarè inſtructum, ad prædicandum gentibus Euangelium miſit.

Hoc munere, magna cum Chriſti gloria, ergà Paulum functus Ananias, cum ibidē Eccleſiam collegiſſet, iter ſuū Eleutheropolim verſus inſtituit: ſparſoque ibidem & alibi Euangelij ſemine, haud pœnitendos fructus collegit. Intereà cùm proſpero rerum ſucceſſu vberem animarum ſegetem in horrea Domini referret, quidā egregij dæmonis ſatellites, quorū erat munus Chriſtianos venari, præter alios, hunc quoq; præcipuum Chriſti athletam, iniectis vinculis, ad * Lucianum Præſidem protraxerūt. Præſes, quanquam incredibili in nomen Chriſtianum odio flagraret, multosque inaudita crudelitate tormētis ſubieciſſet, viſa tamen Ananiæ animi corporisque pulchritudine, ſimulata benignitate à Chriſti eum confeſſione auocare conatus eſt. At verò Ananias, occulta hominis feritate, fraudeque probè perſpecta, impietatem illius conſtanter redarguit: dixitque fieri nō poſſe, vt vllis vel blāditijs vel tormentis, à Deo ſuo, cęli terræq; conditore, auelleretur. Hæc audiens Lucianus, laxatis iræ ſuæ habenis, protinùs martyris dorſum plagis conſcindi iubet. Sed cùm martyr tormentis miniſque cunctis eſſet ſuperior, rurſus à ſupplicijs ad blanditias conuerſus Præſes: Quin tu, inquit, parcis tuæ pulchritudini? An tibi iucundū videtur tot tantisque tormentis fatigari, & non potius ſacrificijs deorum benignitatem deprecari? Ad quæ Chriſti diſcipulus: At ego,

Vinctus ducitur ad Lucianum Præſidem Ananias.

** Licinium.*

Lucianus ei blanditur.

Flagellatur Ananias.

Ananiæ eximia conſtantia.

ego, inquit, dijs non modo non ſacrificabo, ſed quacunque via modoque poſſum, omnes ad eandem Chriſti Ieſu ſalutarem cõfeſſionem inuitabo.

Propter hæc ira percitus Iudex, iuſſit nudatum martyris corpus ferreis dilacerari vngulis, aduriique lampadibus: ac tandem in Chriſti confeſſione conſtanter permanentem lapidibus obrui. Ea mortis prolata ſententia, diſcipulus Chriſti lætabũdus ad certaminis locum extrà ciuitattm perrexit: protenſiſq; in cælum manibus, tanquam alter Stephanus, Deo, lapidibus obrutus, ſpiritum tradidit: cuius corpus in paterno ſolo Damaſcenorum regione ſplẽdidè conditum iacet.

Dirè cruciatur.

obruitur lapidibus.

VITA S. NICETII TREVIRORVM, 31. Epiſcopi: Ex ea quam Gregorius Turonenſis conſcripſit. Lib. de vita Patrum cap. 17. & de gloria Confeſſorum cap. 94. ex certa relatione Aredij Abbatis vrbis Lemouicinæ, ab ipſo Nicetio enutriti & clericatus ordinem ſortiti: nec non miraculis clari. Quo tempore vixerit, patet infrà.

Vide Tom. 7 Annal. C. Baron. & Not. in Martyr. Roman. 5 Decemb.

NICETIVS Epiſcopus ab ipſo ortus ſui tempore diuinis quibuſdam ſignis in ſortem Domini electus fuiſſe videtur. Nam cùm partu effuſus, aliorum inſtar infantium capillis nudus in lucem prodiret, in circuitu tamen capitis tenuis pilorum ordo aptè diſtinctus apparuit; haud ſecùs ac ſi clericali corona ex arte ornatus fuiſſet. Exindè à ſtu-

1. Octob. *Ado vero & alij nonnulli 5. Decemb.*

En rem miram in nato S. Nicetio.

à studiosissimis nutritus parentibus, literisque imbutus, Abbati cuidam sanctioribus informandus disciplinis commendatur quo in loco breui tam insigni morum apud omnes candore enituit, vt migrante Abbate, ipse vnus omnium qui succederet dignissimus haberetur. Iam verò assumpto Abbatis officio, tantum se ac talem exhibuit, vt omnium moribus ad seueriorem disciplinam prudenter ac modestè reuocatis, ipsum etiam Theodoricum regem à multis vitijs criminibusque abstraheret: cui ea propter inprimis adeò charus erat, vt decedente Treuericæ vrbis Sacerdote, ab eodem ad pontificiam dignitatem administrandam euocaretur. Veruntamen cùm à Regis legatis honorificè esset adducendus, & illi, occidente sole, fixis haud procul ab Vrbe tentorijs, laxatos per segetes pauperum dimitterent equos, vir sanctus misericordia ergà pauperes motus, ipsis legatis fulmen excommunicationis, ni protinus equos reuocarent, interminatus est. At illi hominis magnanimitatē vehementer admirantes, indignantesque: Et tu, inquiunt, Episcopalem cùm nondum adeptus sis apicem; itanè intrepidè cælestes nobis iras minaris? Cui vir sanctus magna sanè constantia respondens ait: Scio quidem Regem me huic oneri destinasse; & fiet quidem voluntas Dei: sed nullius voluntas in malis actibus, me obsistente, adimplebitur.

Fit Abbas.

Ordinatur Episcopus Treuirorū.

Non respicit personam hominis.

In cathedram igitur pontificiam collocatus, quanta animi constantia, quantaque seueritate iustitiam sanxerit, sanctamque inuiolatam seruari voluerit, exemplo patebit. Cùm defuncto

Theo-

Theodorico rege, filius eius Theodobertus in regni gubernacula successisset, & is libertatis amans, sæpius à viro sancto iniquitatis argueretur, accidit vt die quodam Dominico, multis à pontifice anathemate ictis stipatus, ecclesiam ingrederetur. Quibus visis antistes Nicetius, oblatis iam muneribus, Missarum solennia cessare iussit: donec omnes illi communione priuati ecclesia excederent. At Rege renitente pontificisque mandatum spernente, eccè subitò vnus de plebe, arreptus à dæmone puer iuuenis, valida, inter torturæ suæ supplicia, voce exclamans, sancti viri virtutes, Regisq; crimina confiteri; & eum quidem sanctum, sacerdotio impollutum, Christi spiritu humilem, dicere: illum verò adulterum, gloria regni superbum, ideoque ab auctore sceleris velociter elidendum pronunciare.

Seuerum se exhibet in peccatis cœrcendis.

Nota rem admirãdam.

Cumque Rex timore concussus energuminum ab ecclesia eijci præciperet, contrà episcopus constanter asseruit, vt ipse omnes illos sententia sua damnatos prius exire mandaret, si vellet os hominis obstructum iri. Quibus expulsis, dæmoniacus foras pariter extrahi iussus, nulla vi à columna, quam mordicus apprehenderat, auelli potuit: donec Christi Sacerdos, expressa in eum Crucis figura, integra eum sanitate donaret: qua donatus nunquàm deindè post acta solennia reperiri potuit. Creditum est, eum à Domino missum, vt Regis cõuersationem, ad sui emendationem: & Sacerdotis opera ad multorum profectũ, reuelaret. Nam & ipse Rex, orante pro eo antistite, melioris deindè vitæ de se frugem præbui., & Ni-

Signo Crucis sanat dæmoniacum.

cetius maiore auctoritate animarum salutem promouit.

Non poterat eius constantia vllis Regum minis vel mortis timore infringi: quinimò martyrij vehementer cupidus, vltrò sese percussoribus obtulit; & exerto gladio ceruicem præbuit: Cùm Clotarius rex pro iniustis operibus ab ecclesiæ communione ab eo sæpius segregatus esset, mulctauit eum exilio, ratus eo terrore viri iusti cōstantiam fractam iri. Cumque ab omnibus derelictus, vnicum tantū diaconum sequentem se cerneret; Quid tu, inquit, agis? Quin sequeris fratres tuos, vt tibi, sicut & illi, ad libitum consulas? Cui Diaconus: Viuit, inquit, Dominus Deus meus, non te deseram, quamdiu spirit' hos regit artus. Tum antistes: Quia hæc dixisti, dicam & ego tibi, quæ Domino reuelante cognoui. Cras hac hora Ecclesiæ meæ cum honore restituar, desertoresque magno cum pudore ad me confugient. Præstolante eam promissionem attonita cogitatiōe diacono, eccè crastina illucescente subitò Regis Sigeberti aduenit legatus,[a] Clotariū nuncians mortuum, Sigebertumq; legitimum regni successorē, cum episcopi charitate ac benedictione gubernacula suscipere velle. His auditis, cuncti qui ab eo desciuerant, pudore suffusi, se illi supplices exhibuêre: quos ille nequaquam auersatus, magna beneuolentiæ significatione, recepit. His alijsque cùm virtutibus tum miraculis præclarè vir sanctus in vita adornatus, postremò ab ipso Apostolo Paulo & Ioanne Baptista secundū quietem ad regna cælestia est inuitatus. Qua visione de transitu suo certior factus

Clotarius rex ab eo excommunicatus.

Fidelitas cuiusdā eius Diaconi.

Prophetia eius.

a Obijt anno Domini 565.

Benignitas eius.

Fœlciter obijt.

factus, paucis pòst dieb', in febrim incidit; qua aliquamdiu exercitus, tandẽ beatum Deo spiritũ tradidit; corpus verò in basilica Maximini antistitis, suis curandũ reliquit; inclytis admodùm glorificatũ signis: vincti siquidẽ soluti; obsessi liberati: & cęci ad tumulũ eius illuminati.

Coruscat miraculis post obitum.

MARTYRIVM S. LEODEGARII: Episcopi Augustodunensis: Ex eo quod Vrsinus, iubente Ansoaldo Pictauorum Episcopo conscripsit. Coronatus est anno Domini 685. sub Theodorico Francorum Rege.

Vide Tom. 8. Annal. C. Baron.

BEATVS Leodagarius ex nobilissima Frãcorũ progenie ortus, in primis ętatis initijs à parentib. in regiã Clotarij adductus ab eo Rege paulò post; Didoni Pictauensis vrbis præsuli literarũ studijs imbuẽdus est traditus. Is aũt Præsul eum cuidã sacerdoti, egregia morũ honestate & eruditionis laude præstãti, erudiendũ tradidit; qui eum multis annis magna cura docuit, probeq; institutum episcopo deindè reddidit. Receptum aũt Episcopus suo cubiculo sub disciplinę custodia adhibuit; frequenterq; admonuit, vt, quemadmodum ille, virginitatẽ ad extremũ vitæ spiritũ illibatam cõseruaret. Habebat inprimis in votis episcopus, vt eum post se muneri episcopali admoueret; cui sanè cùm aptũ & idoneũ cerneret, annos ferè natum 20. Diaconum ordinauit. Deindè non multo pòst tempore Archidiaconus effectus, omnibus eius diœcesis ecclesijs ab eodem pontifice præfectus atque prælatus est. Erat enim multis magnisque & animæ & corporis dotibus ornatus, & rara quadam facun-

2. Octob.

Patria & Stẽma eius.

Traditur Didoni Episcopo instituendus.

Sacris initiatur.

dia præditus,& diuinarum literarum apprimè eruditus. Defuncto autem per id tempus sancti Maxentij Abbate, iussu eiusdem Pontificis illud monasterium regendum suscepit. Quod sex ferè annos, tanta prudentiæ ac pietatis opinione administrauit, vt famæ eius fragrantia in omnes partes dimanante,& Regis etiam aulam adimplente,ipse Rex Clotarius iunior, qui tunc temporis regni Franciæ habenas cum matre Batilde moderabatur, eum ad se accersierit ac paulò post, perspecta viri virtute ad Augustodunensem episcopatum promouerit. Quo munere postquàm decem annis strenuè functus est, Clotarius vita functus Childericum Austrasiorum regem adolescentem regni successorem reliquit. Porrò Ebroinus, qui sub Clotario rege Maior domus fuerat, contentione Theodoricum Childerici fratrem Clotario substituere nitebatur:sed cùm nomẽ eius apud Francos esset odiosum, reiecto Ebroini consilio,Childericus summo procerum omniũ consensu electus fuit. Tunc verò Ebroinus timore correptus,ne id sibi apud Regem fraudi foret, quasi aulicarum rerum pertæsus,in Luxouiense monasteriũ Deo deinceps militaturus concessit;& Leodegarius in eius locum Maior domûs substitutus est.

Præficitur monasterio S.Maxentij.

Creatur Augustoduni episcopus.

Ebroinus fit monachus.

S Leodegarius fit Maior domus Franciæ.

Ea potestate antistes accepta, Regem adolescentem ijs breui informauit moribus,vt cũcti sibi talem tamque facilem, & benignũ Regem habere gratularentur. Interim cùm hæc annis ferè tribus,multo cum decore agerẽtur, quidam facibus inuidiæ à dæmone incensi, inter Regem & antistitẽ discordias seminârunt adeò

Seminantur discordiæ inter Regem et Leodegariũ.

adeò pestiferas, vt ipse Rex viro sancto exitiũ machinaretur. Cognitis autem insidijs, antistes habito cum suis consilio, vna nocte, Rege cunctisque regni proceribus, & mundi opibus relictis, iter ad Luxouiense monasterium suscepit, vt ibidem pauper Christi effectus, in silentio & quiete Deo seruiret. Eo tempore Leodegarius Ebroinum clericum inuenit, eumque modis omnibus sibi conciliauit, & veniam, si quid in eum peccasset, humiliter petijt. Fuêre tamen ab Abbate seiuncti, vt contracta quondam, per cõtentionem in Regis electione, odia dignis pœnitentiq; operibus expiarent. Interea ipsi, inter monachorum contubernia, tam strenuè se gerebant, vt nullis vnquã vel prosperis vel aduersis à monastico instituto auelli posse viderentur. Sed, vt dici solet, gaudetur vbi bene se habent principia, sed exitus acta probant.

Leodegarius se confert in Luxouiense cœnobium.

Per id tempus sublato ex humanis Childerico rege, Theodoric° ad regni sceptra peruenit. Ibi tunc vtriusq; amici ingenti studio & fauore eos ad propria reuocarũt; & antistitem, populo mirificè gratulante, in sedem suam restituerunt. Porrò Ebroinus pristini honoris titillatus blanditijs, nocte fugam capessens, ab vrbe recessit, & Austrasios, quos olim sibi aduersarios habuerat, sibi amicos asciuit. Indè, laxatis scelerum omnium habenis, cùm flagitiorũ socijs Francorum fines populabundus inuasit, & multis stragibus passim editis, multis vastitatibus vbique illatis, tandem in Theodorici Regis conspectum venit: à quo peramanter exceptus, in pristinum gradum restitutus est.

Mortuo Childerico succedit Theodoricus, & Ebroinus cum Leodegario ex monasterio ad pristinas dignitates reuertuntur.

Ebroini summa impietas & scelera.

Ita ergò præfectus palatij & Maior domûs effectus, cogitare cœpit de vlciscendis inimicis, qui eum subregulum, id est, Maiorē domûs habere recusauerant. Igitur bellum horrēdum & exitiosum cunctis, qui olim aduersus eum egerant, indixit; eorumque opes ferro & flamma consumpsit. Cumque instar leonis rugientis cuncta vastaret, nullisque cædibus crudelitas eius satiari posset, eò impietatis tandē prorupit, vtipsum quoq; antistitem Leodegarium crudelissimo supplicio interemptum vellet. Nec mora: adhibitis in consilium nequissimis hominibus: Didone & Guaimero maximè auctoribus, Augustodunum copioso exercitu obsedit: qui & vrbem circa mœnia vastare cœpere. Id cernens vir Dei, ne commissam sibi plebem, propter se vnum, illorum furori exponeret, Christi exemplo animam suam pro ouibus suis ponere paratus, cum Clero totius ciuitatis, reliquijs, crucibus, & psallentium choris, obuiam illis processit, sponteque ad martyrij certamen sese obtulit.

Ebroinus obsidet Augustodunum vt S. Leodegarius interficiatur.

Spoliatur oculis vir sanctus.

At illi, nulla moti reuerentia, eum comprehenderunt, atque extra vrbem ductum statim eum, vt Ebroinus iusserat, crudeli ferro oculorum lumine spoliarunt; indeque in quoddam cenobium abdiderunt: vbi toto ferè biennio admirandū patientiæ & humilitatis de se documentum præbuit. Eodem tempore Gairinus frater eius, Ebroini persecutione cum alijs quoq; procerib. profligatus, iussu Regis Theodorici & principis Ebroini ad regiam redire compulsus est: Adductus fuit ex monasterio etiam Leodegarius, contumelijs vtiq; & opprobrijs

** al. Gerinus Gairinus frater S. Leodegarij.*

brijs ab Ebroino afficiendus. Cumque vir iniquus eorum calamitatibus impiè insultaret, illi inuicta virtute subsistentes, petulantiam illius constanter redarguerunt, cælestemq; vindictam breui affuturam denunciarunt. Vndè magno correptus furore Ebroinus, iussit alterum ab altero separari; ne mutuis sermonibus supplicia lenirent. Auulsus à fratre Gairinus, eiusq; verbis ad spem futurę glorię pręclarè animatus, mox lapidum imbre obrutus fuit: q; ille supplicium ea virtutis & pietatis significatione pertulit, vt nemo dubitaret, quin ex corporis ergastulo martyr ad cælos euolaret.

Gairinus lapidatur martyr.

Et quidem B. Leodegarius cum fratre sanguinem profundere cupidus, atrocioribus multò supplicijs reseruatus fuit. Primò enim nudis plantis per quandam piscinā, acutis, clauorum instar, petris constratam ambulare iussus est. Indè humi prostratus, lingua & labijs incisis, & corporis virib. omni ex parte eneruatis, ad blasphemiam Deo inferendā, pro scelus, prouocatus est. At ille in omni supplicio inuictus, diuinū tacitus implorabat auxiliū: clarissimūque de Tyranni impietate suo spiritu triumphum agebat. Post hæc Ebroinus eum cuidam VVaningo, in monasterio virginum, quod Fiscanum vocant, custodiendum tradidit: vbi diuinitùs recepto linguæ vsu, salutaria admodū documenta magno cum fructu in populo sparsit. Porrò Diddo & Guaimerus hoc tandem à Theodorico & Ebroino impietatis suæ recepere præmium: vt hic quidem capite damnatus vitam finierit: ille verò cæsus flagellis ac laqueo suspensus interierit.

Diris cruciatur supplicijs S. Leodegarius.

Diuinitùs ei loquela datur.

Persecutores viri sancti male pereūt.

Cæterùm Leodegarius post multa sanctitatis suæ documenta, in monasterio virginum exhibita, postremò fuit cuidam Chrodoberto in custodiam traditus: qui eum in domum suam ducturus, illustri sanè miraculo sanctitatē eius cognoscere meruit. Cùm enim ex itinere fessũ potu refocillari mandaret, priusquam pincerna ad eum veniret, ingens lux cælitùs descendens, caput eius, instar circuli, circundedit: & spectantium animos in tantam pietatem permouit, vt tota domus istius familia haud secus ac sanctum eum veneraretur: eiusque sermones, vt diuina oracula, deinceps exciperet. At verò Ebroinus qui modis omnibus illustrem viri sanctitatem obscurare nitebatur, nimia inuidia contabescens, tandēm vltimæ crudelitatis suæ misit satellites: qui eum neci darent. Illi ergò veloci cursu ad custodiæ locum tendentes, acceptum eum è domo viri, per ignota loca abduxerunt. Cumque ad certum quendam locum deuentum esset, ille martyrij auidus, Non est opus, inquit, filij, vt diutiùs vos fatigetis. Cuius causa huc venistis, id ociùs perpetrate, vt voto vestro fiat satis. Erant quatuor ad cædem eius missi; è quibus tres sceleris conscientia victi, ad eius pedes se prouoluerunt, audaciæ impietatisque veniam postulantes. Quartus verò superbè erectus, districto gladio ad perpetrandam cædem paratus procumbentem in preces Sacerdotem capite trũcauit. Peregit hoc certamen martyr in loco Atrebatensis territorij, qui nunc dicitur Sylua S. Leodegarij. Ferunt autem corpus sese post necem protinùs erexisse, & quasi horæ spatio

Leodegarij sanctitas & innocentia cælitus demonstratur.

Impius Ebroinus modis omnibus eam obscurare nititur.

Detruncatur S. Leodegarius.

Hæc Molanus, in indiculo SS. Belgij.

ſpatio ſubſtitiſſe. Id conſpicatus percuſſor eius, pede eum truſit, vt citius in terram corrueret. Sed miſer ille non diu poſt à dæmonibus arreptus, menteque captus, tandem in ignem ſe præcipitem dedit, atque expirauit. Corpus verò beati viri iuſſu coniugis Chrodoberti in villam Sarcingenſem magno omnium luctu à miniſtris deportatum, in exiguo oratorio ſexto Nonas Octobris ſepultũ eſt: vbi annis duobus & dimidio multis admodum miraculis clarum quieuit.

Miſerandus interitus interfectoris viri ſancti.

Claret miraculis poſt obitum.

Interim cùm fama ſanctitatis & miraculorũ eius longè lateque manans, ad Ebroini quoque notitiam peruenisset, misit continuò ad tumulum eius nuncium, vt rei veritatem diligenter exploraret. Is verò nuncius propè tumulum consistens, pedeque per contemptum, humum percutiens: En, inquit, mortuum, nulla virtutum signa efficientem. His dictis indè abijt; sed ante quam ei, è quo missus fuerat, nũciare posset, in ipso itinere martyris virtutem experiens, miser animam efflauit. Tribus verò indè elapsis annis, omni lachrymarum fonte plangẽdus Ebroinus, gladio percussus interijt.

Vltio diuina in contemptorem viri ſancti.

Ebroinus trucidatur.

Postquàm autem miser ille viuẽdi finem fecit, rerum earum rumor, quem impius inuidia tabescens, opprimere semper conatus fuerat, cum multa laude in regiam penetrauit. Aderat tum illic magna Episcoporum & procerũ frequentia: qui cũ inter se de sancto martyre conferrẽt, pia fuit trium episcoporũ de sacro eius corpore contentio. Ansoaldus Pictauẽsis antistes illud sibi monasterij & consanguinitatis priuilegio vendicare volebat: Hermencharius

En quanti fecerit antiquitas SS. Reliquias.

S. Vindiciani vitam inueniet Lector 11. Martij.

Augustodunensis iure episcopatûs illud suum esse asserebat. Sanctus verò Vindicianus Præsul Atrebatensis, nullo modo id sibi auferri patiens, locum martyrij & sepulchri in sua diœcesi esse contestabatur. Fuit tandem vna omnium Episcoporum sententia, vt ieiunijs & orationibus pium illum conflictum dirimerent. Facta igitur communi oratione, Pictauensi Episcopo sanctum corpus donandum ex indicijs declaratum est: ficque cum debita reuerentia & stupendis per viam virtutibus atque miraculis in nouum amplissimum in B. Martyris honorem extructum templum translatum & sepulturæ mandatum est: propè B. Maxentij monasterium.

Transfertur S. Corpus eius ad Pictauiēse solum.

VITA S. THOMAE HEREFORDENsis in Angliæ Episcopi. Ex ea quam, teste a Baronio, Surius ex Anonimo fidelissimè conscripsit. Migrauit ex humanis anno Domini 1287. Relatus à Ioanne Papa XXII. in numerum sanctorum.

a *In Notationibus ad Martyr. Roman.*

2. Octob. *Patria & parentes.*

S. Thomas Herefordensis antistes, in Britannia maiori, quam Angliam vocant, claris natalibus, patre VVilhelmo de Cantilupo, matre Milicenta Comitissa Ebroicensi, ortus est. In ipsa pueritia, cùm literarum studijs traditus esset, haud vulgarem de se pietatem præbuit, ætatem moribus transcendens, quotidiè preces, quas horas Canonicas vocant, dicere; & Missæ interesse solebat. Studiorum causa primò ad Oxoniensem Academiam, indè Lutetiam se contulit: vbi logicæ operam dans, & Philosophiæ secreta rimatus magi-

Pietas adhuc pueri.

magisterij titulo ornatus est. Posteà Oxoniam reuersus, Iuris Pontificij Doctor & Academiæ Cancellarius creatus, ea animi prudentia causas discussit; vt fama increbrescente, Henricus tertius Angliæ Rex eum quanquam inuitum sibi in suo regno Cancellarium asciuerit. Eo honore à Rege decoratus, mores, qui tunc in alijs præcipuè diffluere solent, multò magis composuit, suasque actiones arctiori virtutis præscripto deuinxit.

Fit Cancellarius Regis Angliæ.

Postquam verò Henricus Rex in viuis esse desijt, vir sanctus Oxoniam repetens, animum ad Theologiæ studia appulit, Doctorisque insignibus affectus, tanta deuotione & pietate rebus diuinis operã dabat, vt intuentiũ fidem & mores informaret; tanto lachrymarum imbre Missæ sacrificiũ peragebat, ac si Christũ coram se in humana carne patientem videret. Cùm alia vitia omnia vehementer detestaretur, tum obtrectationes cane peius & angue detestabatur: cunctosque ab eo crimine reuocare nitẽs, si quos obtrectantes audiret, seueriter illos castigabat. Mentis & corporis eius integritas & mundities tam fuit rara, vt Robertus Cantuariensis Archiepiscopus, deindè Portuensis Episcopus Cardinalis, qui ei à pueritia confitenti aures præbuerat, Oxoniæ publicè de eo fateretur: tantam illius & corporis & animi castitatem esse, quanta maior infante non fuerat.

Mortuo Rege confert se ad studium Theologicũ.

Odit vehementer detractores.

Admiranda illius castitas.

Corpus suum vigilijs & ieiunijs, asperoque cilicio permultis annis secretius macerauit. Cùm autem Heresfordensis Ecclesia suo esset pastore orbata, omnium votis ad eam functionem

Fit Episcopus.

Benignitas eius in pauperes.

nem electus est. Tum verò longè etiam magis quam anteà vigil ad curam factus, & suauis ad mores, sedulò inprimis pauperibus subuenit; præstantique benignitate ac liberalitate inopiam eorum subleuauit. Magna laboris instantia in eam incumbebat curam, vt ecclesiæ iura tueretur, & quæ alij sibi præter ius fasque vendicârant, ab iniustis possessoribus ablata ecclesiæ restitueret. Ea causa cùm grauis extitisset contentio, Romanum pontificem adire decreuit, vt ab illo tantis molestijs opportuna remedia impetraret. Eo igitur tam longo & difficili itinere non sinè multo labore & corporis sui detrimento suscepto atque confecto, Romã venit, & à Martino Pontifice honorificè acceptus, rebusque & negocijs, quorũ causa eò venerat, pro voto expeditis, dũ in patriam redire contendit, morbo oppressus, apud Florentinos iuxta Flasconis montem è vita excedit, sexto Nonas Octobris. Intereà sex diebus corpus eius exanime asseruabatur, odorem spirãs suauissimum. Deindè caro ab ossibus separata, in Ecclesia S. Seueri honorificè sepulta est: ossa verò per tam longinqua terrarum ac maris spatia in Angliam ad sedem eius apportata sunt.

Migrat ad Dominum in itinere constitutus.

Sacra eius ossa in Angliam translata.

Præclarum miraculum.

Cumque obuiam illis venisset Gilbertus de Clara Comes Glouerniæ, qui ob iura ecclesiæ beatum virum fatigauerat, mox ab eis sanguis copiosissimus manauit; ita vt vasa, in quibus ferebantur, sanguine tincta viderentur. Quo sanè miraculo concussus Comes, iura omnia Ecclesiæ restituit; & ea, quę temerè egerat, pœnitudine expiauit. Porrò inter alia eius, quæ scri-

scriptis de eo mandata inueniuntur, miracula, sexaginta mortuos excitasse legitur; quadraginta & vnum cæcos illuminasse; quinquaginta duos contractos sanasse; viginti & vnum paralyticos restituisse; cæcis & mutis viginti tribus lumen reddidisse.

Multa eius & admiranda miracula.

*MARTYRIVM DVORVM * EVVALdorum Presbyterorum. Ex historia Angelorum Venerabilis Bedæ, Lib. 5. Cap. 11. a Pasi sunt anno Domini 693. iuxtà Chroni. Sigeberti.*

** Heuuualdorum.*

a Teste C. Baron. in Notat. Martyr. Rom. & Tom. 8. Annal.

QVO tempore VVitbertus in Frisia, frustrà diu multumque in opus Euangelij desudabat, Ecgbertus vir Domini quia ipse propriæ Ecclesiæ necessitate retentus, ad prædicandum gentibus proficisci nō poterat, tentauit adhuc in opus verbi alios egregia sanctitate & Christianæ facundiæ laude præstantes viros mittere: in quibus eximius Vvillebrordus presbyterij gradu & merito præfulgebat. Qui cùm à Pipino Francorum duce gratanter suscepti, & in citeriorem Frisiam, ad prædicandum missi, haud pœnitendos operæ fructus facerent, multosque ab infando idolorum cultu ad Christi fidem conuerterent: duo presbyteri, ex Anglia oriundi, qui in Hybernia multo tempore pro fide ac religione exulauerant, horum exemplo prouocati, pariter ad prouinciam antiquorum Saxonum venere; si fortè aliquos ibidem prædicando Christo lucrari possent. Erat vtrique nomen Evvaldus ea tamen distinctione, vt pro diuersa capillorū specie, vnus niger, alter albus Evvaldus diceretur. Quorum vterque pietate religionis imbu-

3. Octob.

S. VVillebrordi vitæ reperies lector. 7 Nouemb.

Patria Euualdorum.

imbutus; sed niger Evvaldus magis sacrarũ literarũ erat scientia instructus. Qui veniẽtes in prouinciã, diuerterũt ad villici cuiusdã hospitiũ; obnixè ab eo petentes, vt ad Satrapam (neque enim Regem antiqui Saxones habebant) legationem suam expositurі transmitterẽtur.

Suscepit eos benignè satis villic⁹, fouitq́; diebus aliquot, spondens se postulata facturũ. Inter ea verò cogniti à barbaris, quod Christiana essent religione imbuti (nã hymnis & psalmis quotidianisq́; precib⁹ sedulò vacabãt & sacrificium salutaris victimæ Deo offerebant) sinistra apud eos suspicione laborare cœperunt, quòd Satrapam à deorum Cultu auertere, & ad Christi fidẽ traducere intẽderent. Itaq; mutuis sermonib⁹, pestiferisq; cohortationib. excitati, subitò, in eos impetu facto, nefarias illis manus intulêre; albũ quidem Euualdũ gladio interimentes: nigellum verò longo suppliciorum cruciatu, & horrenda membrorum omnium discerptione gloriosa morte afficientes.

SS. Euualdi crudeliter necantur.

Porrò Satrapas, cognita peregrinorũ internecione, immani ira excandescẽs vicanos illos omnes ferro flammaq́; deleuit, vicumq́; incendio penitùs consumpsit. Corpora autem ab homicidis illis in Rhenum proiecta, cõtrà impetum fluuij decurrẽtis per quadraginta ferè passuum millia, ad loca, vbi eorum erant socij radio lucis permaximo desuper fulgẽte, transuecta sunt. Postremò vnus martyrum istorum, viro cuidam illustri, cui nomen Tilmon, in visione nocturna apparuit; monuitq́ue ibidem eorum corpora esse, vbi splendor ille cælestis fulgebat. Itaq; Tilmon, qui ex milite seculari

Satrapas vlciscitur necem eorum.

Ex insigne miraculum.

Chri-

Christianæ militiæ monachus nomen dederat, socijs suis eam visionem aperuit; inuentaque eorum corpora digno martyribus honore sepeliri curauit. Quo comperto, gloriosus Dux Francorum Pipinus, adducta ad se sanctorum corpora, splendidè admodum honorificeque in Ecclesia Coloniensi condidit. Postremò S. Anno secundus Coloniensis Archiepiscopus, anno Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo quarto, quinto Nonas Octobris, ex loculis propter præcedentium ignorantiam admodum vilibus (vt ipse vir sanctus consignatis manu propria literis testatum reliquit) transtulit.

Ea Ecclesia hodiè S. Cuniberti vocatur. S. Annonis vitam reperiet lector 4. Decemb. Vide Tom. 10. Annal. C. Baron. & eius. In Martyr. Rom. Notat.

*VITA S. GERARDI ABBATIS: EX EA quam Gregorius Episcopus Tarracinensis, ad *Gunterum* Bronienſem Abbatem conscripsit. Obijt anno Domini 958.*

**al. Guntherum & Gontir. * Bromienſem. 3. Octob.*

VIR Domini Gerardus claris quidē natalibus illustris, sed morum vitęque integritate illustrior apud Stallerelbas Lomacēsis territorij vicum, patre AEtantio ex prosapia Haganonis Austrasiorū Ducis, matre Electrude, quæ Stephani Tungrorum Episcopi germana fuisse memoratur, procreatus est. Is à teneris vnguiculis pietatis studio mirè deditus, prauorum deuitans consortia, animum assiduis precibus, monitisq; salutaribus erudiebat: quæ, sacrarum ædium terens limina, illic à diuini verbi præconibus hauriebat.

Patria & parētes eius. Spiritalis profectus eius.

Ea tempestate Comes Berengarius Namurcensis castri dominus hunc iuuenem in suā assciuit familiā: eiusque opera magno rei familiaris

Asciscitur in familiam Comitis Berengarij.

Eximiæ virtutes S. Gerardi.

liaris cõmodo vtebatur. Præstabat enim Gerardus non militia tantùm sed &consilio:prorsus vt ea propter pręcipuum apud Comitem & amicitiæ & familiaritatis locum obtineret. Eximia oris facundia,singularis morum comitas,perspicax animi prudentia, mira in colloquijs suauitas, cæteræque haud vulgares corporis animique dotes eum cunctis gratũ reddebant:Comiti vero adeò charum vt ei præ cęteris difficiliora quæque magisque arcana cõmitteret.Lætabatur tanti viri conuictu & contubernio; raroque eum à sua præsentia abesse patiebatur. Hinc cùm die quodam pro nobilium consuetudine cum suis venatum iret,è re sua arbitratus est fore,si hunc quoque sanctum virum secum educeret.Post eum igitur venandi laborem,cum iam prandendi hora Comité cum sua familia domum inuitaret, Gerardus spiritualia corporalibus anteponens, propinquam Bronij adijt ecclesiam; quæ cum quibusdam prædijs adiacentibus ad ipsum successione hæreditaria deuoluta erat. Cum hic esset vir Dei cœpit diuinis vacare contemplationibus,donec accersitus veniret sacerdos, qui diuina perageret mysteria. Dum verò longas nectit moras sacerdos, diuinitus sopore in eum irruente,didicit in visione à B. Petro Apostolo locum formamque oratorij,quod postà exędificauit.

Quanti fecerit eum Comes Berengarius.

Cælitus docetur oratorium construere.

Huius B. Antistitis vitã reperiet lector 15. Nouembris.

Eo verò oratorio constructo, & copiosis ex prędiorum suorum redditibus ditato,multum cogitare cœpit qua ratione beati Eugenij Episcopi & Martyris sacro corpore potiri posset: quod Apostolorum princeps ei in visione

pro-

promiserat. In ea cogitatione crebrò illo versante, Comes Berengarius, oblata occasione, legatos in Gallias ad Comitem Robertum, quem posteà ad regni Frãcorum sceptra peruenisse cõstat, mittere decreuit. Itaque accito ad se Gerardo eam legationẽ obeundam commisit: qui nihil cunctatus paucos intrà dies Lutetiam venit. Cumque vergẽte ad occasum sole, tardior hora vlterius progredi non sineret, dato quibusdam è suis inquirendi opportunũ hospitium negotio, ipse cum paucis, beatorum Dionysij & sociorũ eius, optata imploraturus patrocinia, ecclesiam petijt. Ibi cùm inter alia sanctorum suffragia, Eugenij quoq; cõmemorationẽ fieri audiret, protinùs optatissimi martyris mentione exhilaratus absolutis demùm vespertinis precibus, quosdã ex primis fratribus seorsum abducit, eosque peramanter, vt sibi sancti istius martyris cõcederent reliquias, rogauit. At illi postulatum hoc admirãtes primò renuunt fieri posse, vt talis ac tãti martyris infinitis miraculorũ signis per Gallias celeberrimi corpus transferatur. Sed cùm inter verba vltrò citroque instituta eximiã viri prudentiã atque animi pietatem magis magisque cognoscerent, tandem spem faciunt, vt votis fortassis suis potiri posset, si hoc eodem in loco cælestis militiæ stipendia facere vellet.

Mittitur legatus in Franciam Gerardus.

Visitat S. Dionysum & socios martyres.

Innumera S. Eugenij in Gallijs miracula.

Suadetur ei vt monachus fiat.

Hoc à fratribus illis percepto cõsilio, cœpit æstuare animo, & nunc quidem diuino amore inflãmatus ad castra spiritalis militiæ aspirare, nunc blandientis mundi delicijs atq; diuitijs ab ea mẽte auocari. Cumq; hisce cogitationibus secũ luctans, nunc in hanc nunc rursus in

Varij in animo Gerardi conflictus de eligendo vitæ genere.

illã flecteretur ſententiam,tãdem ſub ipſa nocte manante ab oculis lachrymarum imbre, in has aduerſum ſe prorupit voces:Quid,agimus, anima?quid tãto amore vanitatem ſectamur? Ecquid tãdem mundi huius gloria, quid pompa,quid faſtus emolumenti habent? An nõ friuola hæc,& caduca omnia, inſtar fumi & vmbræ citò euaneſcunt?An non hæc eadẽ infinitis vndiq; periculis circũuenta,dominos ſuos immani ſeruitutis iugo premunt? Quid igitur ſalutarius,quid prudentius fieri poteſt,quã ſpretis labentibus & caducis cæleſtia atque æterna ſectari?Hęc aliaque flens lachrymanſq; athleta Dei dum ſecum tractat,ſol, rubeſcẽte cęlo terris lucem refundẽs, cœpto eum cogit pergere itinere.Rebus autem ex ſententia confectis nõ multò pòſt ad Comitẽ regreſſus eſt. Cui poſtquàm cuncta ordine expoſuit,totus cęleſtis vitæ deſiderio æſtuans,cõſcientiæ ſuę arcana pariter aperuit.Tũ verò Comes ſubortis lachrymis,& crebro ſingultu reſpondens: Itane, inquit, amicorum amiciſſime, amicum prorſus vnanimem deſerturus es? Ecquid verò tibi in me diſplicuit?In te eheu, hactenus ſecurè recumbebam;in mutua inter nos concordia atq; animorum conſpiratione acquieſcebã. Ideoq; ſanè niſi diuinitùs iſthuc fieri exiſtimarẽ; quis te à meo poſſet complexu diuellere? Aſt nunc cum tibi cęlitùs hunc animum adſpirari haud dubitem,fiat voluntas Dei.

Intentionem ſuam manifeſtat Comiti.

Conſentit tãdem Comes.

Talia effatus Comes fraternis oſcula labris impreſſit;lachrymiſque faciem irrigans: permiſit abire gemẽtem.Itaque vir Dei indè recedẽs,rectà ad Tũgrenſem Epiſcopũ Stephanũ tendit,

tendit, vt eius munitus benedictione paratior ad pugnã procederet. Eius igitur Antistis oratione armatus, cum spiritali gaudio ad beati Dionysij monasterium concessit, & capite barbaque rasis monasticum habitum induit; seseque totùm in disciplinam cælestem tradidit: eique monasterio, quæ iuris ipsius essent in Lotaringia, donauit. Et primò quidem, nè ab inerti ocio periculũ immineret, statim, literarum planè rudis, ad prima elementa instar quinquennis pueri ediscenda se contulit; ac tãdem paucos intrè dies nõ ea solum, sed & totũ psalterium memoriæ commendauit. Indè pari animi virtute atque alacritate ad sacros codices gradum faciens, diuinis præclarè est eruditus dogmatibus: ac tandem, nono à conuersione sua anno, post alios ordines iam antè susceptos sacerdotio initiatus.

Relictis omnibus Gerardus fit monachus Parisijs.

Discit prima literarum elementa proiectæ ætatis vir Gerardus.

Initiatur sacris.

Interea vir sanctus cunctis virtutibus egregiè ornatus, opportunum petendi sentiens adesse tempus, & beati Eugenij Martyris sacras impetrandi reliquias, conuocatis in vnum fratribus, pia & luculenta oratione visionis suo seriem exposuit: neque difficile à fratribus suis, quod petebat, obtinuit. Eo igitur potitus thesauro, incredibili delibut' gaudio, ad Bronienſem Ecclesiam, assumptis secum quibusdam professionis suæ monachis, cum eo properauit. Et quidem B. Martyr, vt quondam in Gallia, ita etiam Bronij miraculorum illustribus signis coruscauit atque virtutibus. Porrò vir Dei Gerardus de bono ad meliora contendens, & Broniẽsem Ecclesiã in cunctis prouehere volens, remoto ea ex Cle-

Obtinet reliquias S. Eugenij, & vadit ad Bronienſem Ecclesiam.

B. Eugenius Bronij miraculis celebris.

rico-

ricorum instituto, quod initio ipse eò introduxerat, monasticum illi substituit. Cumque aliquandiu strenuissimi præfecti munus in eò monasterio esset executus, nec ferre posset eò cõfluentis populi strepitũ, electis Prioribus ipse in remotiorem cellulam diuinæ contemplationi perpetuò vacaturus, sese recepit.

Abdicato Præfecti officio abdit se in cellam.

Ea tempestate Vrsidongi Cellenses Clerici (quo in loco S. Gisleni corpus quiescebat) regularis disciplinæ prorsʼ ignari, partim rei familiaris inopia cõpulsi, partim auaritiæ morbo incitati, sacra beati confessoris ossa suis humeris per vicos & plateas cãtãdo quæstûs causa solebãt circumferre. Qua iniuria sanctus iustè offensus, Gisleberto Lotaringiæ Duci secũdum quietẽ apparuit, monuitq; vt eas cõtumelias quotidianas amoueri, & Gerardũ idoneũ monasterij sui pastorem substitui curaret. Dux ea visione incitatus Tietdonem Cameracẽsem Episcopum & Raginerum Hainoẽnsem Comitẽ accersijt, eosq; ad inquirendũ Gerardum & curæ Ecclesiæ istius præficiendũ mittit. Abeũt illi & virũ Dei in suo latitantẽ ergastulo, prodire, & Vrsidongensis monasterij curã suscipere ex Ducis legatione rogãt. Is primò modis omnibus reluctãs, cũ illud onus declinare non posset, admissa Abbatis dignitate, Vrsidungum cum eis profectus est: & quia iam anteà teter malæ famæ Clericorũ istorum odor ad ipsum perlatus erat protinùs omnibus clericis ab illa ecclesia exclusis, in eorũ locum dignã Deo monachorum sodalitatem substituit: & beati Gisleni reliquias, ex Melbodio, quo furtim perlatæ erant, Vrsidongum reduxit.

Ingens abusus SS. reliquiarum.

Monasticam disciplinam introducit Vrsidongum.

Ille

Ille ergo beatus pater pastorali hac cura suscepta, monastica apprimè edoctus disciplinā, omniū sibi ingenia, moresq;, mira quadā charitate deuinciebat, malens subditos amore ducere, quā timore cōpellere. Missarū ferè quotidiè celebrans mysteria, die quodam mulier ex vico Buxuto, qui Cellæ propinquus est, iampridem luminibus orbata, aqua illa qua vir sanctus manus in sacrificio abluerat, cæcas humectans pupillas lumen recepit: quod tamen vir diuinus non suis meritis, sed fidei mulieris & sacramenti virtuti tribuebat. Marchio quoque Arnulphus, qui per id tempus Flandriæ dominabatur, acerbissimis calculi laborans doloribus, cum nulla medicorum industria curari posset, ad beati viri confugiens auxiliū, tali remedio sanitatem ab eo percepit. Suadebat vir sanctus vt ex diuitijs suis, quibus abundabat, aliquid pauperibus erogaret, ac triduano pariter ieiunio Deum sibi propitiū redderet. Sequutus ille prompto animo salutare hoc consilium, cùm expleto ieiunio, ad Christi percipienda mysteria accederet, atque à viro Dei, peracto sacrificio, cælestem panem perciperet, protinùs reddendi lotij appetitu correptus, vna cum Vrina calculum reiecit, pristinamque sanitatem mirabiliter recuperauit. Eo tam insperato potitus beneficio Arnulphus, ingens auri & argenti pondus viro sancto obtulit, quod ille præcisè recusauit, asserens monachum peculium sibi in terris vendicantem, omnis religionis planè expertem esse. Attamen terribilibus Comitis obstrictus sacramentis, tandem omnium facultatum

Cæca curatur.

Arnulphus Marchio Flandriæ curatur à calculo.

En studium paupertatis in S. Gerardo Abbate.

eius decimas pauperibus distribuendas suscipere debuit, quas pro sua prudentia pie ac religiosè dispensauit. Nec hoc tamen contentus Comes, beati viri insigni probitate & religione permotus, Abbatiarũ omniũ, quę eius ditione cõtinebantur, ei procurationem commisit.

Blandiniense monasterium ab impijs occupatum restituit.

Hac ille sanctus pater auctoritate fret', mox creditas sibi oues inuisens, antè omnia Blandiniense monasterium, omni nõ solùm monastica religione nudatum, sed & à sceleratissimis quibusdã clericis, inani nobilitatis titulo inflatis, occupatum, breui in pristinum sanctitatis statum restituit: ac prę̃senti mortis contempto periculo, quam nefandi illi Clerici strictis mucronibus ei machinabãtur, omnibus pietatis & iustitiæ ornamẽtis decorauit. Nec minori cum laude S. Bertini aliquãdiu præfuit monasterio, alijsq; numero octodecim; quæ omnia peruigili cura administrauit. Tandẽ diuini spiritũs reuelatione de obitũs sui die edoctus, sciens imminere diẽ illum, quo esset redditurus rationem villicationis suæ, in singulis cœnobijs sub cura eius degẽtibus, pastores singulos suo loco idoneos præfecit, sicq; pauper spiritu ditioribus monasterijs, quæ gubernãrat, relictis, ad amicam Bronienſis monasterij paupertatem se recepit. Vbi cùm omnia mira solertia disposuisset, & fratrum pectora geminæ charitatis limpidissimo fonte vbertim irrigãsset, iam prouectiori ætate prægrauatus, exitũ suum Corporis & sanguinis Domini perceptione muniens, tandem è corpore ad immortalem vitam transmigrauit.

Omniũ monasteriorum cura abdicata, Bronium repetit.

Migrat ad Dominum.

VITA S. PETRONII, BONONIENsis Episcopi: Ex ea quam Carolus Sigonius vir doctissimus ex vetustis monumentis excerpsit. Quo tempore floruerit, patet infrà.

Vide C. Baron. Not. in Martyr. Roman. & Tom. 5. Annal. 4. Octob.

PETRONIVS Bononiæ Episcopus, patre Petronio ciue Constantinopolitano viro clarissimo & homine literarum disciplinis egregiè erudito natus est. Nam cum is prætorij præfecturam, quę dignitas apud Imperatores amplissima fuit, gessit, tum librum de Episcopi ordinatione, plenũ doctrinæ & Christianæ pietatis conscripsit. Hic igitur vt Græcè & Latinè doctus erat, sic filiũ Petronium erudiendum, Christianisq; moribus inprimis atq; optimarum artium doctrina instituendum curauit. Itaque puer breui in magna rerum cognitione progressus, in sanctè viuendi institutis ita profecit, vt frequenti ciuium sermone eius sanctitas celebraretur. Spiritu enim Dei ductus, cum rei omnis initiũ ab oratione fieri oportere intelligeret, nihil aggredi solebat, nisi primò Ecclesiam ingressus, sanctioribus precibus rei agendæ auxilium à Deo imploraret; ad eum vnum referens cogitationes, actiones & studia sua.

Patria & parẽtes eius.

Optimè instituitur à parente.

Cuncta sua ab oratione auspicatur.

Confirmata iam ætate, ardore quodam Christianæ religionis vehementius inflammatus, monachorum inprimis amore flagrauit; quorum eo tempore disciplina erat in AEgypti solitudinibus florentissima. Quarè, etsi quæcunque illi piè religioseque agerẽt ab alijs ipse cognôrat: tamen cum ad instituti sui rationem non satis esse putaret, ea auribus percepisse

pisse, oculis perlustranda esse existimauit; tum loca, tum cætera omnia quæ studiosè audierat. Itaque intimam AEgypti eremum penetrans, singulorum colloquio vti non destitit, quoad planè sancta eorum instituta cognouit. Indè domum reuersus, illam disciplinam tam vehementer amauit, vt literarum monumentis tradiderit monachorum vitas: quas religiosè cōscriptas, valdeque probatas ijdem monachi amplexi sunt, quasi certas quasdam regulas, in quibus maximè eluceret omnis optima monastici instituti sui ratio.

Proficiscitur in AEgyptū vt exactè sanctorū monachorum hauriat disciplinas.

Omni igitur cura & cogitatione vir religiosus in sanctissimis Christianæ fidei institutis defixus, quò magis in dies contemplationi accēderetur, AEgypti solitudine iam peragrata, Hierosolymam peregrinari statuit; vbi peractæ redemptionis nostræ vestigia Christus reliquit verus Deus & homo. Itaque cum ad eam vrbē venit, totus meditationis studio exardescens, Domini sepulchrum inprimis, ceteraque illius sacra rerum gestarum monumēta sanctè & religiosè veneratus est: eorumque situ ac rationem, quò magis ad contemplationem fixa in animo hærerent singulari diligētia notauit. Quamobrem meritò quidem Theodosij iunioris, qui tùm imperabat, gloriosissimi principis gratiam & amorem sibi ità conciliauit, vt is sanctitatis opinione non minus auctoritatis apud illum obtineret, quàm pater rerum gestarum industria obtinuisset.

Visitat sacratissima Redemptionis nostræ loca.

Nam pietate ad Dei religionem attentissimi viri & prudētia cognita, Theodosi⁹ eius potissimum opera, Nestoriū Constantinopolitanū Episco-

Episcopum, peruerso dogmate sanctissimam Catholicæ fidei doctrinam violare conantem, opprimere statuit. Itaq; princeps Theodosius eius rei causa vniuersæ Ecclesiæ pastorem Romanum Pontificem consulendum sibi existimans, Petronium Romam legatum misit, qui rem cum Cælestino Pōtifice diligenter ageret. Factum est autem Dei consilio vt eodem quoq; tempore Bononienses legati Romæ adessent, alium à Pontifice, in defuncti recēns Felicis Episcopi, qui intimus S. Ambrosij Mediolani Episcopi sodalis extiterat, antistitem petituri. Paulò autem antè, quàm ij legati Romam aduentassent, diuina voluntate à S. Petro Apostolo in somnis Cælestinus Pontifex admonitus est, vt quando Felix Bononiæ Episcopus è vita hac migrasset, Petronium qui legatus à Theodosio Imperatore missus, ad Vrbē propediem affuturus erat, Bononiensibus Episcopum præficeret. Qua quidem re commotus Pontifex, cùm iam Petronius simul & Bononienses adessent, ac sua vtriq; postulata exposuissent, quę per quietem acceperit, eis ostendit; atque Petronium idoneum Felicis successorem se dare pronunciauit. De re autem Nestoriana, quam ille Theodosij nomine retulerat, collaudata primùm religiosi illius principis pietate, priuatim ei respondit; se, nè ea pestifera hæresis latiùs serperet, œcumenicam, vt moris esset, Synodum indicturum: quæ Synodus Ephesi prior sequenti anno celebrata est, frequenti ducentorum Episcoporum conuentu.

Theodosius Imp. Romānum Legatū mittit cōtra Nestorium hæreticum. Anno Domini 430. iuxta Baron. Tom. 5. Annal.

Cælestinus Pontifex diuinitus monetur, vt Petronium Bononiensem creet Episcopum.

Prima Synodus Ephesina œcumenica: de qua consule Tom. 5. Baron.

Diuinæ igitur voluntatis significatione declaratus à Pontifice Bononiæ Episcopus Petro-

nius;cùm diuinitus ſibi delatum munus deprecari non poſſet,Pontificis iuſſui neceſſariò obtemperauit,floruit autem is Romanę ſedis eximius Pontifex Cæleſtinus Anno Chriſti 430.& alijs:Theodoſio & Valentiniano Impp. Itaque datis,vt Pontifex iuſſerat,ad Theodoſium literis de Synodo contra Neſtorium Epheſi cõuocanda, Bononiam Roma vnà cum legatis profectus eſt. Fuit ab effuſa omnium ætatũ atque ordinum gratulantis ciuitatis multitudine honorificè exceptus,& in cathedram collocatus.

Creatur Pontifex Bononienſis,à Cæleſtino Papa: qui floruit anno Chriſti 430.&c.

Eo tempore quo Bononiam ad explendas optimi paſtoris partes venit,Arianæ hæreſis reliquiæ nondum prorsùs extinctæ erant: & Eccleſiæ multæ nefaria eorum impietate & Barbarorum ſimul,qui proximè in Italiam irruperant,immani feritate euerſæ ac proſtratæ iacebant.His malis inprimis occurrendum exiſtimans,primùm doctrina & ſanctæ vitæ officijs ciuitatem inſtruere,propoſitoque S.Ambroſij exemplo,fidem Catholicam, Ariana perfidia violatam, reſtituere ſummoperè contendit. Deindè templa Dei diſturbata, atque euerſa refecit; & alia item noua, quo maior ad Dei cultum in dies acceſſio fieret, ſummo Bononienſium ſtudio ædificauit. Dum autem in conſtruendis Eccleſijs opera & induſtria multorum ſudarent,mirifici operis in Dei nomine edendi occaſio ei eſt oblata. Nam faber quidam non tam viribus corporis, quàm ingenio fretus,obnixè columnam marmoream, operis & inſtrumentis adiuuantibus, erigebat: ſed funibus,quibus columna tollebatur, effractis,ille repẽtina columnę ruina oppreſſus, interijt.

Eccleſias ab Arianis & barbaris diſturbatas reſtaurat.

Ea

Ea re audita, beatus Petronius accurrit, orationeque ad Deum habita, fabrum, qui mortuus iacebat, ad vitam diuinitùs reuocauit; omnibus, qui præsentes aderant, cùm rei admirabilis spectaculo obstupescentibus, tum Petronij Episcopi sanctitatem certatim inter se collaudantibus. *Excitat mortuum.*

Ne verò quid officij, quod à se proficisci posset, erga populũ Bononiẽsem prætermitteret, Theodosij Imperatoris, cui charissimus erat, & ciuium Bononiensium, quos vnice in Christo diligebat, auxilio vsus, vrbis ambitum auxit. His igitur operibus perfectis, vir sanctus Constantinopolim reuersus, pro ea, qua multum apud Theodosium valebat, auctoritate, sacras multas ex ea vrbe alijsque locis reliquias trãsferendi facultatem impetrauit: quibus mox domũ indè regressus, erectas à se Ecclesias piè ac religiosè ornauit. *Exornat Ecclesias SS. Reliquijs.*

Cùm ergò aliquot annos exemplo vitæ pietatisque operibus Bononiensem Ecclesiam administrasset, & vrbi præclaro ornamento fuisset, demùm morbo correptus, cùm obitus sui tempus instare sentiret clericos ad suos vocauit, eiq; Ecclesiã ac fidem Orthodoxam quàm grauissima potuit oratione commendauit. Paulò pòst omnibus Ecclesiæ minutis sacramentis, Theodosio & Valentiniano Imperatoribus migrauit ad cælum: qui multis etiam post obitum miraculis clarus, vt præcipua à Bononiensibus coleretur religione promeruit. Eius corpus in Ecclesia S. Stephani sepultum est; quod multis pòst seculis diuino consilio ciuitati ignotum, Innocentio secundo Pontifice inuen- *Obitus eius.* *Operatus est miracula post mortẽ.* *Corpus eius inuenitur anno 1141.*

inuentum est, dum sacras reliquias Henricus Episcopus recenseret; quas in ea Ecclesia extare, à maioribus traditum erat: Vixit autem ijsdem ferè temporibus in Gallijs eiusdem nominis Episcopus; anno nimirum Domini 452. fortasse ille, ad quem extant duæ Sidonij Apollinaris epistolæ.

VITA BEATISSIMI PATRIS FRANCISCI: Ex ea quam S. Bonauentura, Cardinalis & Episcopus Albanensis doctissimus eiusdem instituti sectator conscripsit. Migrauit ex humanis anno Domini 1226. Relatus inter sanctos à Gregorio Papa nono, anno 1228. XVII. Kalend. Augusti. Translatum est corpus eius anno 1230. VIII. Kal. Iulij: ad basilicam in honore ipsius constructam.

Vide Notat. C. Baron in Martyrol. Rom.

4. Octob. EGREGIVS planè vir Franciscus, Assisij ciuitate oriundus, omnibus extrà controuersiam cælestis philosophiæ ornamentis decoratus, admirabile planè suæ conuersionis habuit initium. Etenim cùm inter vanos mundanosque homines, in vanis iuuenili ætate fuerit enutritus, & post aliqualem literarum notitiam lucratiuis mercatorum negocijs deputatus, nequaquam tamen inter lasciuos iuuenes, quamuis effusus ad gaudia, carnis sese petulantijs tradidit; nec inter cupidos mercatores mentem in pecuniæ thesauros per fas perque nefas coaceruandos defixit. Inerat namque ei ardens quoddam pauperibus benignè faciendi studium, & insita quædam diuinitùs erga inopes & calamitosos miseratio: pror-

Patria eius.

Optima eius indoles.

Eius benignitas in pauperes.

prorsus vt neminem pro Dei amore stipem petentem vacuum à se dimittere proponeret. Cũ autem quadam vice solis negociationis intentus tumultibus, præter insolitum morem pauperem à se repulisset, statim pœnitudine ductus, rapido cursu illum assecutus est, & eleemosyna clementer impensa, promisit Domino Deo nunquàm deinceps se pauperi pro facultate stipem pro amore Dei petenti negaturũ. Quod sanè ad extremum vitæ spiritum indefessa pietate vir sanctus obseruauit. Porrò animi lenitas cùm eximia morum elegantia coniuncta, cæteræque dotes, quibus bonæ indolis adolescens certis florere conspiciebatur indicijs, quædam videbantur esse præludia, quibus à Domino tandem ad summę perfectionis sanctitatisque culmen prouehendus erat.

Virtutes eius adhuc laici.

Hinc vir quidam miræ simplicitatis à Deo, vt creditur, eruditus, cùm aliquando per ciuitatem eunti obuiaret Frãcisco, suum ipsius pedibus venerabundus strauit vestimentum; asserens eum omni reuerentia dignum; vtpotè qui breui magna facturus, ab vniuersa fideliũ plebe magnificè esset honorandus. Cęterùm Franciscus diuini erga se consilij ignarus, rerumq; cælestium adhuc rudis, mundanis sese oblectabat voluptatibus; donec à Patre misericordiarum diutinis afflictus languoribus ex afflictione corporis ad spiritalis vitæ intelligentiam paulatim excitari cœpit. Cùm itaque ex longa infirmitate resumptis viribus, solito more cultioribus se vestibus induisset, fortè obuium habuit militem generosa quidem animi virtute insignem, sed pauperem satis, sordibus mi-

Vaticinium cuiusdam de eo.

In aduersis eruditur à Domino.

serè

ſerè ſqualentem:quem protinùs pio miſeratus affectu,ſuo illum habitu donauit, & benignè admodùm eius penuriam ſubleuauit. Nocte verò ſequenti,cùm ſe ſopori dediſſet, vidit regiam,ſpecioſam & magnam, militaribus armis Chriſti Crucis ſignaculo inſignitis, mirificè fulgentem,alijsque rebus ſplendidis ac preciosis ornatum.Cumque cunctabundus cuiuſnam illa forent omnia,quęreret,audiuit ea ſua futura,pro eleemoſyna pauperi militi benignè impenſa. Ea viſione incredibiliter exultans Franciſcus diſpoſuit, vtpotè rerum diuinarum adhuc rudis,in Apuliam ad Comitem quendã liberalem admodùm ſe conferre; ſperans ſe ibidem offenſurum militiæ decus & gloriam ilicò adepturum. Cumque paulò pòſt iter aggreſſus,ad proximam ciuitatẽ diuertiſſet, nocte audiuit familiari ſibi ſermone dicentẽ Dominum:Franciſce,quiſnam melius tibi facere potens eſt?Dominus an Seruus? Diues aut pauper?Cui cùm Franciſcus promptè reſpõdiſſet: Vtique tam Dominum quàm diuitem melius facere poſſe, intulit ſtatim: Cur ergò tu pro ſeruoDominum:pro paupere homine diuitem Deum relinquere ſtatuis? Reuertere igitur in terram tuam, ſpiritalibus à me opibus, non terrenis ditandus.

Viſio eius.

Vult ſe dare militiæ, ſed diuinitus reuocatur.

Mane itaque facto, cum feſtinatione Aſſiſium reuerſus, cœpit abdicato publicæ negotiationis tumultu,diuinam attẽtiùs opem implorare:vt quid ſibi facto opus eſſet, clariùs oſtendere dignaretur. Itaq; frequenti orationis vſu cæleſtis deſiderij flammam quotidiè accẽdens,à mundi cõtemptu ſuique ipſius victoria ini-

Aggreditur vitam ſpiritualẽ ab humilitate.

initium auſpicatus eſt. Quadam die per planitiem, Aſſiſio ciuitati ſubiacentem inequitans, fortè inopinato occurrit leproſus: qui prima fronte non paruum ei incuſſit horrorem. Sed mox propoſiti ſui memor ad deoſculandum eum, equo lapſus, accurrit. Cui cùm manū, quaſi aliquid accepturus, leproſus protēderet, pecuniam cum oſculo reportauit. Indè aſcēdens rurſus equum cùm ſe circumquaque conuerteret, leproſum illum minimè vidit. Admiratione itaque repletus & gaudio, ardenti deſiderio ſeipsū ad maiora excitauit: ac proindè ſolitaria loca mœroribus amica requirens, gemitibus inenarrabilibus Domini clementiam inceſſanter deprecatus eſt. Nec in vanum multiplicatæ preces. Nam die quadā nimio in Deū feruore abſorptus, ipſum Saluatorem veluti cruci confixum conſpicatus eſt: cuius aſpectu adeò paſſionis Chriſti memoria cordi ipſius medullitus eſt impreſſa, vt à lachrymis gemitibusque ad primam eius recordationem deinceps ſibi nunquàm temperare poſſet. Itaque vt Chriſti Saluatoris ſui veſtigijs viriliter inſiſteret, multò vehementiùs ſuijpſius contemptum expetere: paupertatem humilitatemque totis viribus ſectari: leproſorum hominum conſortia adamare: eiſque humanitatis obſequia benefica pietate præſtare.

Chriſtum oſculatur in leproſo.

Vidit Chriſtum crucifixum.

Cùm aliquando limina Apoſtoli Petri viſitaret, cōſpecta pauperum multitudine antè fores eccleſiæ, partim pietatis dulcedine ductus, partim paupertatis amore allectus, vni ex eis magis egēti proprias largitus eſt veſtes: illiuſque

Summus amor paupertatis.

que contectus semicinctijs, diem illum in medio pauperum cum insolita spiritus iucunditate transegit: spretoque secularis gloriæ fastu, quasi gradatim ad Euangelicam perfectionem conscendit. Et quia seruus altissimi nullo ductore doctoreve per ignotas semitas ambulabat, Christus Dominus en altera vice eum visitare dignatus est.

En insigne miraculum in imagine Crucifixi.

Cùm die quadam in S. Damiani, quæ præ nimia vetustate ruinam minabatur, antè Crucifixi imaginem nõ sinè lachrymis prolixiùs oraret, vox de ipsa Cruce ad eum dilapsa; Vade, inquit, Frãcisce & labantem domum meam restaura. Tremefactus ea voce Franciscus, mẽtisque excessu alienatus, cùm ad se tandem reuersus esset, surrexit; sumptisq; pannis venalibus Fulgineum abijt: ibique venditis, quæ portauerat, pariter & equo, cui insederat; assumpto precio, cuncta dereliquit. Redienque Assisium pauperi cuidam sacerdoti in illa fortè ecclesia inuento pecuniam ad templi restauratione deuotus obtulit: & habitationem ad tẽpus apud eum requisiuit.

En pecuniarum contemptum.

Acquieuit sacerdos petitioni ipsius, sed oblatam pecuniam timore parentũ recusauit. Quam verus pecuniarũ contemptor in quãdam fenestram proijciens, abiectam velut puluerem vilipendit.

Latitans quæritur à patre.

Moram autem faciente seruo Dei cum sacerdote, parens animo perturbato ad locum venit. At ipse, auditis persequentium minis, occultam quandam in foueam diebus aliquot se abdidit: ac deindè damnata apud semetipsum pusillanimitatis ignauia, relicta fouea & abiecto pauore Assisium versus iter aggressus est.

Quem

Quem cùm ciues facie ſqualidũ ac mente mutatum cernerent, ac per hoc à ſenſu alienatum putarent, luto platearum & lapidibus impetebant: & tanquam inſano & dementi clamoſis vocibus inſultabant. Cumque clamorem huiuſmodi audiſſet pater, ſtatim accurrens, non ad liberandum, ſed perdendum potiùs, omni miſeratione ſubtracta, pertractum, domi primò verbis, deindè verberibus & vinculis angit. Ipſe autem nulla fractus aut mutatus iniuria, ad exequendum opus Domini promptior validiorque reddebatur.

Multis iniurijs afficitur à ciuibus.

Item à patre.

Conſtantia eius.

Poſt hæc patre è patria rei domeſticæ cauſa diſcedente, mater eius à vinculis abſolutũ abire permiſit. Pater autem domum reuerſus, eoque non inuento, illatis vxori conuicijs, fremens furensque eum inquiſiuit: vt, ſi reuocare non poſſet, de prouincia effugaret. Franciſcus verò Chriſti gratia confortatus, furenti ſe vltrò obtulit parenti, libera voce clamãs, ſe pro nihilo vincula & verbera ducere: inſuper & conteſtans ſe pro Chriſti nomine gaudenter mala omnia ſubiturum. Videns itaque pater inflexibilem eius conſtantiam, ad extorquendam pecuniam ſe conuertit. Qua tandem in feneſtella inuenta, aliquantulùm ipſius mitigatus eſt furor; auaritiæ ſiti vtcunque per hauſtum pecuniæ temperata. Tentauit deindè pater carnis, filium gratiæ pecunia iam nudatum ducere coràm Epiſcopo ciuitatis, vt in ipſius manibus facultatibus renunciaret paternis, & omnia redderet, quæ habebat. Ibi tunc Franciſcus coràm Epiſcopo, continuò omnibus depoſitis veſtimentis, reſtituit ea patri: Reper-

Contemnit vincula ac verbera.

Renunciat omnibus facultatibus.

En vt occulte carnem domabat.

tus est autem vir Dei, cilicium habere ad nudam carnem sub vestibus delicatis. Insuper ex admirando feruore, spiritu ebrius, reiectis etiam femoralibus, planè denudatus, inquit ad patrem: Vsque nunc vocaui te patrem in terris: amodò autem securè dicere possum: Pater noster, qui es in cælis: apud quem omnem reposui thesaurum, & omnem spei fiduciam collocaui. Hoc cernens Episcopus & admirans tam excedentem in viro Dei feruorem, protinùs exsurrexit, & inter brachia sua cum fletu eum recolligens pallio, quo erat amictus, operuit: præcipiens suis vt aliquid ei darent ad membra corporis contegenda. Oblata est ei toga vilis & abiecta cuiusdam agricolæ Episcopo seruientis; quam ille gratanter suscipiens cœmento ad modum crucis consignauit.

Denudatus à patre, iterum vestitur ab Episcopo.

Solutus exindè mundi contemptor à vinculis mundanarum cupidinum, ciuitate relicta, securus & liber secretum solitudinis petijt, vt solus & silens supernæ audiret alloquutionis arcanum. Dumque per siluam quandam iter faciens laudes Domino lingua Francorum, vir Dei Franciscus, cum iubilo decantaret: latrones ex abditis super eum irruentes, ferali animo, quis esset, interrogârunt. Quibus ille confidentia plenus respondit: Præco sum magni Regis. At illi verberibus afflictum in defossum niuibus plenum proiecerunt locum, dicentes: Iace rustice præco Dei. Ipse verò, recedentibus illis, magno cum gaudio de fossa exiliens, altiori voce per nemora laudes creatori omnium personabat: Indè ad vicinum delatus cœnobium

Incidit in latrones.

nobium ſtipem petijt: quam, vt incognitus & deſpectus, recepit. Agnitus verò Eugubij à priſtino quodam amico, & humaniter ſuſceptus, paupere tunicula, vt Chriſti pauperculus eſt contectus. Exindè totius humilitatis amator ad leproſorum obſequia ſe totum contulit: lauans ipſorum pedes; vlcera ligans; plagarumque educens putredinem ſaniem abſtergebat. Inter ea admirādæ humilitatis pietatisque officia, quidā, cuius os & maxilla fœdo illo horribiliique morbo depaſta penè erant, oſculo Franciſci ſanitatem recepit.

Franciſcus leproſorum ſeruus oſculo ſanat leproſum.

Hiſce tam profundis firmisque humilitatis charitatisque fundamentis præclarè poſitis, iterū ſeſe Aſſiſium contulit, vt diuinæ voci obediens ſaltem mendicando Damiani Eccleſiam reſtauraret. Igitur depoſita omni verecundia, apud eos, inter quos abundare ſolebat, mendicitatem exercebat: effecitque mendicando, laborandoque (neq; enim attritum ieiunijs corpus ac debile, lapidum onerib. ſupponere) verebatur) vt breui prædicta eccleſia reficeretur. Ea verò refecta, nè poſt laborem corpus torperet ignauia, tranſtulit ſe ad reparandam B. Petri eccleſiam longiùs à ciuitate diſtantem: qua ſimiliter conſummata peruenit ad locum, qui Portiuncula dicitur: in quo eccleſia Virgini Matri quondam ſacra, penitus deſerta videbatur. Eo in loco placuit pedem figere: quòd ſentiret Angelicarum ibidem viſitationum frequentiam: iuxta nomen ipſius eccleſiæ, quo ab antiquo, Sancta Maria de Angelis vocabatur. Hunc locum vir ſanctus præ cæteris mundi locis adamauit. Hîc etenim cœpit, hîc vir-

Aſſiſij mendicat.

Tria templa inſtaurat.

Eligit locum S. Mariæ de Portiuncula.

virtuoſe profecit; hic fœliciter conſummauit: hunc in morte fratribus, tanquam Virgini chariſſimum commendauit.

In ea igitur Eccleſia vir Dei, die noctéque precibus vacans, cum die quadam inter Miſſarũ ſolennia illud Euãgelici audiret, quo Chriſtus diſcipulis ad prædicandum mittẽdis, formam viuendi euangelicam præſcribit, nè videlicet poſſideant aurum vel argentum; nec in zonis pecuniam; nec peram in via: nec duas tunicas habeant: nec calceamenta deferant, neque virgam: protinus Apoſtolicæ paupertatis amicus, incredibili perfuſus lætitia: Hoc eſt, inquit, quod cupio, hoc quod totis præcordijs concupiſco. Soluit proindè calceamẽta de pedibus: deponit baculum: peram & pecuniam execratur: vnaque contentus tunicula, reiecta corrigia, pro cingulo funem ſumit, Apoſtolicisque ſe regulis per omnia coaptat. Cœpit ex hoc vir Dei diuino inſtinctu Euangelicæ perfectionis æmulator exiſtere, & ad pœnitentiam cæteros inuitare. Erant autem ipſius eloquia non inania nec riſu digna, ſed virtute Spiritus ſancti plena: quæ cordis medullas penetrantia vehementem in ſtuporem conuertebant audientes. Cuius quidem ſimplicis doctrinæ veritas & vitæ ſinceritas cùm multis paulatim innoteſceret, cœpêre ipſius exemplo viri quidam ad pœnitentiam animari, eidemque, reiectis omnibus, habitu vitaque coniungi. Quorum primus vir venerabilis Bernardus extitit: tertius AEgidius: haud vulgari ſanctitate præditus & celebri memoria dignus. Peruenit tandem eodem tempore ad ſepte-

Matth. 10.

Admirabile ſtudiũ paupertatis.

Multos ad Dominum conuertit.

Bernardus primus eius ſocius.

Huius S. AEgidij vitam reperiet lector 23. Aprilis.

ſeptenarium numerum benedicta viri Dei ſoboles.

Tunc pius pater de aliorum ſimiliter ſalute vehementer ſolicitus, conuocatis ad ſe fratribus, plura ad illos de regno Dei, de mundi cõtemptu, de propriæ voluntatis abnegatione diſſeruit: ac poſtremò ſuum illis propoſitũ de mittendo eos in quatuor orbis partes aperuit. Et quidem ſciens ſe illis in exemplum datum, vno ſociorum ſibi aſſumpto verſus vnam orbis perrexit partem; reliquos ſex ad modum Crucis alijs tribus mundi partibus deputauit. Cæterùm pro viatico ſingulis hoc pſalmographi tribuebat, inculcabatque: Iacta cogitatum tuũ in Domino, & ipſe te enutriet. Modico autem elapſo poſt tempore, benignus pater charæ prolis exoptans præſentiam, cùm per ſe in vnum eos conuocare non poſſet, precibus ſuis à Domino obtinuit, vt omnes inſperato non ſine ipſorum admiratione pariter conuenirẽt: quo tẽpore, alijs viris quatuor cum primis honeſtis illi adhærentibus, ad duodenarium numerum excreuerunt.

Mittit fratres ſuos ad prædicandũ.

Pſalm. 54.

Cernens autem Chriſti famulus paulatim accreſcere fratrum numerum; ſibi ſuisque vitæ formulam ſimplicibus ſcripſit verbis: eamque Romam profectus, de ſola confiſus directione diuina ac cæleſti viſione oblata roboratus, Põtifici confirmandam obtulit. At Põtifex in palatio Lateranenſi, altis occupatus meditationibus, deambulans, primò Chriſti famulũ tanquam ignotum repulit indignanter. Sed nocte ſequenti diuina reuelatione edoctus, mandauit per vrbem ſedulò eum inquiri: inuentumque

Conſcribit Regulam.

Viſio Pontificis.

que ad se confestim adduci. Præerat tunc Sedi Apostolicæ Innocentius tertius: vir vtique sapientia clarus; qui quanquàm tacitus, simplicis animi puritate Francisci perspecta, propositi constantiam ignitumque sanctæ voluntatis feruorem amore complecteretur; distulit tamen postulata probare: maximè quòd Purpuratis quibusdam Patribus nouum aliquid, & suprà humanas vires arduum proponere videretur. At verò Franciscus proposita parabola, Regis cum paupere, eaque formosa muliere, matrimonium ineuntis; Non est, inquit, formidandum, quod fame pereant æterni Regis filij & hæredes; qui ad imaginem Regis Christi per Spiritus sancti virtutem de paupere matre nati, & ipse per spiritum paupertatis sunt in religione paupercula generandi. Si enim Rex cælorum imitatoribus suis regnum promittit æternum, quãto magis illa subministrabit, quæ communiter largitur & bonis & malis? Hac audita parabola Christi Vicarius, cùm haud mediocriter miraretur, tum cælesti visione alia, ad postulata sine vlla dubitatione concedenda, admonitus est. Videbat namque in somnis Lateranensem Ecclesiam ruinæ iam proximam dorso cuiusdam pauperis, eiusque despecti, sustentari. Qua potissimùm visione excitatus, oblatam non modo à Francisco regulam approbauit, sed & alia cuncta, quæ vellet, benignè ac largè se facturum promisit. Porrò eandem Regulam vir sanctus postmodùm cóprehensius scriptam, ab Honorio Papa quoque confirmari curauit.

Proponit Pontifici parabolam.

Alia Pontifici exhibetur visio: & regulam S. Francisci approbat.

Fretus exindè Franciscus superna gratia & Pon-

Pontificis auctoritate, iter versus Vallem Spoletanam arripuit. Cumque in via de perfectionis studio diutius inter se tractarent, iamque labore itineris fatigati & fama sitique exhausti insolitudine subsisterent, neque vlla alimoniæ spes præ manibus esset, eccè diuinitùs homo adfuit, qui tradito illis pane, subitò rursus euanuit. Eo diuinæ liberalitatis dono magis, quàm cibo exhilarati; statuerunt firmiter nullius inediæ, aut tribulationis impulsu à sanctæ paupertatis resilire proposito. Igitur ad Vallem Spoletanam reuersi cum fluctuarent animo, solitariane loca, an publica incolere deberent; Franciscus per orationis instantiam supernæ reuelationis impletus oraculo, intellexit ad hoc à Dño se missũ, vt Christo lucraretur animas, quas diabolus conabatur auferre.

Panis ei & socijs diuinitus præbetur.

Igitur pusilli gregis pastor Franciscus, duodenarium illum fratrum numerum, ad S. Mariam de Portiuncula deduxit, vt vbi meritis Matris Domini, Minorum sumpserat ordo initium ipsius illic susciperet auxilijs incrementum. Ibi factus Euãgelicæ veritatis præco strenuus, ciuitates circuibat & castra; cunctos verbis factisque ad cælestia inflammans, & copioso fœtu societatem suam multiplicans: adeò vt ad extremos vsque orbis terræ fines, veri paupertatis professores peruenirent. Alij quoque quam plurimi vtriusque sexus omnis conditionis, prædicationis ipsius feruore succẽsi, secundũ formã à viro Dei acceptã nouis se penitẽtiæ legib. vinciebant: quorũ viuẽdi modũ idẽ Christi seruus ordinẽ fratrum de pœnitentia nominari decreuit. Et quidẽ inter illustres virgi-

Deducit suos ad S. Mariam de Portiuncula.

Mirifice Ordo multiplicatur.

Instituit Ordinem fratrũ de Pœnitentia.

Huius vita extat 12. Augusti.

virgines quæ ad perpetuum cœlibatum conuertebantur, virgo Deo chariſſima Clara, virtutũ meritis ac generis nobilitate clariſſima, iplarum plantula prima, tanquam flos vernans & candidus odorem dedit, & tanquam ſtella præfulgida radiauit. Proceſſu verò temporis, multiplicatis iam fratribus, cũ in loco B. Virginis de Portiuncula generale vt vocãt, Capitulum indixiſſet, fratrumque multitudo vltra quinque millia conueniret, diuina opitulante clementia, & victus ſufficientia ſuberat, & ſpiritualis iucunditas affluebat.

Ex diuinam prouidentiam.

Cùm autem vir ſanctus cerneret indies ſuo exemplo plurimos ad ſpiritalis militiæ caſtra trãſire, ipſe inſtar optimi ducis ad palmam victoriæ per culmẽ inuictæ virtutis ſuis præibat, tantaque diſciplinæ rigiditate ſenſuũ cupiditates elidebat, vt vix corporis neceſſitati ſatisfaceret. Difficilè namque fore dicebat, & naturæ neceſſitatibus facere ſatis, & pronitati ſenſuum non parere. Hinc ſanitatis tempore cocta rarò admittebat cibaria: admiſſa verò aut cinere conficiebat, aut condimenti ſaporẽ aquę admixtione inſipidum reddebat. De potu verò quid dicã: cum & aqua frigida æſtuantẽ ſitis ardorem rarò plenè extingueret. Nuda humus laſſato corpuſculo, vt frequentiùs, lectus erat: & ſæpiùs ſedens ligno vel lapide capiti ſuppoſito, dormiebat.

Auſteritas vitæ eius.

Porrò qua animi virtute, qua conſtantia hoſtium vel inſidias eluſerit, vel inſultus infregerit: hoc inſigni clariſſimè patet exemplo. Quotieſcunque ardentem libidinis flammã in ſuo corpore præſentiſceret, mox in foueam glacie

plenam

plenam ſeipſum plerumque mergebat, vt cādi dum pudoris veſtimentum, à voluptatis incendio præſeruaret. Aliquando verò cum vehementior carnis tentatio eum infeſtaret, primò depoſita veſte, funiculo ſeipſum ſeuerè caſtigauit: Indè admirādo ſpiritûs feruore animatus, aperta cella, foras in hortum proſiliens, nudum ſe planè in magnam demerſit niuem; ſeptemque ex ea plenis manibus compingens maſſas, ſuo ſic exteriori homini loquebatur. Eccè hæc maior vxor tua Franciſce; quatuor iſtæ, duo filij & duæ filiæ: reliquæ duæ, ſeruus & ancilla. Feſtina igitur omnes induere, quoniā frigore moriuntur. Si verò multiplex eorū ſolicitudo moleſtat, vni Domino ſolicitè ſerui. Hoc ſtratagemate & hoſtis ilicò fugatus eſt; & vir diuinus cum victoria ad cellam reuerſus, nūquam deinceps à libidine impugnatus fuit. Non modò autem mortificari debere dicebat, vitia carnis, & eius incetniua frenari; verum etiam exteriores ſenſus, per quos mors intrat ad animam, ſumma viligantia cuſtodiri. Mulierum familiaritates, colloquia & adſpectus qui multis ſunt occaſio ruinæ ſolicitius euitari iubebat: aſſerens per huiuſmodi debilem frangi, & fortem ſæpè ſpiritum infirmari. Docuit inſuper diſcretionem in omnibus ſectandam, vt aurigam virtutum; non eam quidem quam caro ſuadet: ſed quam edocuit Chriſtus ſacratiſſima vita ſua.

Egregiè inſe ardorem libidinis compeſcit.

Senſus cuſtodiendi.

Hieremi. 9.

Fæminæ vitanda.

Ociū autem omniū malarum cogitationum ſentinā, docebat ſummoperè fugiendū, & rebellem ac pigram carnem diſciplinis cōtinuis & fructuoſis laboribus edomandā. Vndè corpus

Ocium ſummoperè cauendum.

pus suum fratrem asinum appellabat;tanquam laboriosis subdendum oneribus, crebris cædēdum flagellis, & vili pabulo sustentandum. Porrò licet iam esset adeptus cordis & corporis puritatem mirabilem, non cessabat tamen lachrymarum imbribus iugiter oculos expiare mentales, corporeorum luminum non ponderando iacturam. Cum enim ex continuo fletu infirmitatem oculorum incurrisset grauissimam,suadente sibi medico, quod abstineret è lachrymis, si corporis visus cæcitatem vellet effugere, vir sanctus respondit: Non est, frater medice,ob amorem luminis quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis æternæ repellenda vel modicum: quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit. Malebat siquidem corporalis visûs lumen amittere: quam lachrymas,quibus oculus mundatur interior impedire. Humilitatem verò, quæ omnium virtutum custos est & decor, tanta contentione animique pertinacia sectabatur,vt frequenter omni seposito pudore,suos ipse defectus populo panderet; seque peccatorum omnium maximum pronunciaret.Cumque frater quidam hoc sana cōscientia eum dicere nō posse assereret,ille: Immò inquit,si quantumcunque sceleratum hominē tanta fuisset Christus misericordia prosequutus,arbitror sanè,quòd multò quàm ego, Deo gratior esset.Laudantibus verò eum dicere solebat:Filios & filias adhuc habere possum,nolite laudare vt securum. Nemo laudandus, cuius incertus est exitus. Et ista quidem laudantibus;

Perpetuis lachrymis oculos valdè lædit.

En vt retudit superbiæ tumorem.

tibus ; ſibi verò hoc frequenter inculcabat: Latroni ſi tanta contuliſſet altiſſimus, gratior te foret, Franciſce. Accidit vt ſemel infirmitate grauatus, rigorem abſtinentiæ nonnihil relaxare cogeretur, Viribus autem corporis vtcunque reſumptis, verus ſui contemptor, Non eſt, inquit, conueniens, vt populus me abſtinentem credat, & ego in occulto carni indulgeam. Moxque ligato ad collum fune, à fratribus ad ſceleratam petram ſe pertrahi mandauit: ibique concionabundus inter alia populo nunciauit, ſe non tanquam ſpiritualem hominem honorandum, ſed tanquam carnalem & glutonem ab omnibus contemnendum.

En exemplū ſummæ humilitatis & animi candoris.

Vt autē pluribus modis negociator hic Euangelicus lucraretur, ac totum præſens tempus conflaret in meritum; generalis cedens officio, Guardianum vt vocant, petijt; cuius voluntati per omnia ſubiaceret. Tam enim vberem aſſerebat ſanctæ obedientiæ fructum, vt eis qui iugo ipſius colla ſubmitterent, nil temporis ſinè lucro tranſiret. Hinc fratri itineris ſui cuiuſcunque ſocio, ſemper obedientiam promittere ac ſeruare conſueuerat. Cum verò vice quadam quæreretur ab eo, quis eſſet verus obediens iudicandus; corporis mortui ſimilitudinem pro exemplo propoſuit; Tolle (inquiens) corpus exanime, & vbi placuerit pone; videbis non repugnare motum, non murmurare ſitum, non reclamare dimiſſum. Quod ſi ſtatuatur in cathedram, non alta ſed ima reſpiciet; Si collo-

Submittit ſe alterius voluntati in omnibus.

Obedientiæ quale meritum.

Verè obediès quis sit.

collocetur in purpura, duplò pallescet. Sic verus obediens, cur moueatur non dijudicat; vbi locetur non curat: vt transmutetur non instat. Euectus ad officium, solitam tenet humilitatē: plus honoratus, plus reputat se indignum. Dixit quoque aliquando socio suo: Non mihi videor frater minor, nisi in eo, quem tibi descripsero, statu inuenior. Eccè caput rectorq; fratrum existens, concionabundus capitulum ingredior; prædico, & commoneo fratres. Illi in fine ineptum, elinguem, idiotam & indoctum me clamitant. Tandem eijcior; cum opprobrio vilipensus ab omnibus. Dico tibi, nisi eodem vultu, eadem mentis lætitia, & eodem sanctitatis proposito hæc verba excepero frater minor nequaquam sum. Et Addebat: In prælatione casus, in laude præcipitium, in humilitate subditi, animæ lucrum est. Cur ergò periculis plus, quam lucris attēdimus, cùm præsens hoc tempus ad lucrum acceperimus? Hac igitur de causa vir sanctus fratres suos Minores appellari voluit, Ordinisque sui prælatos Ministros; vt & verbis vteretur Euangelij, quod obseruare promiserat; & ex ipso nomine discerent discipuli, quod discendæ humilitatis ergò ad humilis Christi scholas venissent.

En quanta requiratur perfectio in Religioso.

Franciscani cur Minores dicti.

Matth. 20.

Porrò paupertatis Christi cum esset singularis sectator, in hoc maximè suus offendebatur adspectus, si quicquam videret in fratribus, quod paupertati non per omnia consonaret: hanc siquidem virtutum asserebat esse reginā, quia in Rege Regum & in Regina matre ipsius tam præstanter effulsit. Hanc spiritualem viam salutis tanquam humilitatis fomentum, perfectio-

Paupertas virtutum regina.

fectionisque radicem prædicabat. Hanc sui ordinis dicebat fundamentum: cui substrato primariè, sic omnis structura religionis innititur, vt ipsius firmitate firmetur, & euersione funditus euertatur. Ideoque non nisi expropriatos & nihil penitus retinentes admittebat ad ordinem: tum propter verbum sancti euangelij, tum etiam ne forent in scandalum loculi reseruati. Vndè & eleemosynis ostiatim quæsitis vtebatur multo libentius quàm oblatis. Si quãdò enim inuitatus à magnis personis, mensis esset profusioribus honorandus, prius per propinquas vicinorum domos panum fragmenta petebat, ac deindè sic ditatus inopia, discumbebat. Fratres quoque suos ad petendas eleemosynas sedulò hortabatur: Ite (inquiẽs) quoniam hac nouissima hora fratres minores cõmodati sunt mũdo, vt electi ineis impleant, vndè à Iudice commendentur, illud audiẽtes suauissimum verbum; Quamdiu fecisti vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis. Iucundum proindè dicebat, sub fratrum minorum titulo mendicare, quem in retributione iustorũ Euangelicæ veritatis magister ore suo tam signãter expressit.

Matth. 19.

Docet fratres suos mendicare

Matth. 25.

Pietas verò, quæ secundum Apostolum, ad omnia valet, adeò cor Francisci repleuerat ac penetrauerat, vt totum videretur seruum Dei in suum dominium vẽdicasse. Cùm autem per hanc, piè moueretur ad omnia, specialiter tamen animas Christi Iesu precioso sanguine redemptas, cùm aliqua peccati sorde inquinari cerneret, tanta miserationis teneritudine deplorabat, vt eas tanquam mater in Christo quo-

1. Tim. 4.

Pietas eius eximia.

quotidiè parturiret. Afflictis quoque, qualicũque corporis molestia, miro pietatis affectu succurrebat, & si quid penuriæ, si quid defectûs in aliquo cerneret, pij cordis dulcedine regerebat in Christum. Detractionis quoque vitiũ, inimicum fonti pietatis & gratiæ, tãquam serpẽtinum abhorrebat morsum, & atrocissimam pestem; & pijssimo Deo abominabile fore dicebat: pro eo quod detractor animarum sanguine pascitur, quos gladio linguæ necat. Consideratione quoque primæ originis omnium, creaturas quantumlibet paruas, fratris vel sororis appellabat nomine: pro eo quod sciebat eas vnum secũ habere principium. Illas tamen visceroſius amplexabatur & dulcius, quę Christi mansuetudinẽ similitudine naturali prætẽdunt & scripturę significatione figurãt. Erat illi ingenita clementia, quam superfusa Christi pietas duplicabat. Haud vulgariter igitur de sanctissimi viri pietate est sentiendum: quæ tãtæ fuit dulcedinis atque virtutis, vt domaret ferocia, domesticaret sylvestria, mansueta doceret, & brutorum naturam homini iam lapso rebellem, ad sui obedientiam inclinaret. Verè hæc est, quæ cunctas sibi creaturas confœderans, valet ad omnia, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ.

Detestatur obtrectationes.

Pia eius affectio ergà creaturas.

1. Tim. 4

Porrò charitatem feruentem, qua sponsi amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficiat? flagrabat sanè erga Sacramentum Dominici Corporis feruore omnium medullarum; stupore admirans permaximo illam dignationem charissimam, & charitatem dignantissimam. Sæpè communicabat, & tã deuotè, vt

Ergà Sacrosanct. Eucharistiam eius amor ingens.

alios

alios deuotos efficeret ;dũ ad immaculati agni degustationem suauem, quasi spiritu ebtius in mentis vt plurimùm rapiebatur excessum. Deiparam Virginem, Angelicos spiritus, denique sanctos omnes summo complectebatur amore. Saluti animarũ nihil præferendũ esse dicebat; eo maximè probans, quod vnigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pẽdere. Hinc sibi in oratione luctamẽ; in prędicatione discursus: & in exemplis dãdis excessus.

Item ergà Christi Matrem & sanctos omnes.

Item ergà mortalium animas.

Feruenti quoque charitatis incẽdio gloriosum sanctorum martyrum æmulabatur triumphum. Sexto namque conuersionis suæ anno, desiderio martyrij flagrans, ad partes Syriæ Saracenis & alijs infidelibus Christi Euangelium prædicaturus transfretare disposuit: sed fuit eius desiderium diuinitus bis impeditum, contrarijs nimirũ ventis, morboque interueniente præcisum; ne absens teneram adhuc Ordinis sui prolem planè deseruisse videretur. Tertio verò decimo conuersionis suæ anno ad partes Syriæ tertia iã vice intrepide pergens, multis se periculis cõstanter exposuit, vt Sultani Babyloniæ posset adire præsentiam. Erat enim Christianos inter & Saracenos implacabile bellum; exercituum castris hinc indè in cãpo cominus exaduerso locatis: vt via mutui trãsitûs sine mortis discrimine non pateret. Siquidem ipse Sultanus Byzantium aureum præmij loco, cuiuis proposuerat, qui Christiani hominis, incisa ceruice, caput adferret. Ea re ad certã martyrij spem excitatus Franciscus, alacriter assumpto socio ad Sultani castra perrexit: moxq; ab obuijs

Flagrans desiderio martyrij vult irẽ ad Saracenos, sed diuinitus retardatur.

A Saracenis malè tractatur.

obuijs militibus exceptus, primò multis conuicijs oneratus, indè verberibus crudeliter oneratus fuit: ac postremò Sultano oblatus, interrogatus à quibus & ad quid missus esset, intrepido corde Christi seruus respondit: Equidem non ab homine, sed à Deo altissimo missus sum, vt tibi tuoque populo salutis viam ostendam, & veritatis Euangelium annũciem. Sultano autem admirandum in viro Dei feruorem spiritûs virtutemque tacite considerante, Franciscus superno illustratus oraculo, Si, inquit, hæsitas legem Mahometi propter Christi fidem dimittere, iube copiosum accendi ignem, vt ego tuis cum sacerdotibus eum ingrediar; & sic tandem ignis ostẽdat, cuius certior sanctiorque fides habenda sit. Sultano hanc viri fiduciam magis magisque stupescente, & sacerdotibus ad eam conditionem trepidãtibus ac fugientibus; quin igitur, inquit Franciscus, solus ego flammas subibo, si modò spondere velis, te ad sanctissima Christi sacra transiturum, si ego illæsus supplicium euasero. Sultanus seditionem populi cum formidaret, hanc optionem accipere se non audere rẽspondit: attamen protinùs ingentem pecuniæ vim ei obtulit, aliaque haud contemnenda munera; quæ vir diuinus constanter reiecit: asserens præter animarum salutem se in hoc mũdo desiderare nihil. Hæc tam admiranda viri virtus, ipsi etiam hosti virtutum omnium Sultano adeò grata acceptaque fuit, vt hominem arctiori quodam amoris vinculo complecteretur, tantisque prosequeretur honoribus, quantis alium neminem. At verò Christi seruus, qui non

Studet modis omnibus conuertere Sultanum.

Contemnit munera Sultani.

non honores, sed sui cõtemptum ac ipsam pro Christo mortè venabatur, cernens segentis salute, & martyrij desiderio fraudari, ilicò, relicto Sultano, ad partes fideliũ, diuina reuelatione edoctus, remeauit. Porrò cũ iam ad terrena foris desideria per Christi charitatem totus esset insensibilis factus, ne foret absque consolatione dilecti, sinè intermissione orans, spiritum Deo contendebat exhibere præsentem, vndè & gratiam orationis viro religioso desiderandam super omnia firmiter asserebat: nullumque credens sinè ipsa in Dei prosperari seruitio, modis quibus poterat fratres suos ad eius studium excitabat. Ambulans siquidem & sedens, intus & foris laborans & vacans, orationi adeò erat intentus, vt illi videretur, non modò quicquid erat in eo cordis & corporis, verum etiam operis & temporis, dedicasse. Suspendebatur multoties tanto contemplationis excessu vt suprà semetipsum raptus, vltraque humanum sensum aliquid sentiens, quid ageretur circà se exterius ignoraret. Ad loca verò solitaria pro intentione conseruanda recollectione oraturus nocte pergebat: Vbi dæmonum pugnas horribiles frequenter sustinuit, sensibiliter secũ confligentium, & ab orationis studio ipsum perturbare conantiũ: quos ille inuocato Christi numine eximia mentis constantia spreuit, ac confusos abscedere compulit. Visus est aliquãdò orãs manibus ad modum Crucis protẽsis, toto corpore subleuari à terra, & nubecula quadam fulgẽte circundari: vt illustrationis mirabilis intrà mentem, mira circà corpus perlustratio testis esset. Horas autem

Cum nihil proficeret apud Saracenos reuertitur ad suos.

Quàm fuerit assiduus in oratione.

Item in contemplatione.

A Dæmonibus infestatur.

Ex indicis feruentissimæ orationis.

tem Canonicas non minus timoratè quam deuotè Deo persoluebat: psalmos cum tanta mētis attentione recitans, quasi Deum prēsentem haberet.

En vt persoluerit horas canonicas.

Et quidem ad tantam mētis serenitatē, indefessum orationis studium cum continua exercitatione virtutum, virum Dei perduxerat, vt quamuis nullam sacrarum literarū per doctrinam haberet peritiam, æternæ tamē lucis irradiatus fulgoribus, scripturarū profunda miro intellectūs scrutaretur acumine. Penetrabat enim purum ab omni labe ingenium mysteriorum absconditā; & spiritus eius superno illustratus lumine, futura prēuidebat; cordiū contuebatur occulta; absentia quoque haud secus ac præsentia cernebat: & se præsentem absentibus mirabiliter exhibebat.

Diuinitus edoctus intelligit Scripturas, & claret prophetiæ spiritu.

Ceterùm efficaciam concionū eius ac miraculorum imbres quis enarrare sufficiat? Erat enim verbum eius velut ignis ardens penetrās intima cordis: omniumq; mentes admiratione replēs. Per diuersas itaq; regiones progrediēs, euangelizabat ardēter, Domino cooperāte & sermonē confirmante admirandis signis: simul sanctitatē corporibus reddens & cordibus. Eijciebat dæmonia; quacunque infirmitate detentos sanabat: In sceleribus obduratos ad saniorem mentem reducebat.

Quam potens fuerit in sermone & opere.

Sed enim mos erat Angelico viro nunquam ociari à bono: quin potiùs instar supernorum spirituum in scala Iacob, aut ascendebat, in Deum, aut descendebat ad proximos. Nam tempus sibi concessum ad meritum ita prudēter partiebatur, vt aliud lucris proximorum labo-

Genes. 28.

Distributio tēporis eius.

laboriosis impenderet, aliud contemplationis tranquillis excessibus dedicaret. Biennio itaque, ante quàm spiritum cælo redderet, diuina prouidentia duce, ad montem Aluernæ perductus est. Ibi cum ad honorem Archangeli Michaelis Quadragesimam ieiunare cœpisset, & Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, quodam manè circa festum Exaltationis S. Crucis, vidit Seraph vnum de cælorum sublimitate descendere, sex alis non minùs ignitis quẽm splendidis coruscantem. Porrò inter alas, hominis Crucifixi apparebat effigies. Duę alę super caput ipsius eleuabãtur; duæ ad volandũ extẽdebãtur: duæ verò totum velabãt corp°. Hoc vidẽs vehemẽter obstupuit, mixtumq; mœrore gaudiũ cor illius incurrit. Ea autẽ visione disparẽte, mirabilem protinùs sensit in corde ardorem; viditque statim manus & pedes atque latus suum sacrosanctis Christi stigmatibus signata. Cernens verò vir Dei ea vulnera carni tam luculenter impressa, & dexterûm latus quasi lancea transfixum tunicam ac femoralia sæpè sanguine respergere: nitebatur ille quidem modis omnibus ea occultare: sed Dominus ipse qui signacula illa secretè impresserat, miracula quædam apertè per ipsa edebat, vt illorũ occulta & mira vis stigmatũ manifesta pateret claritate signorum.

Apparet ei Christus crucifixus.

Imprimuntur ei quinque vulnera.

Christo igitur iam Cruci confixus, tam carne quam spiritu, non solum Seraphico in Deũ æstuabat amore, verum etiam animarum omnium salutem incredibili sitiebat ardore. Cũque propter excrescẽtes in pedibus clauos ambulare nõ posset, corpus emortuũ per ciuitates

Zelus animarum.

& castra circumuehi curabat;vt voce ad Christi Crucem ferendam cæteros animaret. Vt autem viro Dei cumulus meritorum accresceret, quæ omnia verò in patientia consummantur, cœpit tam vehementibus, ijsque continuis, excruciari morbis, vt consumptis iã carnibus sola cutis ossibus cohæreret. Cũ autẽ grauius dolorũ vrgeretur aculeis, duro casu debilia humi collidens ossa, exclamabat: Gratias tibi ago Domine Deus prohisce doloribus; teq; rogo, vt centuplum, si placet, addas: nam tua mihi voluntas in omnibus gaudio & solatio est. Admirandum erat hoc fratribus spectaculum; virum sanctum tanquam alterum Iob acerbissimis passionum doloribus excruciatum, cernere in crescente carnis languore maiorem mentis vigorem sumere, & Deum multò ardentius glorificare.

Morbis continuis exercetur.

Patientia eius summa.

Cùm itaque toto ab impressione sacrorum stigmatũ biennio, anno videlicet à sua conuersione vicesimo, multis fuisset pœnarum angustijs excoctus, tandem obitûs sui haud ignarus, ad S. Mariam de Portiuncula se portari poposcit; vt vbi acceperat spiritum gratiæ ibi redderet spiritum vitæ. Eò perductus mox, vt ostenret sibi nihil cum terrenis cupiditatibus esse commune, nudum se in nudam prostrauit humum; vt in extrema illa hora nudus cum nudo hoste luctaretur. Itaque tota mẽte ad res diuinas animo recolendas cõuersus; cùm præclarè multa de patiẽtia & paupertate & fide Romanæ Ecclesiæ seruandis ad fratres dissereret, tũ sacrosanctum Euãgelium cæteris institutis anteferendum cũctis edixit: ac postremò benedictione

Vide eximiam paupertatem.

S. Franciscus totus Euangelicus.

ctione peramanter ac piè impartita, omnibus alijs cogitationibus abiectis, locum Ioannis, quo Christi passionem exponit, sibi legi faciebat. Qua lectione cùm mirum in modum delectaretur, tandem voce, qua poterat, in Psalmum 141. erumpens, versu illo, Me expectant iusti, donec retribuas mihi, suauiter prolato, ex ergastulo corporis in cælum emigrauit. Porrò sicut vir iste beatus mirandis virtutum signis in vita claruerat, sic à die transitûs sui vsque in præsens per diuersas mundi partes præclaris miraculorum prodigijs, diuina se potentia glorificante, coruscat. Nam præter cæcos, surdos, mutos, claudos alijsque necessitatibus afflictos ipsius meritis curatos; complures & mortui mirificè fuere suscitati.

Ioan. 13.

Fœlicissimè migrat.

Eximijs claret miraculis post obitum.

VITA ET PASSIO SS. PLACIDI monachi, discipuli sancti Benedicti, & fratrum eius, Victorini, Eutychij ac sororis Flauiæ virginis, Donati, Firmati, Diaconi, ac Fausti & aliorum triginta, Ex actis, à Gordiano eiusdem Martyris famulo, iussu Iustiniani Imperatoris conscriptis. Tempus passionis patet infrà.

Vide C. Baron. Annal. Tom. 7.

TEMPORE, quo Theodoricus 2. Gothorum in Italia Rex, in seniori Roma, in * noua verò Iustinus senior & Iustinianus Romani Imperij sceptra moderabantur, Tertullus vir nobilissimus, & in vtraque curia Romani Imperij post Augustos nulli secundus, ac patriciatûs honore in suo merito decoratus, tanta sapientiæ, fortitudinis atque

5. Octob.

** Constantinopoli.*

Eximia laus patris eius.

prudentiæ opinione apud omnes vigebat; vt ab omni populo Romano ipsisque imperatoribus pater patriæ vocaretur. Is ex Aniciorum sanguine præclaro inprimis atque illustri, genus ducens, ducta de Octauiæ gentis familia vxore, corpore ac moribus speciosissima, primũ ex ea filium suscepit Placidũ, secundum Eutychium, tertium Victorinum: quarto verò loco puellam; quam ea propter, quod ex Octauiorum & Flauiorum stirpe descenderet, Flauiam nominandam cẽsuit. Hac tam fœcunda à Deo ditati ornatique prole pij parentes, nihil in votis habuêre prius, nihil ardentius, quàm vt cuncti optimis sanctissimisque ornarentur moribus, virtutibusque: quô post breuem & caducum huius vitæ cursum æterno in cælis præmio affici mererentur. Nam ipse pater vir patricius licet assiduè penè regni negocijs implicitus esset, animum tamen semper ad cælestia erigebat, pulueremque ex humanis actionibus contractum frequenter per pias ardentesque orationes & meditationes in Ecclesijs ac monasterijs excutiebat.

a Anno Christi 523 Theodorici Regis 31 Iustini Imp. 6. Placidus traditur S. Benedicto instituendus. Studet sedulò proficere.

Eodem a tempore Benedictus sanctitatis opinione celeberrimus apud Sublacum velut Lucifer inter astra radiabat; totumque Imperium Romanum fama virtutum suarum replebat-qua, inter alios, Tertullus Patricius excitatus, ad eum contendit, suumque filium Placidum septennem, optimis disciplinis imbuendum tradidit.

Ea ætate puer, prompto hilarique animo ad castra Benedicti, Christo militaturus, accedens, mox summam vitæ sobrietatem, sacrasq; vigi-

vigilias amplexatus; ſemper ad ardua & ſanctiora anhelare: die noctuque quæ Dei ſunt quærere. Cumque feliciter admodum placideque vna cum beato Mauro ſub ſignis Benedicti ſpiritalis militiæ ſtipendia faceret, & quibuſdam ſanctitatis à Deo præmijs ornaretur, quidam presbyter Florentius nomine, antiqui hoſtis veneno debriatus, cum ſancti patris inuideret ſtudijs, modis omnibus primò vitæ illius, ac deindè animarum perditioni ſub eo militantium ſceleratè inſidiabatur. Quo ſanè ſcelere offenſus Pater, ſimulque diuinitus edoctus ad montem Caſſinum fugibundus cum diſcipulis ſuis migrauit: ibidemque ſubuerſo Apollinis templo, & idolo contrito Caſſinenſe monaſterium opera Placidi & Nauri præclarè fundauit.

Hæc latius habet Lector in vita S. Benedicti. 21. Martij.

Eo nuncio Tertullus, qui hæreditario iure Caſſinum montē poſſidebat, incredibiliter gauiſus, mox aſſumptis ſecū Boētio, Symmacho, Vitaliano, Gordiano atq; Equitio, viris nobiliſſimis, ad Caſſinum montem, Patrem Benedictum filiumque ſuū Placidū viſurus perrexit. Quo vt peruenit, vt erat auro gemmiſq; ornatus, humi ſe ad ſanctiſſimi Patris veſtigia proiecit; ac omni deindè cōgregatione peramāter deoſculata, ſupplex ſe in eādem ſocietatem aſcribi poſtulauit. Fecit eius poſtulato ſatis Benedictus; hominemque peramanter amplexās vitæ ſuæ ſanctimonia clariſſimiſq; cum ſuis tū diſcipulorū virtutib. adeò in inſtituti illius amorē pertraxit, vt Caſſinū montem cū caſtris villis & poſſeſſionibus perpetuò poſſidendum Tertullus traderet. Neq; ea ſolū, ſed & præter

Tertullus pater Placidi hæres montis Caſſini.

Donat eum S. Benedicto.

alia bona amplissima, decẽ & octo patrimonij sui, quas in Sicilia habebat cortes possidendas viro sancto detulit: modisque omnibus sanctissimum illud vitę institutum confirmare dilatare, atque ornare studuit.

Placidus sub S. Benedicto vitam agit angelicam.

Inter hæc cùm beatus Placidus robusta ætate vir angelicam in terris vitã præclarè æmularetur, accidit, vt quidã in Sicilia nefanda auaritia prouocati, per fas, perq; nefas collatas possessiones diriperent; suisque cupiditatibus aggregare vellẽt. Quibus auditis venerabilis pater Benedictus, vt illorum fraudi obuiam iret, Christiique patrimoniũ à direptione defenderet, ilicò Placidũ eò destinauit, mandauitque, vt pulsis fugatisque iniquis possessoribus, pietatem ac monasticam disciplinam sedulò amplificaret. Eo patris mãdato vir summæ perfectęque obedientię instructus, iter suscepit, passimq; per loca, varijs coruscãs miraculis, multos languoribus ac ęgritudinibus oppressos sanauit; cæcos illuminauit; dæmones ex obsessis corporibus fugauit, aliaque sanè admirandæ virtutis, quæ longum foret singulatim referre, opera edidit.

S. Placidus fulget miraculis.

Venit in Siciliam.

Cæterùm vbi Messanã Siciliæ ad vrbem deuenit, fuit à Messalino, ciue Romano, patris eiꝰ Tertulli amicissimo, peramanter exceptus, ab eoque summo cum honore in hospitiũ deductus. At verò beatus Placidus, quietis ac solitudinis amantissimus indecorũ asserens, sanctissimoque Ordinis sui instituto contrarium, hominem religioni cõsecratum, in ædibus laicorũ diuersare, mentemq; caligine mundanæ cõuersationis inuoluere, ilicò ad monasterium exstru-

Hæc obseruent Religiosi.

exstruendum animum adiecit, breuiq; operis seruorum, quos numero septem millia ex paterna hæreditate habebat, adiutus, vna cum ecclesia S. Ioanni Baptistæ sacra ad tectum perduxit, ibidemque à turba & hominum cõgressu segregatus cælestib. disciplinis operam dedit. Intereà fama virtutum ac miraculorum eius longè lateque vagante, multi sese in eius disciplinam tradere, sanctissimumque institutum haud segniter æmulari. Quin etiam Eutychius & Victorinus germani eius, vnà cum sorore sua Flauia virgine, diuturno fratris desiderio incensi relicta vrbe Roma, in Siciliam venerunt, diesque aliquot cum fratre exigere decreuerunt.

Extruit monasterium.

Inuisitur à fratribus suis & sorore.

Eodem illo tempore, Barbari cum instructissima classe oras Siciliæ populabũdi, ingenti strage plurimis nostrorum illata, tandem ad S. Placidi peruenêre cœnobium: ac protinùs vi summa effractis foribus, fratres in nocturnis laudibus ac hymnis deprehensos, eorum Dux Mamucha vinculis arctissimè constringi iubet. Porrò Gordianus (qui cum Donato è Cassinensi cœnobio S. Patris comes extiterat) ad primum irruentis exercitus strepitum fuga per quandam domus posticam elapsus, cędem euasit: Donatus verò, quòd deuexa ætate vir esset, sinè vlla interrogatione, capite truncatus occubuit. Indè furore & amentia præceps Mamucha, Placidum sibi vnà cum fratrib. Eutychio Victorino, & Flauia virgine, Fausto, Firmato Diacono simul cum monachis triginta catenis vinctos adduci præcepit. Quibus adductus & in Christi confessione, minitante furenteque

Barbari depopulantur Siciliam.

Irrunt in Monasterium.

Placidus cũ suis fustibus cæditur.

nequicquàm Mamucha, constanter persistentibus, tandem cunctos vestibus spoliatos, fustib. grauissimè cædi mãdauit. Sancti verò martyres ijs in supplicijs gaudio exultãtes, Christũ Saluatorẽ vno ore laudabant, q̃ digni haberentur pro nomine Iesu cõtumeliam pati. Stupefactus ad ea crudelissimus arbiter, iussit multiplicari flagella, verbera verberibus addi, omniq; cruciatuũ atrocitate eorũ constantiã fatigari. Sed sanctis pari animi virtute sinè vlla timiditatis significatiõe ea supplicia perferentib⁹ Dux stupefactus præcepit oẽs, vinctis post terga manibus, ad carcerẽ recipi, & continua 7. dierũ inedia affligi. Indè cum barbari nihil immutatos martyres inuenirẽt, Duci renunciârũt, Placidũ cũ socijs absq; omni cibo potuq; sanos & incolumes Christi gloriã prædicare. Dux belluina rabie accẽsus, iussit oẽs pedib. ex alto suspẽsos, flagellis hinc indè crudelissimè laniari: & sub capite vniuscuiusq; horridũ tetrumq; fumum subministrari. Sãctis verò in ijs cruciatib. inuicta animi virtute persistẽtibus tandẽ pugillum hordei crudi & paululũ aquæ singulis præberi iussit: sicq; gloriosos martyres in ergastulũ detrudi. Post hæc nefand⁹ arbiter cernẽs se suppliciorũ atrocitate nihil ꝓficere, statuit eorũ animos promissis ac munerib. blanditijsque delinire. Sed cum neq; illa fraus quidq̃ succederet, Dux maiore ira accensus, cuncta furoris sui instrumenta in mediũ proferri, & martyres mẽbris omnibus crudelissimè torqueri præcepit. Cumq; ministri iniquitatis, ducis iussa exequẽtes, post alios oẽs sęuissimis supplicijs excarnificatos. Flauiam incredibili decore micantem, pedi-

Mittuntur in carcerem.

Secundò acerrimè cæduntur.

Iterum carceri mancipantur.

pedibus in altum sustulissent,& Dux ea propositis tormentis à Christi cõfessione auocare conaretur:illa nihil truculenti hominis sæuitia exterrita respõdit:Nunquam adeò demens fui vt dij vestris in summi illius Domini & æterni Regis cõtemptum,honores deferrẽ : quare age nõ modò præsentem hãc nuditatis ignominiã, libens fero,sed etiã gladium & ignem, pro Dei mei amore,perferre parata sum. Dux eo tã generoso virginis respõso lacessitus: Citò,inquit ad ministros,fustibus hãc sine intermissiõe cædite.Frontẽ, mammillas & brachia torquẽtes dissipate.Fumũ acerrimũ subministrate,varijs tormentis corpus illius excruciando necate. Fuit,visu sane horrendũ, dies integra in talib. supplicijs virgini inferendis expensa : ac tandem omnes pariter eodem conclusi ergastulo.

Admiranda fortitudo Flauiæ virginis.

Horrendi cruciatus virginis.

Indè barbari ad alios similiter Christianos conuersi,inauditis ferè omnes supplicijs affecêre.Interim Placidus suos luculẽto sermone precibusque assiduis,ad cõstantiam adhortans sequenti die rursus cum fratrib. socijsque tribunali Mamuchæ oblatus est : vbi post multas blanditias,minasq; verborum frustrà intentatas,denuò ad priora tormẽta ventũ est. Cumq; in Placidum & duos fratres eorumq; sororem præcipua crudelitate virgarũ adeò diù grauiterque sęuitum esset,vt cuncti eos expirasse existimarent: Deus,cui cura est suorum , Angeli sui ministerio mox eos sanos & incolumes reddidit:absterfisque plagarum liuoribus,maiore quàm antè,pulchritudine decorauit.Ea re stupefacti pagani,impiè istius miraculi gloriam suo deo asscribere volebant. Sed Placidus eam impie-

Rursus Placidus cum suis cruciatur.

Ab Angelo curantur.

impietatem nõ ferens, magna voce clamabat, Christum Iesum solum Deum, vt omnium virtutum, ita & istius miraculi auctorem esse. Qua confessione cùm Dux, tum alij irritati, sacrum illius os, arteriasque lapide confregerunt, linguamque radicitus præsciderunt. At verò Placidus præcisa lingua exclamans dixit: Benedictum nomen & virtus Domini nostri Iesu, qui liberat nos ab omni malo. Cumque fratres & soror Flauia respondissent, Amen: Dux præ nimio furore frendens dentibus, iussit eos iterũ grauissimis contundi fustibus: Flauiam verò lenonibus quibusdam, pro scelus, violandam tradi. At virgo diuinæ bonitati virtutiq; egregiè confisa, fusa ad Christũ oratione, corporis sui integritatem, stupentibus repentè brachijs eorum qui eam stuprare tentabant, conseruauit.

Os cõfringitur ac lingua Placido extrahitur: at nihilominus laudat Deũ.

Flauia diuinitus à stupro præseruatur.

Post hæc impius Mamucha tetra peccatorũ caligine circumseptus, tali eos supplicio die noctéque cruciari iussit. Anchoras immani pondere, martyrium tibijs impositas grauiori lapidum pondere depresserunt: vt hoc dolore compulsi Christum negarent. Interim pagani in tali supplicio constitutis, ingentem auri & argenti vim, lapidesque preciosos & splendida vestium ornamenta offerebant; maioraque promittentes, tota die ac nocte ad cultum idolorum blandè eos inuitabant. At Placidus cum suis omnibus Syrenarum voces psallẽdo orando-que depellens, in supplicijs inuictus permanebat: & interdum impios illos graui oratione increpabat: monitaque, vicissim salutis præbebat.

Horrendum supplicium.

Respuũt sancti martyres oblata munera.

Qua

Qua constantia Mamucha sæuissimus in rabiem furoremque cõuersus capitis in eos sententiam protulit: corporaque lupis, ac canibus & volucribus cæli, obijcienda dictauit: Tunc ilicò nequissimi ministri eiectos de custodia sanctos flagellando ad littus vsque maris, vbi truncandi erant, perduxere. Ibi postremò minis blanditijsque frustrà eorum cõstantia breuiter tentata, cũ maiore alacritate Christi numen pariter prædicarent, celebrarentque: glorioso fine præclaram martyrij palmam gladio perceperunt, apud Siciliam in portu Messanæ ciuitatis: vbi diebus quatuor sacrę eorum reliquiæ inhumatæ iacuerunt.

Damnantur capitis.

Decollantur.

Intereà furor impietasque Mamuchi, fuso sanctorum sanguine necdum exatiata, monasterium solo tenus adęquari iussit: ne qua Christiani nominis memoria extaret: & quia sacra ædes ab eodem Placido vasta admodum & ampla extructa, facilè euerti nõ poterat, eam impij modis omnibus, quibus poterant, polluerunt, profanaueruntque. Indè verò quasi re præclarè ac gloriosè gesta, conscensis nauibus, fauente mari, Rhegyum petere accelerârunt. Et eccè, vix medio cursu prosperè ac tranquillè transacto, subitò ingens tempestas exorta, in apertam classis totius conspirans perniciem, fluctibus eam inuoluit, nauesque centum cum pugnatorum millibus admodùm sexdecim & octingentis ad ima depressit.

Monasterium S. Placidi diruitur.

Barbari omnes in mari submerguntur.

Rhegyum oppidum situ in margine Italiæ.

Corpora verò sanctorum, quę à feris intacta suauissimo referta odore eodem adhuc in loco iacebant, Gordianus religiosa animi pietate sepulturæ mandauit: Placidi quidem, Eutychij

Gordianus sepelit sanctorũ reliquias miraculis coruscantes.

Victo-

Victorini, & Flauiæ in templo Ioannis Baptistæ priùs rite, vt potuit, emundato; reliquorum verò ibidem arena contexit: vbi præclara & admiranda beneficia, cæcis, claudis, paralyticis, alijsque morbis & calamitatibus oppressis, IESVS Christus meritis sanctorum suorum in hodiernum vsque diem præstare non desinit.

Passus est autem beatissimus martyr anno ætatis suæ vigesimosexto Iustiniani Imp. quinto decimo: qui fuit Christi Domini quingentesimus quadragesimus primus. Iuxta Baro. Tomo 7. hoc anno, 3. Nonas Octobris apud Messanam Siciliæ ciuitatem. Oblatus fuit à patre suo Tertullo patritio, anno ætatis suæ septimo S. Benedicto instituendus: Cum quo apud Sublacum annis habitauit quinque. In Cassinensi verò monasterio annis nouem. Indè missus in Siciliam cõdidit monasterium in patrimonio suo per annos quatuor: præfuitque eidem anno vno. Natus anno Domini quingentesimo quintodecimo: Primus omnium, in Ordine Benedictino, martyrio coronatus quadragesimo primo ac quingentesimo.

S. Placidus protomartyr Ordinis Benedictini.

MARTYRIVM S. ET GLORIOSAE Virginis Charitines: Ex eo quod est apud Metaphrasten. alia est Charitina, quæ Romæ passa est, cum Iustino, & Charitone, &c. Passa est autem, de qua hic agimus, anno Domini trecentesimo octauo, Marcelli Papæ 5. Constantini Imp. 3. sub Maximino in Oriente Imperante.*

** Charitinæ.*

Vide C. Baron. Annal. Tom. 3. & Notat. in Martyr. Roman.

GENE-

5. Octob.

GENEROSA virgo Charitina, cùm impietas & Imperatorum furor Christianos vbiq́ue ad necem inquireret, in intimo cubili studio religionis ac pietatis dedita, à Comite quodam comprehēsa fuit: statimq́ue plagis varijs & ferreo nexu tenerrimo collo impositis Consulari Iudici iniustissimo tradita. Qui perspecta generosa eius animi virtute: Miserere, inquit, tui antè quàm periculum facias suppliciorum, & dijs immortalibus sacrifica. Si feceris, sapienti vsa consilio, & deorum tibi potentiam reddes propitiam, & Imperatorum conciliabis beneuolentiam; & florentem iuuentutis tuę speciem multis magnisq́ue honorum & diuitiarum præmijs exornandam, conseruabis illibatam.

Comprehenditur virgo in cubili suo pietati vacans: & ilicè plagis afficitur.

Iudex ei blanditur.

His auditis, martyr, oculis insita pietate ad cælum erectis, formatoq́ue Crucis signo in hęc verba respondit: Ego Christi Iesu gratiæ confisa, neque minis neque blanditijs tuis cedam vnquam. Non enim tu, quemadmodum speras, poteris promptum in me pro Christo patiendi emollire studium. Quin potiùs, si rectè tibi consultum velis, tu erroris tui pœnitudinem cape, & execrabili inanium deorum cultu relicto, ad Christum accede. Iudex hoc virginis accepto responso, vehemēter incanduit: ac protinùs capillos eius superficie tenus radi iussit. Rasa verò virgo mox diuinitùs comata apparuit. Tunc Iudex acriori stimulatus furore, prunas ardentes capiti imponi, acetum infundi, doloresq́ue intendi quàm maximè præcepit. Ea verò supplicia sancta martyre per continuum orationis studium inuicto animo per-

Signat se Cruce: & respondit Iudici fidēter.

Capilli ei afferuntur & diuinitus restituuntur.

Acerbè cruciatur.

perferente, Iudex ferreos obeliſcos igne candentes, vberibus eius infigi, & lampades lateribus admoueri fecit. Illa verò tota mente in Deum abſorpta, ſupplicium ſuſtinebat egregiè: prorsùs vt Iudex conſtantiæ magnitudine victus, eam in mare lapide ad collum ligato, præcipitem dari iuberet. Martyre autem orante, vincula protinus diſſoluta ſunt; & illa ſiccis plantis aquas inambulans rectà ad littus maris tetendit. Excepit eam ſtupore propemodùm oppreſſus Conſularis: ſed mente in ſcelere obdurata, Chriſti potentiam prestigijs adſcribēs, ilicò præſtò iubet eſſe rotam, ignitis in circuitu carbonibus munitam, martyremque in ea, vinctis poſt tergum manibus, torqueri, vt contritis paulatim membris cum graui dolore è vita excederet. Et quidem machina dicto citiùs perfecta fuit: ſed ſuperno auxilio citiùs diſſipata. Nam Angelus Domini, extincta primùm carbonum flamma, robur carnificum diſſoluit, ità vt, admotis nequidquàm manibus, eam circumagere nequirent.

Mittitur in mare, & illæsa egreditur.

Horrendum ſupplicium cælitus impeditur.

Hinc animo perplexus & conſilij ignarus Iudex, frendens manuum pedumque vngues ei euelli, dentesque crudelitate immani, extrahi iuſſit. Deinde purum eius corpus probro afficere cogitans ſceleratus, ad miniſtros conuerſus: Ite, inquit, & in excelſum eam deducite locum: & chorum impudicorum ex finitima regione per præcones auocate: qui eam probro, quo digna eſt, efficiant. At illa nihil vel ſupplicorum immanitate, vel ludibrijs fatigata: Adeſt, inquit, mihi Chriſtus, qui ſolo nutu omnia diſſipare poteſt: qui etiā hodie, tuis, ô prophane,

Vngues & dentes ei euelluntur.

ne, dispersis dissipatisque consilijs, meam suscipiet animam. Hæc cùm dixisset, fusa ad Christum cum admirāda pietate oratione, spiritum tradidit.

Inter preces suum Christo tradit Spiritum.

Consularis autem qui post eius mortē, immortalem apud se alere volebat insaniam, vt Christianos reliquiarum diuitijs & gloria priuaret, corpus eius facco cum arenæ pondere insutum, in vndas maris præcipitari iubet. Sed Christo illud toto triduo in mari illæsum seruante, tandem propinquæ cuidam appulit terræ: vbi Claudius, vir quidam moribus mitis ac moderatus, cuius, ab infantia sancta virgo, disciplinis enutrita fuerat, illud sustulit: & raptim extructo sepulchro cum debita veneratione, condidit.

Corpus eius non potest submergi.

Sepelitur.

VITA S. MARCELLINI RAVENNAtis Archiepiscopi. Ex ea quam Hieronymus Rubeus vir doctiß. Historiarum Rauennatum lib. 1. conscripsit anno 230.

Teste C. Baron. in Notat. ad Martyr. Rom.

AGAPITO Rauennatum decimo Archiepiscopo, Marcellinus successit, trigesimum circiter annum suprà ducentesimum ab ortu Christi: Vrbano Romanæ sedis pontificiam administrante dignitatē. Qui Marcellinus quadraginta & septē annis, tanta sanctitate atq; innocētia Rauennati Ecclesiæ prę-fuit, vt sola opinione homines à maleficio deterreret, & ad leges diuinas seruādas colendasque inflāmaret. Sæpiùs cacodemonū furorem (tanta in illo fuit magnitudo & præstantia benignitatis diuinæ) nullo labore compressit.

5. Octob. Marcellinus succedit Agapito. Sedit 47. annis.

Compescit dæmones.

Cumq; virum sanctum illi, vallatum tenerent, ac circumuenissent: eo Deum suppliciter inuocante, statim prostrati, misereque afflicti sunt. Huius tempore Fusca virgo nobilis, Idibus Februarij, sub * Quintiniano Præside, qui in Sicilia Agatham trucidauit, ob Christi religionem Rauennæ interfecta est: adeoque passim in Christianos generatim sæuitum est, vt paucissimæ eorum familiæ, nedum ciuitates, eius calamitatis expertes fuerint: Hoc itaque tempore Marcellinus Rauennatum Antistes, in tanta Christianæ religionis perturbatione in fide Christi constans permanens, demum plenus dierum ac bonorum operum, ex mortalitatis huius ergastulo ad immortalem vitam migrauit. Eius corpus in extremo spiritu suauissimorum vnguentorum diuinum efflans odorem in D, Probi basilica sepultum est.

* Quinctiano S. Agathæ Martyrium habetur 5. Februa. quæ passa reperitur anno Christi 254. Decij Imp. 2. vndè & tempus obitus huius præsulis colligi potest.

Moritur feliciter.

VITA S. ATTALINI, EPISCOPI ZAmorensis in Hispania: Ex ea quam Lucius Marineus Siculus, Regius Historiographus conscripsit, de rebus Hispaniæ. lib. 5. Claruit circa annum Domini 820.

Teste C. Baronio in Not. ad Martyr. Roman.

5. Octob.

ATTILANVS quinque & viginti annorum iuuenis, cùm multa de eximia Mororolæ monasterij sanctitate, quod à Samora non longè distabat, audiret, ilicò pietatis apprimè studiosus se eò contulit. Vbi postquàm annos decem cælestis militiæ stipendia, sub Floriani Abbatis disciplina fecisset, in eius monasterij Priorem cōstitutus est. Eo tempore cùm

Ingreditur monasterium.

Præficitur in Priorem.

cùm Zamorensis & Legionensis pontifices vitæ & dignitatis munere perfuncti essent, Attilanus in Zamorensi, & Florianus in Legionensi Episcopatu successerunt. Clarissima enim virtutum eorum fama per omnem regionem peruolabat.

Fit Episcopus.

Itaque Attilianus eo ministerio roboratus, strenuè non minus quàm piè commissum sibi munus administrans; annos ferè decem continuos, magna cum laude in omniũ salute procuranda desudauit. Interim anteactæ vitæ, criminumque quæ commiserat memor, Episcopatus sui redditib. pauperib. assignatis, peregrè proficisci statuit. Igitur cum suis, non sinè difficultate, itineris istius necessitatem persuasisset, statim discessit. Cumque ad pontem templo S. Laurentij vicinum venisset, annulum quem digito gestabat in flumen proiecit dicẽs: Hunc quando annulum reuisero, tũc ab omnipotenti Deo omnium delictorum meorum veniam promerebor. Indè autem discedens, vno comitatus amico, quem plurimùm diligebat, adeò festinauit, vt eum in itinere defatigatum reliquerit. Solus itaque pannis se quàm vilissimis induit, & stipem annis duobus à nemine cognitus mendicauit.

Post annos decem in Episcopatu exactos, relicta functione sacra, duram subit pœnitudinẽ.

Interea totis viribus pristinis vitæ sordibus per pœnitentiam eluẽdis intentus, nocte quadam in somnis, voce diuinitus allata, admonitus fuit, vt põtificatum repeteret: certus exauditas iam eius à Deo preces esse. Hoc præcepto attonitus spem metumque inter, itineri se accinxit. Nocte itaque ad eremum, cui nomen erat à sancto Vincentio de Cornu, delatus,

Diuinitùs monetur, vt Pontificatũ repetat.

fuit à muliercula quadam cum marito suo exiguo hospitio, mensaque sobria exceptus. Manè autem cùm pro consuetudine ad ædes Episcopi maritus vnà cùm vxore pisces petiturus abirent, Attilani custodiæ ædes commiserunt. Reuersi verò piscibus acceptis, eos similiter Attilano exenterandos tradiderunt; ipsi interim aqua & igni adferendis occupati. Cumque vir beatus piscem cæteris maiorem accepisset, exectis intestinis, reperit nõ sine stupore, eundem illum annulum quem à ponte in flumen proiecerat. Tum verò gaudio incredibili exultans, mox, fixis humi genibus, Deo gratias agere; lachrymarum imbrem præ gaudio fundere: diuinam bonitatem sine fine mirari. Dum verò hæc fiunt, continuò campanæ sua sponte iubilantes, vniuersam ciuitatem ad spectandam rei nouitatem prouocarunt. Fit ingens populi cõcursus: lustrantur ædes: variaq; loca, num quid in ijs noui & admirandi latitet perscrutantur. Inuenitur tandem Attilanus mulierculæ incerto indicio, vili ac detrita veste contectus. Mirantur omnes: Fit noua exultatio: gratulantur cuncti sibi mutuo; gratulantur Episcopo; eumque cum magno ad sedem honore reducunt: quam deindè annos circiter octo cum eximia sanctitatis laude administrauit. Quem vita functum Vrbanus Pontifex Maximus in sanctorum numerum retulit: anno millesimo secundo: quo in Hispania Henricus regni gubernacula tractabat.

Notarem miram & stupendam.

Restituitur sedi suæ. Adscribitur Catalogo Sanctorum. Iuxtà Genebrardi Chronicon, sedit hoc tempore Ioannes 18. & 19. & regnauit in Hispania Alfonsus 5.

VITA S. MEINVLPHI DIACONI ET Confessoris: ex ea quæ est per Gobelinum Personam. Floruit anno salutis 816. &c. sub Lodouico Imperatore & eius prædecessore ac patre Carolo Magno.

Vide Tom. 9 Annal. C. Baron.

5. Octob.

Patria ac parẽtes eius.

SANCTVS Meinulphus propè Paderbornam, VVestphaliæ haud ignobile oppidũ oriundus, parẽtibus opulentis admodum ac illustribus, Christianaque religione initiatis progenitus est. Porrò mater eius VVictrudis nomine, viro iam victa functo, captata opportunitate ad Carolum magnum Imperatorem, qui tunc in illis partibus versabatur cum filiolo suo fidenter accessit, atque eius gratiam & beneuolentiam promereri studuit. At ille fæminam humaniter & piè accipiens, filium eius coram se curauit baptizari, eumque de sacro fonte suscipiens, Meinulphi nomen ei imposuit.

Baptizatur & accipit Carol. Mag. Imp in patrinum

Imbuitur literis.

Et quidem procedẽte tempore insignis puer apud Baduradum, Antistitem Paderbornensẽ secundum virum, multa virtute clarum literis addiscendis est admotus. Cumq; ætate & scientia plurimum proficeret, ab Episcopo, Ecclesiæ suæ Canonicis accuratè commendatur, vt sub instituto regulari, pietatis & bonorum morum acciperet incrementa. Vbi ille sanè cum ætatis accessione tantos habuit in vera pietate progressus, vt Præsul morũ eius grauitate & haud obscuris virtutum indicijs multiuarijs permotus, eum sibi peculiariter à secretis esse voluerit. Erat siquidem ingenio perspicax, corpore castus, mente pius ac Deo deuotus; iusti-

Est Baduradoe Paderbornẽsi Episcopo à secretis.

Eius virtutes.

tia pollens, instructus tēperantia, cōsilio prouidus: fortis in aduersis, largus eleemosynis, sermone facundus, corporis forma decorus.

Fit Diaconus.

Deindè sacris initiatus, Diaconus ordinatus est: in quo ordine ad supremū vsque vitæ diē permansit. Accidit aūt vt quandoq; idem Badurad us Antistes in familiari colloquio circūstantibus quæstionem proponeret, quid sibi vellēt ea saluatoris verba: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet; & quidam ex eis responderet, Meinulpho audiēte: Christus filius hominis, cordis nostri domicilium sibi expetit, sed peccata nostra eum inde excludūt. Quod responsum, Episcopo illud mox approbate, Meinulphi animum tantum Christum in pectoris sui hospitio recipiendi accendit desirio, vt non satis putaret suum illi præparare pectus, sed etiam templum materiale illi construere modis omnibus peroptaret.

Matth. 8. Luca 9.

En q. èm prosint colloquia bona.

S. Meinulphus cōstruit monasterium Budicense.

Igitur trina cælesti visione, loco opportuno ad structuram tēpli iam designato, summa Antistitis sui cōgratulatione ac Lodouici Imperatoris (q. Carolo Patri iam in regno successerat) ratificatione, ibidē insigne Cœnobiū cum Ecclesia ex patrimonij sui facultatib. condit: Ecclesiam dedicari curat, multaq; ex paternis bonis ei prædia largitur: instituitq; illic congregationē secularium, vt vocāt, Canonicarum. Ipsum verò locum dici voluit Saxonicè Nienbodeken, quod latinè possit reddi Nouum doliolum: idq; propterea, vt internosci posset à villa propinqua, quæ Bodeken tūc dicebatur, & postea, vetus Bodeken appellata est.

Inter

Inter hæc miraculorum signis illustris, ita vitæ actuosæ sese impendebat beatus Meinulphus, vt tamen contemplatiuæ quietem non amitteret: ita contemplationi cælestium vacãs, vt curam proximorum sibi minimè putaret omittendã. Sicq; demum plenus dierũ & bonorum operũ, ab his euocatus tenebris, lucidissimis Angelorũ ordinib. insertus est. Accidit verò protinus res admiratione digna. Nam cum corpus eius exanime in feretro iaceret, reuixit: seq; erigens, apertis oculis ad circũstantes hæc inter cetera ait: Quandoquidẽ ego vobis præsentibus vita functus, rursus vitæ restituor, vos gratias agatis Deo, quorũ salutis causa id fit, & ego vt id fieret apud Dei Genitricem & virginem perpetuam impetraui. Nec mihi facilè videtur denuò oppetere mortem, tametsi non ita acerbam, vt fuit nuperrimè. Vos autem ite, quæso, ad Episcopum, & quot sudoribus mihi constiterit huius Cœnobij structura, ei indicãtes, petite ab illo, vt quæcunq; huius loci fuerit electa Abbatissa, etiamsi ancilla sit, non id interdicat: simulque dicite ei, me corpore exutum didicisse, quid de illis fieri oporteat, qui pastores ecclesiarum esse videntur. His dictis, clausit oculos, seq; reclinans in feretrum eo in loco composuit, vndè prius se erexerat. Sepultus est autem intra Ecclesiam illam quam ibi condiderat: multique ad eius cõfluxêre monumẽtum, alij fama præteritorũ, alij edendorum miraculorum spe inuitati.

Miraculis clarus medium tenet.

Feliciter excedit è vita.

Stupendum miraculum in defuncto loquente.

En quæ petat Episcopo significari.

Ceterùm quinquagesimo anno ab eius obitu, Imperante Arnulpho eleuatum est corpus S. Meinulphi à Bisone 4. Paderbornẽsi Episcopo: atque

Eleuatio reliquiarũ eius miraculis celebris.

atque in arca decenter conditum, reuerenter in ipsa Ecclesia collocatum: vbi protinus eximijs miraculis Dominus sanctum suum glorificauit. Porrò monasterium illud multo post tempore cum à primo illo suo splẽdore plane defecisset, ab Episcopo Diœcesano Canonicis regularibus datum est: & ab illis Deo adiuuante in statum pristinum reuocatum.

Canonicis datur eius monasteriũ.

VITA S. BRVNONIS, CARTHVSIENSIS Ordinis Eximij Patriarcha: Ex ea, quam V. P. Laur. Surius, ex RR. & Religiosis admodum Patribus Francisco de Puteo & Petro Blomeuenne paraphrasticos conscripsit. Vita functus est vir sanctissimus anno Domini 1101. Relatus verò in numerum Sanctorum à Leone 10. Romano Pontifice.

Vide C. Baron. Notat. in Martyr. Roman.

6. Octob. *Patria & parẽtes eius.*

BEATISSIMVS Bruno, sacri Carthusiensis instituti primus auctor & architectus, in insigni Colonia Agrippina oriundus, parentes habuit, & genere & virtute claros: quibus tamen ille, atque adeò toti familiæ suæ maiorem vitæ suæ sanctimonia attulit splẽdorem. Ab ipsis autem incunabilis, puer ætatem morum grauitate vincens, præclarũ quoddam quasi futuræ religionis de se præbebat specimen: egregia indole, illustri ingenio, memoria tenaci, voluntate denique tota ad optima quæque consectanda studiosè propensus. Itaque adolescens cunctis ferè naturæ gratiæque dotibus à Deo eximiè ornatus, Lutetiam Parisiorũ maximarum artium disciplinis erudiẽdus destinatur: vbi inter præstãtes philosophos facilè primas

Optima illius indoles.

Mittitur Lutetiam studiorũ ergo.

primas tenens, magna cum laude magisterij titulo decoratus est. Indè ad sacræ Theologiæ studia se conferens, ingenij facilitate, ardoreque proficiendi perpetuo, Theologorum doctissimus ac celeberrimus euasit: ecclesiastico beneficio in Rhemensi ecclesia per id tempus honoratus.

Fit doctor Theologiæ celeberrimus.

Cùm igitur vir nobilis, & haud vulgari eruditione præditus Bruno, in huiusmodi studijs tota mente versaretur, essetque Lutetia & artium maximarum disciplinis, & candidatorũ frequentia sanè florentissima: accidit ijs temporibus, Gregorij videlicet Septimi Romani Pontificis, & Henrici Imperatoris Tertij, anno humanæ salutis millesimo octogesimo plus minus secundo, spectaculũ in ea vrbe horrendum & seculis omnibus memorandum: q̃ Carthusianæ vitæ instituendæ occasionem prębuit. Quidam enim Doctor, præ cæteris & eruditione, & eximia morum honestate conspicuus, in morbum incidit: ex quo, antè tamen omnibus, ritu Catholico, Ecclesiæ sacramentis munitus, vita functus est. Cumq; ei, recepta apud Christianos cõsuetudine, celebres pararentur exequiæ: funus, magna magistrorum, candidatorum, ciuiumque prosequente caterua, in templum, vbi sepulturæ mandandum erat, illatum est. Ibi verò, cùm sacerdotes, alijque sacris deputati ministerijs, solitum officium peragerẽt, precesque, quas Vigilias defunctorum vocant, recitarent: vbi ad eam lectionem ventum est; Responde mihi quãtas habeo iniquitates? subitò cadauer, eleuato paululum capite, cunctis videntibus, & audientibus, & ad tantam rei

Horrendum spectaculum Lutetiæ, de præstantissimo quodam Doctore defuncto.

1. *Clamat idem defunctus se accusatum.*

nouitatem haud immeritò stupentibus, alta & horrenda voce dixit; Iusto Dei iudicio accusatus sum: & his dictis rursus in feretro caput deposuit. Qui verò funeri intererant eius voce, & gestibus non mediocriter perterrefacti, consultò quidem & proindè, sepulturam eius in crastinum diem differendam decreuerunt: tam inuisitatæ rei exitum suspēsis animis præstolantes.

Altera luce, cùm iam facti huius fama toto esset vrbe diffusa, innumera propè hominū vtriusque sexûs turba, ad eam confluxit ecclesiam. Tum verò denuò repetitis exequijs, postquàm supradictæ lectionis initiū recitari cœpit, idē defunctus erecto capite, ingenti rursus voce clamat; Iusto Dei iudicio iudicatus sum: moxque in feretrum se reponit. Corripiuntur adstātes omnes summa & incredibili admiratione: horrendumq; spectaculū stupore afficit vniuersos. Sed quia ea, quæ hactenus dixerat, apertam necdū habebant damnationis eius significationem; cunctis visum est, etiā in tertium diem protrahere sepulturam. Eo autē illucescente, tota ferè ciuitas, tam inusitati & terribilis Dei iudicij expectatione suspensa, eò certatim confluxit. Cumque eodem modo iterarentur exequiarum ritus, & ad lectionem, quam diximus, peruentum esset.

2. *Item se iudicatum.*

3. *Clamat defunctus se damnatum.*

Tū rursū exanimus feretro caput extulit alto,
Atq; infœlicem se contemplando, locutus;
Sic ait immenso luctu, grandiq; boatu:
Parcite funeribus, mihi nil prodesse valetis;
Heu infœlicem cur me genuêre parentes?

Ach

Ach miser æternos vado damnatus ad ignes.
Indeq; conticuit semper, iacuitq; supinus.

Ad eam vocem, quis est, qui non intimis sensibus exhorresca? Penetrauit illa terribilis vox, Iusto Dei iudicio damnatus sum, ipsas ossium medullas omnium: videbanturque adstãtes, omnes penè exanimes, totis membris contremiscere. Quid enim? Si homo ille, nõ modò diuinarum rerum sciẽtia ornatus, sed & opinione omnium sanctitatis laude præditus, dãnatum se iusto Dei iudicio clamabat: quid putandum est eos sibi proposuisse, qui nullis virtutũ meritis instructi, aut grauioribus etiã delictis onerati, huic tam tremendo spectaculo intererant? Tandem ea omnium fuit sententia, vt doctor ille, ad eum vsque diem celeberrimus, & sempiterna memoria, vt putabatur, dignus, omni Ecclesiæ suffragio, & ecclesiastica quoque sepultura indignus censeretur: eiusque cadauer in sterquilinio sepeliretur. *In sterquilino sepelitur vir celeberrimus.*

Verumenimuerò cum tam inauditum miraculum multis efficax esset incitamẽtum ad vitam animumque corrigendum, tum ipse quoque venerabilis Bruno, qui præsens suis oculis auribusque omnia dicta factaque hauserat, nimium formidando obstupefactus exemplo, totus in lachrymas resolutus, profundius secum diuini iudicij seueritatem, & incertũ huius vitæ exitum perpendere cœpit. Territus ergò, & diuini iudicij compũctus aculeis, accersiuit ad se nonnullos ex sodalium suorum intimis: magistrum Laudunium; qui post eum primus fuit Carthusiæ præfectus; duos Stephanos, Burgensem *Permouetur S. Bruno eo spectaculo ad pœnitentiam.*

ſem & Dienſem; ambos S. Ruffi Canonicos; Hugonem, ſolum inter omnes ſacerdotio initiatum; & laicos duos, Andream & Guarinũ: qui & ipſi huic ſpectaculo interfuerant; aitque lachrymabundus ad eos.

Oratio Brunonis ad Socios adhortatoria.

Vidimus per hos dies fratres & amici mei, vnicè mihi in Chriſto chari; vidimus, inquam, admiranda planè atque ſtupenda; quæ tamen magnæ nobis vtilitati eſſe queunt, ſi ita, vt par eſt, defunĉti huius, modis omnibus infœliciſſimi, non periculum aut caſus dubius, ſed certiſſima damnatio, cautos nos & ſolicitos faciat, ad placandum Dominum; cuius manum effugere omninò poteſt nemo. Sed quis obſecro tam letali ſit ſomno vitiorum oppreſſus, vt infauſtis deplorati hominis huius clamoribus, immò & tonitruis, ad curãdam ſalutem ſuam non excitetur? Nouimus hunc virum multa ſapientia præditum; moribus ornatum; caſtum, pudicum, prudẽtem: ab omnibus honoratum, & magno in precio habitum. At nunc ex ipſiuſmet ore audiuimus, iuſto eum Dei iudicio ſempiternis gehennæ flammis condemnatum. Quavoce, quid dici aut fingi terribilius poſſit? Quid eſt enim damnatum eſſe, quam in ea incidiſſe mala, quę nulla mens capere, nulla lingua explicare poteſt? Et quidẽ ſi ea finem quandoque haberent, poſſent ſaltem vtcunque videri tolerabilia: iam verò cùm ſint longè acerbiſſima, & in omni ſeculorum æternitate duratura, non poſſunt non omnium eſſe miſerrimi & infœliciſſimi, qui ad ea deuoluuntur. Videamus nunc quæſo, quid ei apud inferos tam multo parta labore ſcientia proſit, cùm illic ſem-

Qualis in viuis extiterit Doctor ille damnatus.

Æternitas ſemper ob oculos ponenda.

ſempiterna laboret cæcitate & ignorãtia;quid opes & copiæ; cum nec vna ei ſuppetat aquæ gutta,qua poſſit æſtuantis gehennæ ardoribus exuſtam refrigerare linguam:quid honores & deliciæ;cùm tot nunc in omnem æternitatem cogatur ferre tormenta,quot in mundo habuit oblectamenta. Vidimus corpus eius ſumma cũ ignominia in ſterquilinio ſepeliri: cogitemus animam eius ſulphureis ſemper arſuram flammis,ſepultam in inferno;vbi vermis eorũ non morietur, nec ignis extinguetur: vbi ignis ſæuit intolerabilis,fœtor cruciatabominabilis, dolor vaſtat ineffabilis. Hæc ſerio,fratres mei chariſſimi,cogitãtes& in intimos animi receſſus cõdẽtes,nobis quæſo proſpiciamus,ne etiã cum illo miſero nos quandoque miſere pereamus. Amplectamur vnicum, quod ſupereſt, pœnitentię remedium,ad quam ſacra nos ſcriptura inſtanter hortatur. Sint nobis lachrymæ noſtræ panes die ac nocte,& ijs diluamus peccatorum noſtrorũ ſordes: certi eas voces propter nos editas,quos adhuc diuina clementia longanimiter expectat. Non differamus quæſo vitæ correctionem,de die in diem,cum neſciamus,qua hora Dominus noſter vẽturus ſit. Qui enim,vt ait beatus Pontifex Gregorius pœnitenti veniam ſpopondit,peccanti diem craſtinum non promiſit.

Iſaiæ 66.

Inferorum horrendæ pœnæ.

Pſalm. 41.

Pœnitentia haud procraſtinanda.

Matth. 24. & 25.

His verbis omnium animi ad pœnitentię rigorem inflammati ſunt. Itaque Lauduino viro docto & pio, de modo & loco percunctanti,Bruno reſpondit: Spectaculum, quod vidimus,quod ſalubri nos mœrore affecit, quod conturbauit & exterruit nos, & pœnæ ſempiternæ

ternæ formidine ad pœnitentiam adduxit, id efficiat in nobis, vt spreto mundo, extra eum, quoad eius fieri potest, aufugiamus. Succurrat nobis, quod de se olim dixit S. Dauid contristatus in exercitatione sua & cõturbatus à voce inimici, & à tribulatione peccatoris: quando cor eius intra ipsum conturbatum fuit, & formido mortis cecidit super eum; timor quoque & tremor venerunt super eum, & contexerunt eum tenebræ; quæ omnia, vt nostis, nos quoq; experti sumus. Quis dabit mihi, inquit, pennas, sicut columbæ, & volabo & requiescã? Eccè elõgaui fugiens & mãsi in solitudine. Fugere nos admonet hominũ frequẽtiã & peccãdi occasiones, & degere in solitudine, quæ loc' est agẽdæ pœnitentiæ opportunus, virtutũ doctrix, gloriæ reuelatrix. Eã ergò nos par est studiosissimè inquirere; in ea diligẽtissimẽ cõmorari; & virtutum operibus tota mẽte insistere. Habemus exempla in ipso Saluatore, quẽ constat sæpè deserta expetijsse loca, vt nos ad similia prouocaret. Ioãnes Baptista, quo inter natos mulierum nemo surrexit maior, in deserto ad vsque diem ostensionis suæ commoratus est. Longum sit, cæteros commemorare homines sanctissimos, qui, spretis mundi pompis, in intimas sese solitudines abdiderunt.

Psalm. 54.

Fugiendæ peccandi occasiones.

Encomion solitudinis.

Matth. 11.

Luc. 1.

Inter hęc cùm solitarię vitę desiderio vehementer incẽsi, de loco cogitarẽt, deq; viro bono & fideli inquirẽdo tractarẽt, qui locum opportunũ indicare posset, Stephani duo Burgensis & Diẽsis, S. Brunoni Hugonẽ Episcopũ Gratianopolitanum suggesserũt; virũ in omni virtutum genere probè exercitatum, & intima eis fami-

familiaritate deuinctũ: ac laudibus humanitatis & benignitatis egregiè ornatũ. Cõfirmauit protinùs Stephanorũ sententiã Hugo sacerdos; dixitq; sibi virũ illũ probè cognitũ esse, animarũque salutis summopere studiosum, obuijs, quod aiũt, vlnis aduentũ eorũ excepturũ. Quid multis? Cuncti, pari animorũ concordia atque ardore in nouã Christi æterni Regis militiam coniurantes, amicis & notis omnibus valere iussis, lõgo & molesto ac duro itinere, ad beatissimum Hugonem Episcopum Gratianopolitanum se conferũt. In ipso autẽ itinere, ad quẽdã magnæ religionis eremitã diuertunt, vt ab eo tanquã experto, de vitæ solitariæ ratione exactè instruantur. Eius sermonibus & pijs adhortationibus mirificè exhilarati confirmatique, alacriter cœptum iter prosequuti sunt.

Conferunt se Gratianopolim ad Episcopum Hugonem. Consulunt eremitam in itinere.

Per idem autem tempus Hugo antistes vidit secundum quietẽ, Deum in ea eremo, quæ Carthusia dicebatur, domũ suæ maiestati exædificantẽ; septem quoq; rutilo colore stellas in orbem depositas & à terra paululum subleuatas, ab illis cælestibus situ, motu, colore & splẽdore discrepantes, itineris ducatum sibi præstantes. Cumque eam visionem mente cogitabundus volueret, nunciatur ei septẽ viros stare pręforibus, qui eius colloquiũ humiliter expetãt. Cõfestim benignè admissi; eiusque pedibus reuerẽter prostrati, optata inprimis benedictione potiũtur. Cumque ab eo eleuati pariter cõsedissent, causamq; aduentũs Antistes diligenter inquireret; Sanctus Bruno, quid Parisijs vidissent, quid audijssent prudẽter grauiterq; cõmemorat; & quemadmodùm ipsi inter se, de

Visio S. Hugonis Episcopi: cuius vitã reperiet lector 1. April.

Excipiuntur humaniter ab Episcopo.

vita

vita ſolitaria complectenda ſanctè conſpiraſſent, exponit: locumque pœnitentiæ aptum ab Epiſcopo poſtulat. At ille prę rei nouitate primùm obſtupeſcit: ſed tamen eorum cõuerſionem, animi cõſtantiam, & ardui propoſiti pluribus quandoque profuturi; & viſioni ſuæ accommodati magnam vtilitatem accuratè contemplans, ingenti cum gaudio eos amplexatur. Deindè viſionis ſuæ ſeriem referens, locũ quem expeterẽt ſibi iam diuinitùs demonſtratum dicit.

Hebr. 11. S. Hugo egregiè eos hortatur ad perſeuerantiam.

Veruntamen ad perſeuerantiam eos vt hortaretur, proferens ex Apoſtolo locum illum: Sancti, quibus dignus non erat mundus, egentes, anguſtiati, afflicti; circuiêrunt in melotis, in pellibus caprinis; in ſolitudinibus errãtes, in mõtibus & ſpelũcis, & cauernis terræ: Horum, inquit, inſiſtere veſtigijs laudabile & valdè quidẽ ſalutare eſt; ſed difficile certè, in his præſertim regionibus frigidis: quæ nihil cum Aegypto & Paleſtina commune habent. Vobis autem locus diuinitùs aſſignatus, eſt eremus quædam in altiſſimis mõtibus, quam Carthuſiam vocant; ampla illa quidem, ſed prorſus inculta, ſoliſque feris peruia; hominibus verò & cæteris domeſticis animantibus propter loci aſperitatem pene incognita & inacceſſa. Et vt verbo concludam, tanta eſt eius eremi aſperitas, & horror tantus, vt carceris cuiuſdam potius, quam humanæ habitationis nomen mereatur. Nõſtis autem voſipſi, fratres mei, quam turpè & probroſum ſit, poſt miſſam ad aratrũ manum, retrò reſpicere. Nõſtis vxorem Lot, vbi reſpexit, ibi conſtitiſſe, & in ſalis ſtatuam

Horridus valdè locus Carthuſia.

Luc. 9.

Geneſ. 19.

con-

conuersam esse: vt suo prudentes condiret exemplo.

Hæc & pleraque alia cùm dixisset antistes; sanctus Bruno ita respondit. Posset quidem nos fateor, Reuerendissime Pater, locus ille sanè terribilis, facilè à constãtia deterrere, nisi huc tali accessissemus animo, quo omnia, Christi amore, perferre parati sumus. Et quanquam infirmi fragilesque, tantis ferẽdis laboribus impares videmur, diuina tamen freti misericordia, in sancto proposito, ad extremum vitę spiritum constantiam speramus. Tum verò antistes illorum proposito ex animo gratulatus, eremum Carthusiæ eis donauit; paucisque post diebus, quibus fessa ex longo itinere membra curabant, nouos eremi incolas ad Carthusiæ solitudinem deduxit. Annus tunc agebatur seculi istius millesimus octogesimus quartus; quo tempore: circà solennitatem S. Præcursori sacram, prima ecclesię (quę dicitur ad beatam Mariam de Casalibus) & domiciliorum cellularumque iacta sunt fundamenta. In singulis earum bini fratres degebant; qui secundum priscos illos AEgyptij monachos, silentio, orationi, & rerum diuinarum contemplationi sedulò vacabant. Atque vt suæ & inopiæ consulerent, & laborantem Ecclesiam quisque pro viribus adiuuarent, operi manuum, conscribẽdis præcipuè libris, strenuè viriliterque incũbebant: vt quandò verbum Dei ore non poterant, manibus saltem prædicarent.

S. Bruno respondet Hugoni Ep. Gr.

Donat eis Carthusiam Hugo.

Ecclesiam & cellulas ædificant.

Pia eorum exercitia.

Igitur post multas difficultates, casis, veriùs, quam cellis in ea solitudine extructis, cũ omnes inter se incredibili charitate deuinct,

Encomium S. Brunonis.

angelicam in humanis corporibus exhiberent vitam, tùm ipse Bruno, velut sol inter astra, inter alios vitæ sanctitate excellere videbatur. Sublimis enim & ardui instituti futurus architect⁹, singulari debuit cælestis gratiæ prærogatiua eminere. Nihil attinet hic eximias sãctissimi viri laudes commemorare; cuius sanctitas licet in vasta solitudine & præruptis esset inclusa mõtibus, diu tamẽ occulta latêre nõ poterat. Nam cum non totos sex annos in exigua illa quidem, sed sancta sodalitate exegisset, Pontifex Vrbanus secundus, qui olim beati viri discipulus fuerat, cùm ad illud sublimè præcipui honoris fastigium euectus esset, cuperetque tantum munus accuratè implere, non immemor egregiæ virtutis & illustris doctrinæ eius sui præceptoris, acciuit eum per literas ad sanctæ Ecclesiæ præstanda officia; grauiter præcipiens, ne venire ad Vrbem cunctaretur.

Euocatur à Pontifice ad Vrbem S. Bruno.

Illo Pontificis mãdato consternati sanè fratres, negabant se in vasta illa solitudine perdurare posse; si tanti patris præsentia orbarentur. Quorum lachrymis, incredibili mœstitia affectus Bruno, cum Pontificis mandatum sinè manifesto rebellionis scelere reijcere non posset, conatus est quidẽ modis omnibus, & paterna quadã cõsolatione illorũ lenire dolorẽ: sed persuadere nõ potuit, vt sinè eo in vasta illa solitudine permanerent. Tu enim, dicebãt, venerande Pater, post Deũ es spes nostra, tũ refugiũ nostrũ, tu consolatio & consiliũ nostrũ. Te ergo recedẽte quid nos facturi sumus? aut te absente, ad quem recurremus? Quamobrem si ad Pon-

Fratres nolunt sinè illo manere in Carthusia.

ad Pontificem te trahit obedientia, tecum nos vnà trahet supereminens charitas, quæ est in Christo Iesu: quam separare & conuellere non poterit, neque mors, neque vlla creatura. Audiens hæc beatus Bruno, cernensque eos nullam admittere consolationem, nec persuadere se illis posse, vt in Carthusia manerent, ne locus ille iam Deo dicatus ad prophanas laicasque rursus deuolueretur manus, cõmendauit eum tradiditque venerabili viro Siguino Abbati Casę Dei: qui vnus ex primis donatoribus tali eũ recepit conditione, vt reuertẽti cũ suis S. Brunoni eum restitueret. Peractis igitur omnibus, perceptaq; beatissimi Hugonis Episcopi benedictione, vrgente Pontificis mãdato Romã profectus est. Patet hinc luce meridiana clariùs, quam eximia fuerit virtute præditus Bruno, à quo sic toti pendebant religiosi fratres, vt vitam ipsam prorsus insuauem & molestam sibi putarent, si eius præsentia frustrari ipsos oporteret.

Proficiscitur Romam S. Bruno cum suis.

Vbi autem ad Vrbem peruenit, Pontifex aduentu eius mirè exhilaratus, intimis eũ protinùs sociauit cõsiliarijs, & fidelibus amicis: nũquã nõ eius in arduis Ecclesię negocijs vtẽs cõsilijs. Fuêre aũt eò fratres omnes diuino haud dubiè spiritu delati; sed incredibili sanè dolore postmodũ affecti, quòd Carthusię solitudinẽ reliquissent. In mentẽ enim eis veniebant non carnes, aut cucumeres & pepones, vt illis quõdã Israeliticis in deserto murmuratoribus, sed sãctæ meditationes, feruẽtes orationes, studiosę lectiones, cęterę que spiritualis vitę delicię; quibus in Carthusiano deserto perfruiti erant:

A Pontifice humaniter excipitur.

Numer. 11.

nec poterant erumpẽtes cohibere lcchrymas, cum cernerent ex tam alta quiete & tranquillo silentio in molestissimos strepitus & varios rerum tumultus se coniectos. Itaque B. Bruno cùm recedendi copiam à Pontifice necdum impetrare posset, obtentis ab eo ad Abbatem Signinum literis, vt Carthusiæ eremum restitueret, præfectoque cæteris suo loco in Priorem Lauduino, eos ad Carthusiam præmisit, mox, vbi per Pontificem liceret, alacriter sequuturus.

Carthusiani fratres, relicta Vrbe, redeunt ad Carthusiam.

Postquã autẽ duce Lauduino in Carthusiam venêre, fuêre quidẽ peramanter à Signino Abbate excepti, & in eremi istius possessionẽ constituti, crebrisque S. Brunonis literis in arduo vitæ proposito confirmati; sed paulò pòst antiqui serpentis insidijs vehemẽter oppugnati ac penè circumuenti. Præsentiens enim iam tunc tortuosus ille coluber, quãta ad ipsum, ex illo præclaro sublimis & Angelicæ vitæ instituto, reditura essent damna, ac detrimẽta; immodicam illis fratribus pusillanimitatẽ & perplexitatem iniecit: adhibitis ad eam rem, tãquàm aptissimis instrumentis, quorundam malignorum hominũ linguis, fraudulẽtis fallacibusq; qui nouitatis eos insimulãtes, aiebant illos in mortis discrimẽ sese cõijcere. Et effectũ est sanè, vt optimi patres, animis fluctuare incipierẽt, quidnã facto opus esset; tum propter susceptæ vitæ austeritatẽ, tum propter deserti illius horrorẽ & vastitatem: in qua, illorum nequam hominum moti sermonibus, in vitæ periculũ se venturos etiam ipsi iam formidabant. Cõtrà autem non parũ verebantur, si indè recederẽt, se Deum,

Mali homines eis magnos inijciunt scrupulos.

se Deum & stellas duces, quas sanctus antistes viderat, offensuros. Verùm in tantis tenebris ac procellis nutantibus & in magnum periculum adductis, peropportunè diuinæ bonitatis mox adfuit consilium: quo diabolica fraude discussa, in susceptæ vitæ proposito planè confirmati fuêre. Cùm enim die quodam hisce, de rebus anxiè inter se colloquerentur; interuenit fortè vir quidam, vultu canitie, totoque corporis habitu venerabilis; qui huiusmodi verbis consilioque, abstersa ab animis caligine atque anxietate, eos confirmauit: Perplexi estis animis, fratres, vtrum hanc eremum incolere, vel ex ea recedere expediat. At ego, omnipotentis Dei verbis vobis annuncio sanctissimam Dei genitricem perpetuò, suo patrocinio, hoc in deserto vobis affuturā, si eius in honorem Horarias preces quotidiè legere velitis. His dictis repentè ab eorum oculis ablatus senex, incredibili eos gaudio delibutos reliquit. Fuit vna omnium opinio hominem illum Apostolorum principem extitisse, quòd eius successor Vrbanus secundus in Concilio Claremontensi beatissimo matris Dei preces horarias à toto Clero dicendas instituit. Igitur hac visione in Domino mirificè confortati, statuerunt in ea solitudine sub protectione Virginis matris & Præcursoris Baptistæ ad extremum vitæ spiritum latitare.

Cælesti visione confirmantur.

Præces horariæ beatæ Virginis à quo institutæ.

Intereà B. Bruno Curiæ strepitus & tumultus vehemēter pertæsus, totis votis ad tranquillū solitariæ vitæ portū aspirabat: obtinuitq; tandem multa precum instātia à Pontifice, ad suā recedēdi eremū; vel certè si sic visum esset, aliā

expetendi copiã & facultatẽ. Per id tẽpus, annuente eodẽ Pontifice, electus fuit vir sanctissimus, Rheginensis ecclesiæ, quæ est prima totius Calabriæ metropolis, Archiepiscopus; multusque erat in eo Pontifex, vt eum in ea dignitate confirmaret: sed non ignorãs ille, quot periculis, quot curis & molestijs eiusmodi ecclesiasticæ functiones obnoxię sint; noluit electioni præbere assenlum, modestè humiliterq; eam dignitatem deprecans. Tandem summa Pontificis voluntate, à Curia discedens, deserta Calabriæ loca expetijt, adiũctis sibi aliquot eiusdem propositi viris, quos iã vitæ eius odor bonus, & feruentes exhortationes ad mundi cõtemptũ adduxerãt. Didicerat.n. in Calabria regione multas esse solitudines agẽdæ pænitẽtiæ & vitæ solitariæ consectandę aptissimas. Et quidẽ erat illi charior multò solitudo Carthusiæ; sed quia Põtifex Maximus tũc tẽporis cum sua curia Gallias petebat, (in quarum finibus Carthusia sita est) verebatur, si ipse quoque eò se conferret, ne aut Curiã declinare nõ posset, aut illam nõ relinquere, sed sectari videretur.

Recusat Archiepiscopatũ Rheginensem S. Bruno.

Assumptis socijs aliquot, deserta Calabriæ expetit.

Ratio quarè non repetierit Carthusiam.

Igitur, quanquam incredibili fratres in Carthusia reuisendi teneretur desiderio, visum tamẽ est potius Calabriam petere nihil interim mutata voluntate Carthusiam optatissimam repetendi, compositis sedatisque rebus; sicut & declarant literæ quas ex Calabriæ solitudine Fratribus in Carthusia degentibus scripsit; in quarum calce sic habet: De me (inquit) Fratres, scitote quoniam vnicum mihi post Deum desideriũ est veniendi ad vos & vos videndi: & quando potero, opere adimplebo, Deo adiuuante.

En feruens eius desiderium esse cũ fratribus in Carthusia.

uante. Inuenit autem in eadem Calabria quandam eremum, cui nomen Turris, in diœcesi Squillacensi; vbi raptim humiles ac nullius penè precij casas excitauit: in ijsque, cum nouis suis eremi militibus, tanta animorum suauitate & cælestis vitæ dulcedine, degit, quantã ille ipse vir sanctus insigni eloquentia, in epistola ad Radulphum Rhemensis Ecclesiæ Præpositum, posteà episcopum, pro dignitate satis prædicare non potest.

In deserto Turrensi degit.

In ea autem Turrensi eremo vir sanctus vt primùm cum suis habitare cæpit, accidit die quodã vt Rogerius Calabriæ Comes, venationi deditus, ad eum locum, totius rei nescius perueniret. Cùm enim canes sagaciter ferarum explorarent vestigia, ad casas in quibus vir beatus commorabatur, accurrêre; atque illic subsistentes, magno latratu optimam se reperisse prędam domino suo indicabant. Aduolat ocius cum suis Comes; offendensque patres, erectis in cælum vultibus manibusque in speluncis suis Deum laudantes, ingenti admiratione repletus, protinus ab equo desilijt: & data acceptaque peramanter mutua salutatione, causam aduentûs eorum conditionemque requirit. Cognitis autem omnibus, maiori gaudio exultans, Deumque glorificãs, qui eum tali pręda dignum iudicasset dedit eis ecclesiam S. Mariæ & beati Stephani de eremo, vt quietius illic diutiusque permanere possent. Persuadebat enim sibi, se terramque suam eorum meritis & precibus apud Deum, adiutum & in pace conseruatum iri. Neq; sanè eum fefellit opinio. Nã eius beati viri meritis

Proditur latratu canũ.

Comes Calabriæ dat eis Ecclesiam B. Mariæ.

precibusq;, Dominus à præsentissimo periculo & structis ei insidijs illum liberauit: quod ipse Comes in Dei gloriam & ob diuulgandã vbiq; Brunonis sanctitatem, literis suis posteritati omni testatum reliquit in hæc verba.

Litera Rogerij comitis Calabriæ & Siciliæ.

Ego Rogerius diuina misericordia Comes Calabriæ & Siciliæ nota esse volo, cunctis Christi fidelibus præclara beneficia meritis precibusq; reuerendi fratris mei Brunonis, pientissimi patris fratrum, qui habitant in ecclesijs S. Mariæ de eremo & S. Stephani protomartyris, à Deo mihi concessa. Cùm essem in obsidione Capuæ Kalendis Martij, & præfecissem Sergium natione Græcum, ducentis armigeris nationis suæ principem, exercitûsque excubiarum magistrum: is idem Principis Capuæ promissis, & ingenti auri argẽtique vi, ad proditionis scelus inuitatus, ad inuadendũ me meumque exercitum, noctu ipsi Principi aditum se præbiturum est pollicitus. Igitur vt constituta proditionis aduenit nox, Princeps Capuæ, eiusque exercitus ad cædem extitêre parati. Cumque me sopori dedissem interiecto aliquanto noctis spatio adstitit cubili meo quidam reuerendi vultûs senex: qui scissis vestibus, lachrymisque totus infusus, ploratum reprimere nequibat. Cui cùm in visu dicerem, quæ causa ploratûs & lachrymarum esset; visus est mihi duriùs lachrymari: Iteratò quærẽti mihi, quis esset ploratus, sic ait: Fleo Christianorum animas, teque cum illis simul deploro; Exurge quamprimũ, sume arma, si liberare te Deus permiserit, tuorumq; animas pugnatorum. Hic mihi per omnia visus est venerabilis

Visio.

bilis Bruno. Expergefactus igitur cum terrore grandi, ilicò sumpsi arma: militesque pariter & arma conclamans, visionem, si vera esset sategi probari. Ad quem strepitum clangoremq; tubarum Sergius cum sequacibus suis in fugam conuersus, & centum sexaginta duo, vulneratos inter & sanos, capti milites, veram fuisse visionem comprobârunt. Reuersus itaque sum Deo volente, vicesima nona mensis Iulij Squillacium occupata Capuæ ciuitate, in qua continuos quindecim dies infirmitate detẽtus sum. Venit verò ad nos venerabilis Bruno cum quatuor de fratribus suis, sanctis suis deuotisque colloquijs me consolaturus: cui cùm visionem referrem & gratias, vt par erat, agerem, ille non se, sed Angelum Dei, mihi adfuisse humiliter asseruit. Volui autem ea propter, multis eũ, rerum mearum, quæ in Squillacensi terra possideo, donis muneribusque afficere: sed ille summus paupertatis amator, vtpotè qui domum patris sui, meamque dimisisse se contendebat, quo liberius Deo diuinisque rebus vacaret, constanter quidquam admittere recusabat. Tandem rogando obtestandoque peruici, vt monasterium S. Iacobi cum castro & res, aliaque bona cum amplissimis libertatibus admitteret.]

Magno miraculo seruatur.

Et quidem ea Comitis liberalitate fretus vir sanctus, condidit ibidem primò Ecclesiam in honorem matris Dei apud specum quandã subterraneam, in qua ipse morabatur. Deindè extruxit & alteram haud procul ab illa distantem S. Protomartyri Stephano dicatam, cum monasterio illi coniuncto in quo cæteri fra-

S. Bruno duas condit Ecclesias.

tres ſub cura & gubernatione tãti Patris Chriſto militabant. Cùm quibus vir ſanctus ad ſupremum vſq; vitæ diem in ea viuendi ratione vitęque aſperitate perſeuerauit; quam anteà in Carthuſia & dictis factisque profeſſus fuerat: interim etiã ſolicitè curã eorũ gerens, qui ibidem ſub Profecto Magiſtro Lauduino degebãt.

En vt ſe præparet ad mortem vir ſanctus.

Poſt hęc beatiſſimus pater lethali correptus morbo, cùm ſibi vltimum diem inſtare ſentiret, conuocatis fratribus ſuis, ab infantia ſingulas ætates ſuas replicauit; totiusque vitæ curſum, ſcientia & ſententia dignum, proclamauit. Poſteà ſuam de Sanctiſſima Trinitate fidem, protracto profundoque ſermone, profeſſus; & ſacramenta, quæ ſancta credit & veneratur Eccleſia, ac nominatim veritatem corporis & ſanguinis Domini ſub panis viniique ſpeciebus, integra fide amplexans: proximè indè Dominico die placidiſſimè animam efflauit, Pridie Nonas Octobris: Anno poſt Chriſtum natum milleſimo centeſimo primo. Corpus eius fuit à fratribus non ſine multis lachrymis in gaudio mixtis, in monaſterio S. Stephani poſt ſummum altare honorificè tumulatum. Eius autem ſanctiſſimam vitam mortemque precioſam multa ſunt cõſecuta miracula: quæ ob eius præclara merita Chriſtus edere dignatus eſt. Ad eius quidem ſepulchrum fons viuus ſcaturijt: morbidis adeò ſalutaris, vt cæci viſum, ſurdi auditum, manci mutiliq; membrorum integritatem, leproſi munditiem, & varij varijs oppreſſi languoribus perfectam ſanitatem reciperent. Non debet autẽ cuiquam ſcrupulum mouere, ſi fons ille iam non cernatur ad bea-

Fœliciſſimè decedit S. Bruno.

Fons ad eius ſepulchrum, admirandis miraculis glorioſus.

ad beati viri ſepulchrum. Fontes etenim miraculosè ebullientes, non ſemper perpetui ſunt: ſed interdum propter hominum demerita, eiuſmodi Dei beneficia ſubtrahuntur.

Ad eius verò ſepulchrum huiuſmodi Epitaphium appoſitum eſt.

Primus in hac, Chriſti fundator ouilis, eremo,
Promerui fieri: qui tegor hoc lapide.
Bruno mihi nomen; genitrix Germania: meq;
Tranſtulit ad Calabros, grata quies nemoris.
Doctor eram; preco Chriſti: vir notus in orbe.
Deſuper illud erat: gratia: non meritum.
Carnis vincla dies Octobris ſexta reſoluit:
Oſſa manent tumulo: ſpiritus aſtra petit.

Epitaphium B. Brunonis.

MARTYRIVM SS. ET GLORIOSORUM Chriſti martyrum Sergij & Bacchi. Ex eo quod eſt per Metaphraſten.

TEMPORE Maximiani tyranni, cùm vniuerſus ferè orbis terræ profundis ignorantiæ tenebris immerſus nefario idolorum cultui inſaniret, Sergius & Bacchus, ambo Romani, pietatis fideiq́ue in Chriſtum operibus tanquam ſtellæ lucidiſſimæ, in regia fulgebant. Neque enim plebei erāt, aut obſcuri: ſed Sergius ſcholæ Centiliorum primicerius, Bacchus ſecundicerius multum apud Maximianū Imperatorem & gratia & auctoritate pollebant. Sed à terrena cupiditate longè alieni, cęleſtibus perpetuò rebus intenti, cùm diuinas ſedulò ſcripturas voluerent, clariſſimisque virtutum exercitijs ſceleratorum quorundam

7. Octob.

Patria SS. Sergij & Bacchi.

Accusantur ab æmulis.

dam animos, vt fit, ad inuidiam prouocarent: fuêre ad Imperatorem delati, quod neglecto deorum cultu, ad Christianam religionem declinarent.

Ea accusatione stimulatus Imperator, statuit rei veritatem splendido quodam & magnifico sacrificio (sæpè enim solam inuidiam calumnię fomitem subministrare non ignorabat) experiri. Itaque fanum cum multa multitudine ingressus, suo cunctos exemplo ad sacrificandum inuitabat: obseruatis interim Sergio & Baccho, num pari impietate prompti paratiq; sese contaminarent. At illi viri generosissimi non modò sacrificium, sed & templi adyta execrati, foris Christi numini vota nuncupabant: precibus lachrymisque impijs idolorum cultoribus cæleste lumen veramque à Deo fidem postulantes.

Recusant ingredi fanum idolorum.

Porrò Maximianus solos illos absentes cõspiciens: veram esse accusationem ilicò intellexit. Vndè consueta animi sæuitia feritateque exardescens: Quid, inquit ad satellites, cunctamini? Ducantur execrandi, cum iussu terribili. Nihil à ministris cunctatum est: sed protinùs adducti martyres, Imperatori sublato supercilio torueque eos intuenti oblati sunt. Qui vt se manifestos euasisse cognouerunt, rati oblatam fidei & pietatis profitendæ occasionem nequaquàm negligendam esse, magna dicendi libertate Christi potentiam ac diuinitatem extulerunt: inania verò simulachra verbis, quibuscunque potuêre, depresserunt. Cęterùm Imperatorem, honore quo par erat afficientes, ita compellabãt: Nos, ò Imperator, hoc solùm tibi debe-

Sistuntur Imperatori.

Præclarè respõdent Imperatori.

debemus, vt in hac terrena militia grato tibi animo inseruiamus: & munus, quod vtriq; mandatum fuit, promptè fideliterque impleamus. Surdis verò & inanimis dijs, in summi illius Dei & vniuersorum Domini iniuriam sacrificare, neque iustum est, neq; vllis vel minis vel supplicijs adduci possumus: vt tanto nos scelere obstringamus. Pietate enim cùm nihil sit fortius, tum pro ea pati nihil beatius.

Afficiuntur ignominia.

His ad iram furoremque vehementiùs motus Maximianus, iubet statim magistratus spoliatos insignibus, muliebribus indui vestibus, colloque ferreis iniectis vinculis per mediam ciuitatem ad regiam duci. Postquàm eò, non sinè multorum in via contumelijs, peruentũ est, Imperator quanquàm puniendæ eorum constantiæ cupiditate arderet; cum tamen ad eorũ splendorem respiceret, verebatur talium virorum facere iacturam. Itaque habito cum suis consilio eos ad Antiochum, Orientis Ducem, transmisit: tum vt longi & laboriosi itineris molestia & ignominia, eorum frangeretur cõstantia; tum quòd sperabat Antiochum, crudelitate sua & industria, qua in puniendis Christianis valebat plurimum, haud dubia de illis victoria potiturũ: At sancti in ipso itinere cælesti visione mirabiliter confirmati, & molestias cunctas inuicto animo deuorabãt, & vultu læto alacrique eum ingenti omnium admiratione, truculentum Antiochi conspectum sustinebant. Fuerat is Antiochus summũ illum honoris gradum Sergij intercessione & gratia consecutus: vndè satis admirari non poterat, ad tantam eos animi processisse magnitudinẽ,

Antiochus Dux crudelissimus.

vt &

vt & supplicia, & minas, & gloriam, & Imperatorem, & ipsam deniq; mortem despicerent. Primò igitur in tutam eos custodiā recipi iussit; varia interim cum animo suo agitans consilia, vt à fidei Christianæ professione eos reuocaret, & sibi suisque maiorem apud Imperatorem eo facto gloriam compararet.

Mittuntur in custodiam Sancti.

Summo igitur manè sanctos precibus sedulò intentos, Dux blanditijs minisque egregiè instructus, ad tribunal suū adesse præcepit. Ibi vafra primum & callida oratione verbisque magnificis accepta ab eis beneficia replicare, & quasi incredibili animi dolore affectus, casum eorum deplorare: deindè ni mandatis Imperatorijs obedirent; minas intentare: & nomina tormentorum eis enumerare. At illi nihil fraudulentis illis emolliti blanditijs neque minis deiecti tale fere Iudici responsum dedere. Qui Christum, ô Iudex, & quæ apud ipsum vitam absconsa est, diligunt, ijs præsentia curæ nō sunt: non honor, non gloria, nō potentia: nec aliquid deniq; eorū, quæ homini in hac vita grata vel ingrata accidere possūt. Nos enim blanditias tuas æquè vt minas contemnimus. Cessa igitur eiusmodi antiqui serpentis insidias nostris ingerere auribus, quas tota mente auersamur.

Antiochus suis blanditijs & minis conatur eos seducere.

Martyrum memorabile responsum.

Dux cernēs eos tanta libertate & animi magnitudine præditos, omissis verborum lenocinijs periculum, per tormenta, facere cōstituit. Igitur Sergio in custodiam recepto, Bacchum fortiter à quatuor extensum, boum neruis cædi crudeliter iussit. Et quidem sanctissimi martyris corpus flagellis fœdè concisum fuit, frustis

Adhibet tormenta Dux.

frustis carnium hinc indè per aërem dispersis, sanguinisque riuis in terram manantibus: sed mens in supplicijs inuicta, præclarum, omniũ in conspectu, triumphum agere videbatur. Lictores fessi, humi accumbebãt; cum Martyr ad cælestia gaudia vocatus animã in manus Creatoris deposuit. Corpus fuit iussu Tyranni feris obiectum; quæ tantùm abest, vt in illud sæuirent, vt etiam Christianos illud ad sepulchrum deferentes, tanquam satellitum munere fungentes, comitarentur.

S. Bacchus in supplicijs tradit animam.

Sergius autem cùm interim ingenti propter separationem afflictaretur molestia, tùm rursus propter expectationem lætitia exultabat: cùm eccè diuinus Bacchus, cõsueto habitu militari, noctu ei apparens, omnem discutit tristitiam animique ægritudinem: & firmiorem fortioremque ad subeunda pro Christo supplicia reddit. Die autem sequenti Dux fallaci rursus beneuolentia instructus adfuit; modisque omnibus athletam Christi ad deorum sacrificia inuitauit. Sed cùm eum & blanditijs & minis superiorem longè conspiceret, in furorem cõuersus, iussit Martyrẽ crepidis ferreis, clauis vndiq; cõfixis indui: indutumq; è ciuitate Rosaphorũ ad Tetrapyrgiam 70. stadia antè se currere. Fuit hoc crudele profecto & acerbũ supplicium; sed martyris constantia adeò cunctis inuicta apparebat, vt satis superque mirari nõ possent. Post quàm autem Tetrapyrgiam venisset, ilicò datus est in custodiam, omni solatio destitutus humano, quò faciliùs se supplicem, quemadmodum Dux sperabat, exhiberet. Sed Martyr Christo suo supplex factus, media

Apparet S. Bacchus Sergio.

Crudele supplicium in Sergium.

Angelus ei apparet & sanat eius vulnera.

media nocte Angelica visitatione non modò recreatus confirmatusque, sed & integræ sanitati restitutus.

Dux eius curationem ascribit magiæ.

Manè verò Dux martyrem è custodia ad tribunal deferri imperauit. Neque enim fieri posse credebat, vt pedibus consisteret. Cùm verò alacritate incredibili eum venientem conspiceret, stupore propemodùm oppressus: Quid est, inquit, quod tantos illi animos addit? Magia profectò: quæ ei priùs & apud Imperatorem tantam præbuit fiduciam, & nunc statim sopijt, acresque vulnerum obtudit dolores. Ex hinc igitur omni spe victoriæ de Sergio abiecta, sermonem cum martyre familiariter instituere, & ad priorem assentationem redire: si fortè eum sic allicere posset. Sed cùm Christi martyr certaminum auidus ad coronam æternam aspiraret, non potuit non omnia sua responsa ad Christum eiusque regnum dirigere, vanaque Antiochi solatia deridere. Ille itaque adhuc magis desperans, sanctum denuò transmittit in carcerem: dans interim operam mensarum lautitijs & lætitijs.

Rursus ei blanditur vt fallat.

Damnatur capitis.

Cùm autem tempus instaret, quo ad Rosaphorum præsidium euocabatur, athletam rursus prioribus calceatum crepidis, à Tetrapyrgia ad Rosapha vsque sequi iussit. Eo itinere, pari, vt priùs, alacritate confecto, Dux Antiochus omnes suos conatus irritos cadere cernens, capitis eum sententia damnauit: quam vir sanctus multis victorijs inclytus, post breuem pro se & suis persecutorib. fusam ad Dominum orationē, ingenti vtriusque sexus spectante multitudine, alacriter excepit. Ex ijs

Truncatur.

autem

autem nonnulli, qui ad ſpectaculum conuenerāt, viri religione & pietate ornati, ſacras eius reliquias apud ipſum locum martyrij honorificè ac magnificè condiderunt. *Sepelitur.*

Poſt longum verò temporis interuallū, quidam pietate feruentiores à Surorū præſidio, ad ſurripiendas martyris reliquias venerūt. Cumque tumulo appropinquantes iam iam ſe voti compotes ſperarent, repentè ingens flamma furti index prorupit: qua ciues Roſaphorum excitati, rati adeſſe hoſtē, ad arma concurrunt: Surenosq; pios fures inopinato offendūt. Prohibent itaq; ne communem theſaurum proprium faciant: Roſaphorumq; ciuitatem præſidio martyris nudent. Surani autem ne fruſtrà eo contendiſſe viderentur, paruū quoddam templum in loco ſepulchri condiderunt: eoq; munere animum pietatis & religionis ergà martyrem pleniſſimum oſtenderunt. Paulatim verò pietate in Saluatorem & Dominum Chriſtū Ieſum augmentum capiente, antiſtites numero 15. Roſaphorum ciuitatem ingreſſi egregio opere templum ſanctis extruxerunt: eorumq; reliquias in eo cū ſummo honore ac reuerentia depoſuêre. Cæterùm quàm præclaris deindè coruſcarint miraculis, teſtis eſt [a] Euagrius Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſcriptor eximius: teſtis item [b] Nicephorus Calliſtus, qui inſigne de puero Iudęo refert miraculum: teſtis poſtremò [c] Iuſtinianus Imperator: qui cùm Conſtantinopoli, tùm Ptolemaide egregias S. Sergio Martyri erexit baſilicas.

En Surenorum feruorem pium.

Translatio reliquiarum SS. Martyrum in inſigne templū illis erectū.

a *Lib. 4. cap. 27. & lib. 6. cap 20.*

b *Lib. 15. ca. 23.*

c *Procop. lib. 1. & 5.*

VITA S. OSITHAE VIRGINIS ET Martyris: Ex ea quam fortè Albericus Veerm Regularis conscripsit. lib. 1. Catalog. Britannic. Tempus martyrij patet infrà.

Vide Tom. 8 Annal. C. Baron.

7. Octob. *Patria & parētes eius.*

BEATA Ositha nobilissimis Anglorum orta natalibus, filia quippè Fritheuualdi Regis, & VVilteburgæ filiæ Regis Pendæ Merciorum, pręclaro meruit in Ecclesia Christi, martyrio coronari. Hæc cùm puella, sanctæ Moduuennæ Abbatissæ bonis esset informanda moribus tradita: illaque eam Edithæ virgini sanctitatis merito claræ, sanctarumque virginum matri commendasset; Editha die quodam pij cuiusdam codicis lectione mirificè refecta, vt Moduuennam salutaris lectionis participem faceret, misit Ositham cum eodem codice ad sanctam Abbatissam: vt eundem vitæ spiritalis succum abundè ex eo hauriret. At verò Ositha ligneum quendam pontem transitura, parum cautè vestigia firmans, vi ventorum impulsa, deorsum in flumen per præceps corruit, atque eius impetu rapta, momento temporis absorpta est.

Ositha à flumine absorbetur.

Elapsis autem tribus diebus Angelus Domini Moduuennæ in cella oranti apparēs, monuit eam, vt festina ad fluuium pergeret, remq; apprimè necessariam expediret. Moduuenna voci angelicæ obediens, vt eò peruenit, inuenit Editham, puellam Ositham anxiè quæritantē. Qua non inuenta, Moduuenna cum ea in vota precesque incumbens, post largum lachrymarum imbrē, Ositham è fluuio cum codice prodientem recepit, eamque magna cum exultatione

Vide mirabilem vim precum sanctarum virginum.

tione amplexans Edithæ restituit, domumque remisit. Locus autem ille ab euẽtu nomen sortitus, ab incolis Nunpole appellatur: quanquã illa nigro solùm pallio amicta, monialis tunc non fuerit.

Post decessum autem sanctæ Moduuennæ beata Ositha virtute & moribus ornatissima, ad ædes paternas reuocata fuit. Ibi cùm in studio virtutũ quotidiè proficeret mirificè, iamque nubilis à Sigero Orientalium Saxonũ Rege, in coniugem expeteretur, illa reiectis semper parentum blanditijs, animo & actione virginitatis sibi puritatem vnicè cordi esse declarabat. Attamen quamuis renitens & inuita, nuptijs regali apparatu instructis, Regi illi tradita est. Sed affectum & desideria sua cælesti spõso sedulò commendans, preces votaque Deo offerebat instanter, vt ipsam à viri cõtactu immaculatam conseruaret. Interim diebus multis, laudabili quadã fallacia, multarumque occasionum opportuno prætextu, represso Regis desiderio, tandem in secretius cubiculum Rex voti eius plarè ignarus, iussit eam introduci, vt diu optatis eius frueretur amplexibus. Eccè aũt nutu diuino adest nuncius, Regi iucundos adferens rumores, ceruũ habitu & forma corporis spectabilẽ, præ foribus regiæ domũs discurrere. Ita Rex intactam deserens Reginã, adiunctis sibi venatoribus, ad persequendum ceruum perniciter aduolat. Ositha verò tanquàm è naufragio erepta, gratijs, vt par erat, liberatori suo Christo actis, mittit celeriter Oriẽtalium Anglorũ Episcopis Eccæ & Beduuino viris religiosis literas, vt festino gressu veniẽtes

Inuita coniungitur Sigero Regi Ositha.

Diuinitus intacta seruatur.

Induit habitum monasticum.

ipsam religionis habitu exornent, veloque impositо monialem consecrent. Adsunt illi dicto citiùs; cunctaque ex imperio Reginæ exequuntur.

Paucis verò post diebus rediens à venatione Rex, ad visitandam Reginam alacriter properat; cernensque eam sancto indutam habitu, & voto diuino obligatam, mœrore quidem afficiebatur: sed nolens amorem in odium commutare: constructis ædificijs religioni accommodatis, Chichēsem ei villam possidendam tradidit. Tum illa sacras sibi virgines adiungens, vitæ austerioris propositum aggreditur; morum disciplina, silentij rigore & censura continentiæ singulas informat, & tum verbo tum exemplo ad amorem cælestiū & mundi contemptum indesinenter accendit. Cumque in Dei famulatu aliquamdiu desudasset, humani generis inimicus, & virtutum exterminator diabolus, beatæ eius cōuersationi inuidit, & quam de die in diem proficere conspexit, à via sanctitatis auertere studuit. Itaque satellites suos ad sanctæ virginis euersionē misit, è Danorum finibus filios perditionis: Christianæ fidei & pietatis expertes; piraticis & Christianorū cędibus assuetos; rapinis inhiantes, & cunctis sceleribus impijsque facinoribus plus satis insignes.

Rex id permittit & monasteriū ei condit.

Danorum feritas.

Anno igitur Domini sexcentesimo quinquagesimo tertio, mense Octobri, gentilium caterua è Danorum partibus nauibus aduecta, apud Orientales Saxones ad villam Chichensem appulit; atque in terram exposita rapinis & incendijs in Christianos sæuire cœpit. Ille verò, qui

qui inter ſceleſtos illos primas obtinebat, conditione beatæ Oſithæ & religione comperta, precibus & munerib. eam ad idololatriã prouocare, minas etiã verberum vulnerumq; intẽtare, niſi deorũ, quos colebat, venerationi conſentiret. At virgo ſancta & blanditias contemnens, & minarũ aſperitatem nihil reformidãs, ſupplicia impendentia paruipendit. Quamobrem princeps ille, neque eius conſtantiam, neque deorum ſuorum iniuriam ferre ſuſtinens, capitali in eam lata ſententia, caput ſubmittere coẽgit. Quod cùm amputatum ei eſſet, corpus mox ſeſe ſubrigens, apprehenſo humi capite, recto tramite, & firmis veſtigijs progrediens, ad Eccleſiam Apoſtolorũ Petri & Pauli per tria ferè ſtadia illud detulit. Ad oſtium aũt Eccleſiæ obſeratum ſubſiſtens, manibus cruentatis fores pulſat, relictisque ibidem ſanguinis veſtigijs, in terram corruit. Eo autem loco, vbi capitalem virgo ſancta ſubijt ſententiam, fons perſpicuus erupit, varijs morborum generibus præbens ſanitatem.

Dani populantur Anglos.

S. Oſitha decollatur & fert caput ſuum.

Miraculum ad locũ eius Martyrij.

Porrò audito eius martyrio, parentes præcipuo eius deſiderio æſtuantes, vt vel truncati corporis pignore conſolati doloris iacturã redimerent, corpus ad ſe adferri curârunt: idque in Eccleſia Ailesbiriç, in plumbeo locello, honorificè collocârũt: vbi perpetratis multis miraculis, tandem ſacræ reliquiæ, cæleſti viſione quendam ad hoc opus excitante, ad Eccleſiam Chichenenſem translatæ ſunt; quas Mauritius Londoniẽſis Epiſcopus in precioſo ſcrinio recondidit: & Roffenſis Epiſcopus, qui præſens aderat, à graui infirmitate curatus eſt.

Claret miraculis poſt obitum.

Vide Tom. 2 Annal. C. Baron. & Notat ad Martyrol. Roman.

CERTAMEN S. ET GLORIOSI MARtyris Demetrij Thessalonicensis: Ex eo quod est apud Metaphrasten. Coronatus est anno Christi 304. Marcelli Papæ 1. Const. & Galer. Imp. 1. vel circiter.

8. Octob.

DEMETRIVS ciuitate Thessalonica oriundus, parentum stemmate & genere clarus, primam originē ab antiquis Macedonibus traxisse fertur. Sed hic tantus natalium splendor, quanquàm non contemnendus, tamen si ad illustria illius virtutum maximarum ornamenta conferre velimus, obscurus quodammodò earum respectu videri potest. Nam cùm eo tempore sęua & immanis Tyrannorum persecutio, Christianam pietatem vehementer oppugnaret, Demetrius, vnus inter omnes, nō fide tantùm, religione & pietate ornatissimus, sed & miraculorū gloria illustris, præclarum sanè certamen sustinuit. Quod qua ratione confecerit, non erit abs re per cunctas illius ætates describere.

Patria & genus eius illustre.

Præclara illius indoles & ingenii.

Cùm puer adhuc liberalibus disciplinis adhibitus esset, corporis animęq; nobilitate omnibus supecior, singulari quodam ingenij acumine præditus erat: tum ad disciplinas imbuendas, tum ad mores colligendos & benignitate quadam admiranda condiendos. Vultus verò elegantia internum animi candorem sole meridiano clariùs, exprimebat. Optimis igitur moribus & instituto vitæ honestissimo, pueritiam pubertatemque transmittens, antequàm togam sumeret virilem, insigne aliquod mili-

Dat operam militiæ.

militaris gloriæ decus annorum exercitatione comparare sibi statuit : comparauitque, tanta cum sui nominis prædicatione ac celebritate, vt Imperator Maximianus ingenij eius animique magnitudine permotus, Græciæ Proconsulem eum crearet : & consularibus insignibus suis ipse manibus indueret. Ille verò nequaquàm, abiecto & pusillo animo, caduca sibi proponens, sed excelso planè & diuino æterna assiduè voluens paruam oblatæ dignitatis habebat rationem: Quin potiùs tota mente in suam & omniũ salutem vehementer intentus, intrepidè cunctis Christum annũciabat, nihilque ferè aliud præter Dei verbum in ore habebat. Neque frustrà sanè Christianæ facundiæ præstantiam exercebat, sed multos à densis errorum tenebris, ad dulce veritatis lumen adducebat. Ardebat interim magis quotidiè magisque incredibili desiderio salutis animarum omnium; summumque damnum reputabat, si non omnes ad quos verba instituebat, ab infœlici dæmonum seruitute in Christi libertatem vindicaret.

Fit Græciæ Proconsul.

Christum prædicat: & multos ad eũ conuertit.

Zelus animarum.

Cùm autem totus in eo esset, suauissimaque doctrinæ suæ fluenta multorum auribus instillaret, quidam dæmonum satellites, qui ex Christianorum sanguine Imperatoris gratiam & fluxos mundi venabantur honores, eum die quodam palàm verba salutis facientem comprehendunt, vinctumque ad Imperatorem, spe præmij ingentis inescati, pertrahere parant. Cùm primùm ergò institutam aduersus eum audisset quæstionem Imperator, variè fuit affectus. Stupebat; dolebat,

Comprehenditur intentus concionibus.

timebat:irascebatur. Stupebat, propter rei nouitatem,quam audiebat. Dolebat, propter viri iacturam. Timebat, ne cùm talis esset, populum ad suam traheret religionem. Irascebatur,quòd honoris ei delati nullam duxisset rationem. Sed cùm solo auditui ægrè fidem accommodare posset: (nam quod qui nō vult, difficilè credere potest) voluit oculos rei auditæ testes adhibere. Iubet ergò virum ad se adduci.

Ducitur ad Imperatorē.

Is autem neque imperij magnitudinem expauescens,neque supplicia, quæ expectabātur formidans,neque Iudicis sæuitiam contremiscens,liberè fidei suæ edidit professionem: ac idolorum vanitatem constanter irrisit.Deindè orationem ad Imperatorem conuertens: Honores tui,inquit, ó Rex,& bona,ijs sunto,qui tibi parent; quique nihil, præter huius mundi gloriam & opes, sitiunt. Quomodò enim illa eum allicere poterunt, qui inuidiosam imperij tui coronam despicit atq; contemptui habet? Quod si mihi etiam mortem intuleris, tunc scias te mihi rem,vnam omnium optatissimam iucundissimamque præstare, vtporè qui per eam ad Christum me transmittas,cuius aspectum vnicè desidero.

Eius animi magnitudo.

Abducitur in carcerem.

His auditis Maximianus eum in carcerem abripi præcepit; sperans temporis longinquitatem animi mutationem inducturam. At simulac carcerem subijt martyr,scorpius,è latebris proserpens, pedem eius sublato puncturus stimulo properabat:quem sanctus martyr, edito Crucis signo, protinus interemit. Indè cùm CHRISTO iucunda psallens voce,moræ quo

Crucis signo perimit Scorpium.

ræ quodammodo impatiens, auidè ad certamen anhelaret, Angelus Domini ei consolator adfuit, pacem adferens; & animi robur sua præsentia confirmans. Et quidem Demetrius hoc modo in ergastulo conclusus, Christi gratia & misericordia fretus certamen expectabat.

Consolatur ab Angelo.

Maximianus autem gladiatorum spectaculis intẽtus, effusione humani sanguinis oculos animumque pascebat. Erat autem vir quidam barbarus patria Vandalus, ipsi Maximiano sanguine iunctus, corpore viribusque ad luctã validus: eaque de causa admodum ei gratus & existimatione virium facilè princeps. Nomen erat ei Lyæus. Is cum insolenter vires suas iactaret, cæterosque gladiatores gloriabundus ad certamen prouocaret, & multis humi stratis, multis etiã vita spoliatis, de omnibus palmam obtineret; quidam ætate admodum iuuenis, Nestor nomine, inclyto martyri Demetrio probè notus, æmulatione glorię Lyęi prouocatus, ad martyrem abijt, supplexque ab eo petijt, vt virtutem sibi à Deo impetraret, qua superbientem temerè Lyæum prosterneret. Demetrius haud ignarus quòd de Lyæo nõ modò, sed & de hoste animarum omnium terrimo, victoria potiretur; ilicò frontem eius & pectus Crucis signo cõsignauit, suisque munitum precibus intrepidè in certamen descendere iussit.

Lyæus Vandalus, gladiator validissimus.

Nestor iuuenis, eius superbiam detestatur.

Crucis signo in fronte & corde à S. Demetrio armatus, venit in stadiũ contrà Lyæũ.

Statim igitur Nestor in stadium veniens, reiecta tunica, Lyæum ad singulare certamẽ prouocauit. At Imperator primò adolescentis stupefactus audacia, deindè nihil aliud esse opi-

natus, quàm ostentationem virtutis; ô inquit; adolescens, facilè colligo extremam pecuniæ inopiam te adhanc tantam adigere audaciam, vt si viceris, opes ingentes consequaris, sin victus succumbas, paupertatem simul cum vita effugias. Sed æquo animo esto, ego & ætatis tuæ & pulchritudinis misertus: inopiæ malum larga manu à te propulsabo. Nam cùm Lyæo congredi, viro robustissimo, & omnibus victorijs inclito, est in apertam perniciem furibunda mente ruere. His auditis Nestor neque munerum oblatione emollitus, neque prædicatione virium Lyæi exterritus, Minimè, inquit ad Imperatorem pecuniarum causa in certamen prodeo; sed virtutis tantum & gloriæ. Hæc Nestoris dicta cùm & Imperatorem & adstantes ad iram prouocarent, tum Lyæus verbis Imperatoris acri' ad certamē stimulat', impetu & audacia plenus, in circū descendit. At Nestor, precibus Demetrij confisus, oculos ad Christum sustulit, tacitusque illius numen deprecans, venientem aduersariū stricto acinace excepit: ac celeritate incredibili mortiferum vulnus ei inflixit. Et ille quidem statim concidit exanimis: Imperator verò dolore propemodum enecatus; ira & tristitia plenus, celeriter ad regiam abijt.

Nestor Lyæū virum robustißimum prosternit.

Ibi cùm grauia apud se versaret, tum nihil non molitus est, vt Nestoris virtutē obscuritate inuolueret, Lyæumque magicis interfectum artibus diuulgaret. Nec longa mora. Vocatum ad se Nestorē iubet profiteri, qua arte, quibusve fraudibus inuicto robore Lyæum strauisset. Cui Nestor nihil territus; Est, inquit, solus De'

Deme-

Demetrij: Deus inquam Christianorum, cuius virtute in hoc certamine superior euasi. Hoc Nestoris responso vehementer irritatus Imperator, dictum factum, proprio ense eum trãsfigi iussit. Et sic quidẽ Nestor martyrico sanguine expiari & sanctificari meruit. Cæterũ furor Imperatoris, propter Lyæi mortem, lõgius vagans, iubet quoque ipsum Demetrium in carcere constitutum lanceis confodi; & corpus inhumatum relinqui: quod non multo post tempore à Christianis noctu indè ablatum piè ac religiose sepultum fuit.

Nestor cæditur pro Christo.

Demetrius lanceis confoditur.

Hoc beato fine, Martyre coronato; quidã famulorum eius sacrum cruorẽ linteo excepit, annulumq; eius sanguine tinctum, magni thesauri loco, apud se habuit. Quę virtutis nequaquam expertia, stupenda patrabant miracula; morbos curabant; dęmones ex obsessis fugabãt corporibus; & totam denique ciuitatẽ miraculorũ gloria replebant. Vndè cum neque Maximianum ea laterent, famulum ad se perductũ (is Lupus vocabatur) antè ipsum Tribunal capite plecti iussit. Procedente autẽ tẽpore, & signis ex loco, in quo latebat corpus Martyris, coruscantibus, & tũ Macedoniam, tum Thessaliam peruadentibus, quidã Leontius & gloria clarus, & Christi amore ardens, qui tunc erat Præfectus Illyrici, graui morbo detentus, vltimoq; languore, sinè vlla spe curationis, oppressus, Thessaliã ad Martyris ædiculam profectus est: vbi fusis ritè precibus, sanitatem repentè consecutus est. Quam adeptus, in grati animi significationẽ, nouum insigni opere templum in Thessalonica ciuitate à fundamentis excitauit;

Plurima facit miracula sanguis eius.

Lupus Demetrij famulus pro Christo occiditur.

Leontius Præfectus ad Martyris tumulum celeriter curatur.

Elegantißimum templũ condit S. Demetrio miraculis claro.

uit; quod pulchritudine & magnitudine sua nulli alij ex ijs cedit, quæ mouent oculos ad admirationē & voluptatem. Porrò multa miracula & curationes ad chlamidem martyris Syrmium à præfato præfecto translatam plurimi sunt consecuti.

VITA S. PELAGIAE, QVAE EX INsigni peccatrice, facta est perfectæ pœnitentiæ exemplar: Ex ea quàm Iacobus, Diaconus Heliopoleos cōscripsit. Vixit Temporibus Theodosij Iunioris: qui peruenit vsque ad annum Domini 450. inclusiuè.

8. Octob.

Errant qui hanc Pelagiā conuersam dicunt à Nonno Episcopo Portuēsi, referuntq; eam ad tempora Numeriani vt latius docet Baron in Martyr. Rom. Notat. & Tom. 6. Annal.

Fuère Mænades, mulieres, quæ Bacchi sacra celebrabant, passis crinibus furentiū more huc atque illuc cursitantes.

SACRATISSIMVS Antiochenæ ciuitatis Episcopus Maximus, cùm certā ob causam omnium vicinorum episcoporū haberet conuentum, & inter alios Nonnus antistes Edissenus sanctitate & doctrina admirandus (nam ad illud honoris fastigium è Tabenēsiotarum monasterio solitarius propter solam spectatæ vitę morumque integritatem euectus erat) rogatus est vt sermonem ad ipsos de rebus diuinis institueret. Conuenerant pariter ad fores beatissimi Iuliani martyris, vbi vir sanctus cum luculentis sanè verbis ingenti omnium admiratione exorsus esset, eccè subitò, prima Mœnadum Antiochiæ, insignis meretrix asello insidens cum incredibili pompa & apparatu illac iter habuit. Erat autem vsqueadeò compta & ornata, vt nihil in eius vestibus præter aurum, margaritas, & gemmas, ingenti splendore micantes, cerneretur. Ipsi etiam pedes eius auro & margaritis tecti fulgebant. Stipabant verò eam ingens puerorum & puellarum

rum turba, cultis magnique precij induta vestibus. Ex ijs alij antecedebant, alij eam sequebantur; cuncti vestium & monilium fulgore coruscantes. Tanta autem erat eius formæ pulchritudo & elegantia, vt homines huic mundo dediti, nullo eius aspectu exatiari possent. Cūque limina templi præteriret, pigmentorum odorumque quibus delibuta erat, fragrantia & suauitas totum implebat aërem.

Pelagia scortum insigne.

Eam vt viderunt Episcopi impudēter & inuerecundè, nihil velato capite, & nudis scapulis, omnium oculis petulāter expositis, prætereūtem, taciti ingemiscebant: & facies suas tanquam à re execrabili & immani scelere auertebant. At Nonnus fixo oculorum obtutu diu eam contemplabatur; ita vt abeuntem luminibus, quoad poterat, diligēter sequeretur. Deindè vultu ad Episcopos, ea re stupefactos, conuerso, An non, inquit, affecit vos huius fœminæ tantus decor, tantaque venustas?

Illis nihil respondentibus, deposuit faciem in genua sua & sudarium, quod manibus tenebat; totumque sinum largo complēs lachrymarum imbre, & ab imo pectore longa ducens suspiria, rursus ait ad Episcopos: Nihilnè delectati estis tanta eius pulchritudine? Illis tacentibus, Ego verò, inquit, mirificè delectatus sum. Eccè enim omnipotens Deus, ex hac fœmina, coram admirabili & tremendo suo tribunali nostrum iudicaturus est ministerium. Quot enim horas hæc mulier suo in cubiculo expēdere putanda est, dum se comit, & ornat, tota mentis cogitatione & animi cura in id intenta, vt eximio suo decore & pulchritudine

Ex turpi fœmina capit occasionem pietatis vir sanctus Nonnus.

tudine huius mundi amatoribus placeat, qui hodiè sunt, cras fortassis nusquam erunt? Et nos habentes patrem omnipotentem in cælis, Dominum immensæ maiestatis, sponsum immortalem, in quem desiderant Angeli prospicere, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur, amplissima reponentem præmia ipsi fidem integram seruantibus; nihil studemus ornandis miseris animabus nostris, neque sordibus detergendis, culpisque quibus animæ turpissimè fœdantur, expiandis: sed patimur eas iacere supinas, ocio desidiaque marcescere.

Plangit sese comparatione meretricis illius.

His dictis apprehensa manu Diaconi sui ad suum abijt cubiculum; ibidemq; humi prostratus vim lachrymarum effundens, cœpit suam coram Deo detestari socordiã dicens: Ignosce Domine Iesu Christe, ignosce misero & indigno mihi peccatori. Eccè enim vnius diei ornatus, quem hæc fœmina adhibet componendo & excolendo corpori suo, vincit omnem ornatum animæ meæ. Qua ergo fronte te respiciam Deus meus, aut quibus me sermonibus in conspectu tuo iustificare potero? Væ mihi misero, qui assisto ad sanctum altare tuum, nec exhibeo tibi pulchram, sicut tu expetis, animã meam; Illa promisit, omnem se daturam operam, vt placeat mortalibus; statque promissis suis; ego verò pollicitus sum, totis animæ corporisque viribus annixum iri, vt oculis diuinæ maiestatis tuæ placeam: atqui turpiter mentitus, fidem desidia & pigritia mea fefelli.

Hæc illo dicente, & multum plorãte, ac eiulante, dies illa magna celebritate transacta est.

Adue-

Adueniẽte autem Dominico die, post absolutas nocturnas preces, obtulit se illi somnium; quod haud mediocrẽ illi attulit perturbationem. Stanti namq; ad cornu altaris, visa est columba nigerrima multis sordibus cõspurcata, cuius fœtorem squalorem q̃ ferre nullo modo poterat. At illa nihilominus, donec cathecumini dimitterẽtur, suo loco permansit. Nam simulatq̃ diaconus ad cathecumenos proclamauit, Procedite, vel Abscedite, nusquam illa cõparuit. Porrò à Missa fideli, & peracto sacrificio, cũm dimissa esset Ecclesia, prodeũte Episcopo extra tẽpli limina, rursus aduenit colũba, multis cõtaminata sordibus. Tum verò Nõnus extẽsa manu apprehensam, proiecit in lauacrum, aqua plenũ: in qua, omnibus sordibus integrè absterſis, instar niuis cãdida exiuit, atque in sublime volans, prorsus ab eius se conspectu subduxit. Hoc somnum vt suo Diacono per ordinem retulit, ad sacram ædem cum cæteris episcopis abijt: vbi Antiochenus omnem populum adhortabatur. Cumq̃ antistites consedissent in thronis suis, idem ciuitatis Episcopus sacrosanctum illi Euangeliorum porrexit codicem, cum mandato, vt verba ad populum faceret.

Visio S. Nonni.

Hæc est missa, vel missio cathecumenorum, qui à mysterijs sacrosanctis arcebantur.

Tum ille plenus Spiritusancto tanta cũ gratia & auctoritate de peccatorum fœditate, extremo iudicio, & bonis sempiternis, cũctis Deum diligentibus, repositis disseruit, vt populus mirè compunctus vberrimis lachrymarũ riuulis pauimentum rigaret. Accidit autem, diuina id agẽte misericordia, vt ad eam ecclesiam etiam, hæc, quam diximus, meretrix iã cathecumena

Magna efficacia concionis Nonni Episcopi.

Pelagia resipiscit.

mena veniret; cùm antè illum diem neque ecclesiæ limina vnquam subijsset, neque minimi peccatorum suorum cogitationem instituisset. Itaque subitò, diuino adeò est compuncta timore, vt copiosum ex oculis funderet lachrymarum imbrem, nihilque prius aut posterius haberet, quam vt salutarem quamprimũ vulneribus suis medicinã adhiberet. Protinùs igitur iubet duos pueros, abeuntem sequi antistitem, sibique renunciari vbinam hospitium habeat. Id verò simulac iam nosset, mox maxima consequendæ salutis concepta spe, hunc in modum conscribit literas, easdemque ilicò per pueros episcopo mittit:

Scribit ad Nonnum Episcopum.

SANCTO DISCIPVLO CHRISTI, peccatrix & discipula diaboli.

1. Tim. 1.

Audiui de Deo tuo, quod cælos inclinans, descenderit in terras: non propter iustos, sed vt peccatores faceret saluos; vsque adeò se humilians, vt publicanis familiariter se adiunxerit, & is, in quem Cherubim nõ audent respicere, cum peccatoribus versatus sit. Et tu mi Domine, qui multa præditus es sanctitate, tametsi corporeis oculis non vidisti Christum, qui illi meritrici Samaritanæ se apud puteum exhibuit humanissimum: attamen verus illius cultor es, quemadmodum à Christianis accepi. Quòd si ita est, & illius Christi verus discipulus es, non me despicias, per te illius conspectũ desiderantem, eiusque sanctissimam faciem intueri cupientem. Ad hæc sanctissimus Nonnus ita rescripsit: Quæcunque tandem sis, manifesta es Deo, nec latet eum consilium & volun-

Matth. 9.

Ioan. 4.

Rescribit S. Nonnus.

tas

humilitatem meam, qui sum homo peccator seruus omnipotentis Dei. Quòd si reuerà tenet te desiderium pertingẽdi ad huius Dei virtutem & fidem, meque videre vis, sunt mecum alij episcopi, quibus præsentibus nõ negabitur tibi copia me videndi: sed sola profectò non admitteris ad conspectum meum.

Hæc cũ illa legisset, magna perfusa animi exultatione, cursu cõtendit ad Basilicã B. martyris Iuliani: ibidemque pronovultu episcopis se prosternẽs; appræhẽsis beati Nonni pedibus ait ad eum: Eccè ego pelagus flagitiorũ & quædã iniquitatis abissus, rogo te, mi Domine, imitare magistrũ tuum Dominum Iesum Christũ & impertire mihi humanitatẽ, meq; Christianã effice. Cumq; vix ei persuasisset antistes, vt humi surgeret, sic illi locutus est: Sacri Episcoporũ Canones vetant sacro fonte lustrari meretricẽ, nisi fideiussores adhibeat, qui fidẽ det, eam nõ redituram ad anteactæ vitæ turpitudinem. Hac episcopi sentẽtia audita, rursus humi ad pedes eius se abijcit, eosque rigans lachrymarum imbre, capillis suis demum detergit, dicitque illi: Tu itaque iusto Iudici Deo pro anima mea rationẽ reddes, & tibi omnia scelera & flagitia mea imputabo, si distuleris mihi impure & turpissime salutaris lauacri impertiri beneficium.

Eccè puram meretricis cõfessionem a

Tũ verò Episcopi omnes & Clerici, qui cõtienerant, videntes illam insignem meretricẽ, flagitijs omnibus coopertã, magno Dei desiderio eiusmodi sermones promentẽ, tantoq; obtinẽdæ salutis ardore flagrantem, cõmuni sententia baptismatis gratiam ei conferenda esse

decreuerunt: missoque huius rei ad Episc. Antioch. nuncio, postulârunt, vt vnam ei ex Diaconissis salutis adiutricem assignaret. Misit is confestim ad eam dominam Romanam, quæ in Diaconissis primas obtinebat. Ea veniens, offendit Pelagiã ad pedes Sancti Nonni adhuc iacentẽ: vixque ei persuadere potuit, vt à terra surgeret. Hortabatur autem eam Episcopus Nonnus vt cuncta peccata, oris confessione integrè expiaret. At illa lachrymis tota infusa, respondit: Si velim conscientiam meam, nulla prorsus sui parte sanam, euoluere, opus nullo fine absoluẽdum aggredior. Certa enim sum, peccata mea suo pondere vincere maris arenam. Sed tamen immensæ Christi gratiæ ac bonitati confisa, spero eum pondus iniquitatis mearum remissurum: meque pro sua clementia respecturum.

Ab immodico ornatu, Margaritæ nomen accepit Pelagia.

Tũ Antistes ad illam: quo, inquit, vocaris nomine? Respondit illa: Est quidẽ mihi à parentibus Pelagiæ nomen impositum: at ciues Antiocheni Margaritam me vocant; propter copiam margaritorũ, & moles ornamẽtorum, quibus me mea scelera instruxerunt. Tunc Episcopus antè omnia, profligato, per diuina immundo ex ea spiritu lustralibus eam tinxit aquis; fecitque participem diuinorum mysteriorum: & sic demùm salutari Crucis signo munitam, Diaconissæ tradidit; vt eius precibus consilioque adiuta, sæuientis inimici impetum constantiùs reprimeret.

Baptizatur.

Cõmunicat.

Accipit spiritalẽ matrẽ.

His ita peractis, humanæ salutis inimicus, dolens eam animam è faucibus suis ereptam, horrendos cœpit edere eiulatus; Nonni virtutem

tutē sæpiùs incusans, quod is spes omnes ei abstulisset: neophytamque Pelagiam infidelitatis arguens. Indè post biduum noctu dormientem cum Romana excitans Pelagiam, blanditijs eā delinire cœpit: maiora multò, quàm antè acceperat, promittens, si Christū deserere veller. Sed illa, à Nonno Crucem sibi imprimere edocta, salutari signo hostem vti prius in fugā conuertit.

Satan multis conatur adire reuocare Pelagiam, sed frustra.

Tertio deindè die à percepto baptismate, Pelagia cunctas suas opes & facultates Antistitis voluntati permisit: qui eas in pauperes, orphanos, & viduas erogari curauit: peccatricis opes, religiosè in iustitię thesauros cōuertens. Pelagia intereà toto desiderio ad vera pœnitētię & cælestis vitæ studia anhelans, octauo die, quo albam debuit deponere vestē, nocte, cūctis inscijs, cilicina se induit, relictaque Antiochia, Hierosolymā abijt: ibidemq; in monte Oliueti angusto pœnitentiæ cōstructo domicilio, certamen cum antiquo serpente resumpsit.

Pelagiæ facultates omnes pauperibus distribuuntur.

Clam fugit Hierosolymam.

Nō diu post Antiochenus Episcopus, soluta cōgregatione, singulos ad sedes suas remisit antistites. Elapso autē indè quadriennij plus minus spatio, Iacobus antistitis Nonni diaconus, magno, loca sacra Hierosolymis visendi desiderio inflāmatus, obtenta ab Episcopo Nonno venia, eò profectus est: inuenitq; Pelagiā virili indutam habitu, in cellula vndiq; conclusa acerbos pœnitentiæ labores sustinētem. Parua tantū in pariete ad colloquiū erat fenestra; qua patefacta, Iacob' à Pelagia cognitus eā minimè cognouit. Erat enim facies ei', quę anteà incredibili pulchritudine nitebat, dira maci- con-

Nimio ieiunio confecta non agnoscitur.

fecta & lachrymis exesa; ita vt oculi intrà reconditi concauã quandam fossam exhiberent. Porrò vt data acceptaque salutatione, cognouit eum ab Episcopo Nonno missum esse, nihil dixit aliud quàm vt se viri sancti orationibus commendaret: moxque occlusa fenestella preces Horæ Tertiæ psallere cœpit.

En preces horæ Tertiæ.

Quocircà Diaconus indè recedens cætera monasteria Hierosolymis perlustrauit, fratresque inuisit. Cũq; multa eaq; admiranda de fratris Pelagij audiret virtutibus, statuit rursus ad eam reuerti, vt de fontibus salutaris eius doctrinæ vberrimè hauriret. Reuersus autem cum fores pulsasset, nullumque eius respõsum acciperet, secundo item & tertio die perseuerauit pulsans. Sed cum nullam omninò vocem persentisceret, audacius per fenestram introspexit; viditque eam exanimen iacentem. Tum ille concito gradu Hierosolymam contendés, patres omnes fratresque ad exequias conuocauit. Qui cùm, patefacto cellulæ ostio, corpusculum aromatibus condire vellent, derepẽtè eam fœminam esse conspiciunt. Vndè admiratione pariter & gaudio repleti debitas Domino laudes concinunt, diemque illum magna festiuitate transigunt. Percrebescente interim longè lateque tam admirabili rumore, venerunt ex omnibus virginum monasterijs, tã quã in Hiericho, quàm quæ ad Iordanem erant, cũ cereis, lampadibus, & hymnis: sacrasque Pelagiæ reliquias honorificè non minus quã splendidè condiderunt.

S. Pelagia passim virtutibus celebris.

S. Pelagiæ obitus.

In veste virili cũctis incognita egit pœnitẽtiam.

En antiquũ Christianorũ sepeliendi modum.

MARTYRIVM SANCTI DIONYSII Areopagitæ; qui à S. Paulo Apostolo Atheniensium Archiepiscopus ordinatus est: Apostolica verò auctoritate B. Clementis Papæ, totius Galliæ constitutus Apostolus: Ex commentario Hilduini Abbatis: quod iussu Ludouici Pij Augusti, ex veteribus Græcorum monumentis cõtexuit. Passus est autem sanctissimus martyr & doctor Ecclesiæ diuinus, postremò tempore Traiani vel sub Hadriano Imp. circa annum Domini 120. anno ætatis suæ plus minus decimo suprà 100.

Vide C. Baron. Annal. Tom 1. & 2 & Not. ad Martyr. Roman. vbi præter alias, eorum refutat opiniones, qui primum Parisiorũ Episcopum alium ab hoc Dionysio asserũt: quique eum sub Domitiano passum existimant. In quo & Hilduinus lapsus est.

ATHENAE ciuitas, qua nihil habuit Græcia situ terrarum clarius, artium maximarum inuentrix; eloquentiæ nutrix; philosophorum & sapientium genitrix; in qua Apollo, Hypocrates, & Aristoteles, cæterique inuentores & totius peritiæ propagatores exorti sunt: temporibus Cecropis, qui eam condidisse fertur, & Menandri, Regumque succedentium, simulacrorum cultui ad insaniam vsque dedita erat. In ea, tempore illo, quo Paulus Apostolus face Euangelicæ lucis ad eam illustrandam accesserat vir quidam nobilis degebat; qui Symmystes, id est consecretalis Apollo Kronospagita (quoniam in eadã vrbe cæteros pręcellebat) nominabatur; nobilissimi cuiusdã Apollinis Athenienſiũ principis prosapia genit°: cuius pater Nicolaus, vir magni ingenij, literarũ studio pollens, ciuis & Argolicę artis Magister fuit. Huius igitur filius Apollo, dũ inter philosophorũ scholas clarus habe-

9. Octob. *Laus Athenarum.*

Apollo Chronospagita.

haberetur, & authēticas bibliothecas studiosè reuolueret, deditusq; philosophię, vanis superstitionibus, ritu paganorum, cōflictaretur; audiuit Apostolum noua & inaudita anteà dogmata prædicantem; & idolorum cultum cæteratque gentilium superstitiones vi veritatis refutantem: cuius quidem doctrinæ cum obuiam ire non posset, relicto detestabili inaniū deorum cultu, Apostolo manus dedit; eiusque prouolutus pedibus, Christianis se sacris initiandum obtulit.

Apollo credit in Christum Paulo docente.

His ita gestis, cùm vocis nouitate Athenienses permoti, quadam die Paulum ad Areopagū duxissent, vt ibi examen suæ doctrinæ subiret, adorsus est Dionysiū: qui ab opinione præstantis doctrinę, Theosoph', & à regione vrbis, qua sedulò Iudicis officio fungebatur, Areopagita, genuino quasi vocabulo dicebatur: altissimo sanguine primi & magni Dionysij nō illius Semelæ vel Deucalionis, sed eius, qui vitis inuētor apud Athenas insignis est habitus, longissima & clara propagine genitus. Hic namq; annos quinque & viginti agens, omni penè genere doctrinæ instructus, ardēti studio excitus, vnà cū Apollophanio symmathite suo, astrologicæ disciplinæ ergò, Aegypti Heliopolim trāsmigrauit. Vbi cū tota mēte astrologiæ studio sedul' incūberet, die illo, quo Christ' Dominus pro humani generis salute ignominiosam Crucis mortem volūtariè subijt, animaduertens Solem lucis suæ radios in terræ noctis mutasse horrorē, atq; orbis climata tenebrarū obtexisse caligine, signo anteà inuiso & inaudito attonit' exclamauit: Aut Deus naturæ patitur,

Dionysius dictus Theosophus item Areopagita. Genus S. Dionysij clarissimum.

Dionysius proficiscitur in Aegyptum studiorum causa.

Tenebræ Christo patiente.

tur, aut mũdi machina diſſoluetur. Vndè expletis, pro quibus venerat, fœliciter redijt; arciq; totius Vrbis, & Curiæ Areopagi præfectus, omnium negociorum ciuilium vt nobilior nobiliſſimis moderamina diſponebat, primuſque inter primos ſyllogiſtica doctrinarũ acumina, toga infulatus philoſophica ciuibus ac vndique ad id ſtudium confluentibus profundebat.

Pauli cum Dionyſio diſputatio.

Hunc igitur tãtę eruditionis opinione celebrẽ, Paulus interrogare cœpit, quid coleret, & quibus numinibus in tã ſpatioſo & venerabili loco inſeruiret. Cui reſpõdit Dionyſius; Deos, quos coluerũt patres noſtri, quorum virtute & ſolertia, mater terra cõtinetur, hos colimus & adoramus: Aras, quas vides, Martis & Herculis, Mercurij & Priapi. Dũ verò Apoſtolus ſingula altaria, & falsorum deorum ſimulacra, perluſtraſſet, inter cæteras aras, vnam reperit, cui titulus erat, Ignoto Deo: Et conuerſus ad eum Paulus, interrogauit illum, quiſnam eſſet ille Deus incognitus. Ad quem Dionyſius: Adhuc, inquit, non eſt is in deorum numerum relatus; ſed incognitus nobis & vẽturo ſeculo futurus. Tũc Apoſtolus diuino ſpiritu impulſus, illum, inquit, Deũ, quem incognitum appellatis, ego prædico vobis: verũ Deum & hominem natum ex Maria Virgine, paſſum ſub Pontio Pilato, pro ſalute humana mortuum: vt nos à mortis ſempiternæ imperio eriperet.

Ara Dei ignoti Athenis.

Hæc & alia plura Paul⁹ cũ admirabili quadã circumſpectione diuino afflatus ſpiritu prędicaret, templaque ſingula perluſtrãs Chriſtum commendaret: Dionyſius radium quendam

lucis in cordis ſui penetrali excepit: eidemque Paulo libenter cedens, vberiores ſalutaris doctrinæ fontes ſitire cœpit. Poſtero autem die, cùm Paulus iter ageret, & quidam à natiuitate cæcus lachrymabili voce eum compellaret, Apoſtolus inſita pietate permotus, Crucis ſigno in Chriſti nomine eius oculis impreſſo, repentè illi lumen contulit: mandauitque, vt feſtinus ad Dionyſium abiret, eumque ad ſe, ab omnibus peccatorum nexibus per ſalutare lauacrum ſoluendum, venire iuberet. Abijt ille; fecitque vt à Paulo iuſſus erat. At verò Dionyſius vt vidit cæcum clara habentem lumina, miraculi magnitudine penè ſtupefactus, abnegatis paganorum erroribus, ilicò cum Damari vxore ſua, omnique familia, ad Paulum contendit; ſacrique baptiſmatis vnda reſperſus, totum ſeſe in diſciplinam Apoſtoli contradidit: à quo cæleſtis doctrinæ myſterijs præclarè per triennium imbutus, ab eodem Athenienſium eſt ordinatus Antiſtes: quo munere ſanctiſſimè fungens eandem ciuitatem, maximamque patriæ partem ad fidem veritatis conuertit.

Paulus cæcũ illuminat.

Damaris vxor S. Dionyſij.

Dionyſius cũ ſua baptizatur.

Ordinatur Epiſcopus Athenienſis.

Quidem ſe in Epiſcopatu geſſerit.

In eo verò conſtitutus miniſterio, multa tam voluminibus, quam differẽtibus ad diuerſos epiſtolis, vt fluuijs myſtici eloquij, edidit; & velut oraculũ ſancti ſpiritũs præcipuo opere, & ore, ac philoſophico magiſterio ad ſubuertendos errores prælagiuit. In cõmendando verò cæleſtis patriæ beatitudinem & æternæ vitæ immortalitatem, tantus cum docendo tum ſcribendo extitit, vt cuncta, magnifica ſua excellentia ſenſũs noſtri exiguitatem lõgè excedant.

Quam ſublimes eius dicta & ſcripta.

cedant. Et quidem de eius præclarissimis operibus, quod nonnulli ambigant: certum sanè est, ea vt reuera eius, cognita & accepta ab antiquioribus: Dionysio quippè Alexādrino, Athanasio: Ioan Chrysostomo, Cyrillo, Alexandrino, Gregorio Magno, Martino Papa & martyre, Agathone, Adriano, & denique Nicolao primo: præter innumeros recentiores. Quod verò Eusebius vt Arianus de illis retulerit, id dolo malo ab eo factum possumus suspicari: cum ea hæresi illi aduersentur.

S. Dionysij opera antiquioribus cognita.

Cæterùm cùm Paulus Romæ Euangelij sata spargeret, Dionysius (qui à patria Ionicus, Christiano autem agnomine, propter maximam sanctitatem vocabatur Macarius, id est, beatus) nè post discessū magistri, lupi rapaces Dominicas oues inuaderent, quod institutor eius plantauerat, abundanti solicitudine rigare contendit. Vndè vicinas & longè positas pertransiens ciuitates prædicando, & ad fidem populos conuertendo, fidelesque in verbo confirmando, atque oppressos varijs languoribus sanando, vsque Troadem, Euangelij gratia, secedere non dubitauit. Vbi aliquanto tempore, non sine magno animarū fructu exacto, cùm Petrum & Paulum Romæ teutos, & Petrum quidem ergastulo, Paulum vinculis secundò, peruulgata fama affici comperisset, Athenas rediens, subrogato sibi * Episcopo plebem tradidit, & per contiguas parochias diuini verbi spargens semina, Romam contendit: magno videlicet Apostolorū amore, & martyrij desiderio incēsus, vt simul cum eis, si ita CHRISTVS voluisset, occumberet:

S. Dionysius cur Ionicus & item Macarius, dictus sit.

Multis locis Christū prædicat: & miracula operatur.

** Is fuit Publius vt testatur Euseb. hist. Eccles. lib. 4. cap. 22. & D. Hierony. de Scriptor. Eccles. in Quadrato: qui Publio successit.*

Sed impijssimus Nero, antequã beatus Dionysius Romã perueniret, sanctos Dei Apostolos, alterũ per Crucis trophæũ, alterum aũt gladio animaduersum, fælici cruore perfusos, & martyrij gloria dignos, ad superos transmisit.

Venit Romã S. Dionysius ad S. Clemẽtem Papam.

Porrò Dionysius vt Romam peruenit fuit à Clemente, qui tunc sanctæ & summæ Sedis Apostolicæ gubernacula tractabat, peramanter & digno cum honore exceptus: & pro sanctitatis ac eruditionis suæ reuerẽtia, maximæ venerationis loco habitus. Fuit hoc iter Romam versus, diuino proculdubio nutu, à Dionysio susceptum, vt is Orientales tenebras, doctrinæ suæ radijs illustraret, & murum validissimum infidelitatis, qui totius Galliæ & Germaniæ terminos occupauerat, prædicationis suæ ariete destrueret: atque peritissimæ eloquẽtiæ spiculo gentilitatem perfoderet.

Mittitur in Gallias S. Dionysius.

Itaque Clemens mirè sibi totiq; Ecclesiæ de aduentu Dionysij congratulans, eum cum auctoritate Apostolica in Gallias destinauit; vt ibidẽ, sicut antè Athenis, optimi & strenui Euangelistæ opus faceret, suumq; ministeriũ cum certa spe æternæ retributiõis impleret. Socios quoq; illi plures & diuini verbi cooperarios, vitæ innocentia & doctrinæ prestantia probatissimos adhibuit. Igitur Põtificis Maximi benedictione munitus, socijsq; laborũ præclarè instructus, iter ingressus est, appulitq; primò portum Arelatensem: è qua ciuitate quibusdã in partes necessarias distributis, ipse, qa apud Gallias gentilitatis errorem præcipuè feruere cognouit, illuc intrepidus, & calore fidei incensus accessit: ac Lutetiam Parisiorum, Domino du-

no ducente, peruenit. Quam simulac ingressus est, doctrina admirandis, miraculisq; & virtutum signis coruscans magnam populi multitudinem ab errorum tenebris ad lucem veritatis traduxit: & incredulæ gentis feritatem cõstantia fidei expugnauit.

Venit Lutetiam Parisiorum, & multos ibidẽ conuertit: miraculis clarus.

Hisce pietatis ac fidei fundamentis fœliciter iactis, nouam mox Ecclesiam, in agro quodam à Lisbio viro nobilissimo, & recens ad Christũ conuerso, iusto precio comparato, à fundamentis excitauit; ac officia deuotè Deo seruientium clericorum ex more cõstituit: cultumque diuinum, quibuscunque potuit modis, nouis adhuc aduena amplificauit. Interim cũ & doctrinæ excellentia, & signorum prodigijs ingentem quotidie multitudinem è dęmonum castris eriperet; sæpissimè idolorum pontifices excitata in populis seditione, eum abipsis interim expetebãt. Sed cum armis & bellico apparatu instructi appropinquarent, tanta in eo lux cælestis gratiæ repentè radiabat, vt omni ferocitate cum armis deposita, se illi prosternerẽt, ęnimioque pauore soluti, à præsentia eius aufugerent: Miroque modo inermi viro non valebat plebs armata resistere: sed subdebat se illi potiùs certatim, & idola, quæ magnifico sumptu & studio fabricata fuerãt, subuertebat: inuentoque salutis portu, & naufragio idolorum vehementer gaudebat.

Construit Ecclesiam.

Lux mira in Dionysio eius hostes frangit.

Tunc hostis antiquus cernens sibi totam penè messem studio Dionysij subripi, cunctas artificij sui machinas, ad impugnãda, quę fuerãt constructa conuertit. Nam cùm propter fidelium multitudinẽ, quod proposuerat, perficere non

Passum esse sub Domitiano vult

Hilduinus & alij nonnulli, sed horum opinionem, refutat Baron. Annal. Tom. 2. Traian. Imp. anno 10 cuius postremo tempore vel sub Hadriano passum probat.

non valeret, per quosdam suæ partis auctores, Domitiano, qui post Neronem perditionis filium, secundam in Christianos exercuit persecutionem, suggessit, vt ocyus deorum suorum venerationi consuleret: quæ iam etiam ab ipsa hominum memoria per Dionysium eiusque sequaces abolebatur. Quæ audiēs immanissimæ crudelitatis bellua Domitianus, in tantam indignationis exarsit rabiem, vt vbicunque per se vel per suos satellites Christianum quempiam reperisset, aut cogeret dijs sacrificare incestis, aut diuersis pœnis addictum, gladio traderet puniendum. Sed & per totum sibi subditum orbem, in cūctis ciuitatibus, oppidis, municipijs quoque & vicis, publicum pependit edictum, vt administrationis infulis seruiētes, omnes Christi nominis amatores exponere diuersitati supplicij maturarēt, nè superesse posset, qui valeret acquirere, quod peribat.

Dira Christianorum persecutio.

Persecutionis ergò publicata sententia, iniquorum turba, in omnem mundi partem bacchando progreditur: & Præfectus Fescenninus Sisinnius, cum ingenti strepitu, ad partes Occidentalium regionū, ad sanctum senē, doctrina & virtutū insignib. nominatissimum, comprehendendum dirigitur. Nec mora: Furore & amentia præceps Sisinnius, vt primùm Galliarum ingressus terminos, celebre sanctissimi viri nomen audiuit, Parisios adijt: vbi beatum Dionysium contra incredulos dimicantem, & prædicatione continua populi multitudinem ad fidem exhortantem, inuenit. Erant illi comites indiuidui Rusticus Archipresbyter, & Eleutherius Archidiaconus, egregij diuini obsequij

Sisinnius Præfectus venit Parisios.

S. Dionysius capitur cum socijs suis Rustico & Eleutherio.

ſequij comminiſtri: quos vno eodemque impetu dæmonis ſatellites inuaſerunt, lorisque duriſſimis collo & manibus eorum iniectis, ad Siſinnium pertraxerunt. Is odio & ira in Chriſtianum nomen æſtuans, Tune es, inquit, infandiſſimus ille ſenex, qui etiam deorum noſtrorum culturam euacuas, & inuictiſſimi principis ſtatuta contemnis? Cumque vir ſanctus, ſocijque vno pariter ore reſponſum Chriſtiana virtute dignum darent; Præfectus maiori furore inflammatus, Tantùm edicite, inquit, ſi magni principis Domitiani iuſſis obedire, & immortalium deorum iura venerari diſponitis. Sin autem, non verborum, ſed verberum conflictatione vobiſcum viriliter decertabo.

Siſtuntur coram Siſinnio.

Cùm hæc agerentur, quædam inclytæ familiæ matrona nobilis, multo ſtipata comitatu, nomine Larcia, ſuperuenit, compellans Præfectum, à Dionyſio Ionico, agnomine Macario, virum ſuum Lisbium magicis artibus mente captum, & eius tranſgreſſionibus ſociatum. Qui ſtatim adductus, iuſſu Præfecti capitis ſubijt ſententiam: glorioſo fine ad regna cæleſtia præmiſſus. Sancti verò martyres tortoribus traditi, & veſtibus expoliati, primùm diris flagellis toto corpore cęſi ſunt: indè immenſo catenarum pondere onerati, in fœdum & tenebricoſum ergaſtulum retruſi, ac poſtremò ad quæſtiones in cataſtis extenti & diriſſimè flagellati.

Larcia maritum ſuum Lisbium accuſat apud Præfectum.

Lisbius proprietate trucidatur.

S. Dionyſius cum Ruſtico & Eleutherio dirè cruciantur.

Hoc primi certaminis impetu egregia animorũ virtute & conſtantia ſuperato, ſanctiſſimus antiſtes in oculis ſuorum (quò tormentorum ipſius terrore à fidei conſtantia reſilirent) in le-

Aſſatur Dionyſius.

in lecto ferreo, suppositis flammis nudo planè corpore extensus est. Illo autem psallente, & ignis sæuitiam vi orationis à suo corpore propulsante, tyrannus ambustum bestijs ferocissimis, in rabiem multo ieiunio excitatis, obijci mandauit. Quas impetu validissimo accurrentes vir diuinus signo Crucis ita repressit, vt Præfecto non minorem indignationem, quàm admirationem commoueret. Præparantur ergò ingentia clibani incendia; in quæ vir Domini vexillo Crucis armatus proijcitur. Cumq; extincto ad orationem eius fornacis incendio, splendidior auro eductus esset, in crucem sublatus appenditur. Ibi cum sine intermissione spectantibus, Christum Iesum, tanquàm de cęlesti cathedra prædicaret: diutiùs tortus tandem deponitur, & in carcerem Glaucini, cum Rustico & Eleutherio, aliaque fidelium multitudine, recluditur. Vbi cùm post multas ad populum exhortationes qui eum sequendo carcerem irruperat, Dominica Missarum solennia celebraret, panemq; cælestē populo communicandum frangeret; eccè lux subitò tantæ claritatis in carcere resplēduit, qualem nemo eorum antea vnquàm viderat: quæ eum cælesti quadam cōsolatione ad futurum certamen egregiè animauit.

Obijcitur ferus.

Iactatur in clibanum.

In crucem suspenditur.

In carcerem cum multis alijs truditur.

Missam in carcere celebrat.

Intereà sacra Synaxi ritè peracta adsunt carnifices, qui sanctissimos martyres de squalore ad vltima supplicia protraxêre. Fuit tunc præ cæteris in Dionysium atrociùs sæuitum: qui in se gloriosa voce confessionis pœnam prouocabat, ambiebatque supplicia, vt tormento crescente, crescceret simul & corona. Quapropter ite-

E carcere ad supplicia rapiuntur.

iterũ toto corpore nudati, virgis in conspectu omnium atrociter sunt cæsi: ac tandem ad locũ vltimi certaminis, è regione idoli Mercurij, producti. Ibi genua ad decollationem flectere iussi, diuinus antè omnia Dionysius, manibus oculisque cum incredibili pietate ad cælum sublatis, prolixè diuinæ bonitati gratias egit: precesq; sanè ardẽtes pro salute Ecclesiæ fudit: & sic demũ cùm Rustico & Eleutherio positis pariter genibus, & protẽsis ceruicibus, vno eodemq; momẽto, hebetatis, secũdum præceptũ principis, securibus, capite plexi sunt. Talique meruêre ad Dominũ professione migrare, vt amputatis capitib. adhuc putaretur lingua palpitans Iesum Christum Dãm confiteri. Fuit aũt eadẽ die cum illo, & in circuitu ciuitatis, alia multitudo fidelium, quę per eum crediderat, pro Christi nomine cæsa: diuersisq; & antea inauditis affecta supplicijs: adeò vt qui corpora humo mandarent, vix vlli superessent.

Rursus virgis cæduntur sancti martyres.

Obtusis securibus martyres decollantur.

Innumeri fideles cum Dionysio periimũtur.

Cæterùm ad declaranda sancti martyris & Galliarum primi sacerdotis merita gloriosa, maximus cunctos assistentes inuasit horror, & lux ineffabilis cælitùs resplenduit: & beatissimi Dionysij se cadauer erexit, sanctaque manu trũcatũ à corpore caput, Angelico ductu gressum regente, & luce cælesti circumfulgente, pendulis cœpit brachijs vectitare. Factaque est comes multitudo cælestis exercitus, exanimi corpori caput propriũ per duo ferè millia deportanti, vsq; ad locũ in quo nunc Dei dispositione, & sua electiõe requiescit humatũ. Cumque hinc indè, alternantibus quasi choris, Angelici resonarent hymni, populi innumeri, canore

Truncum corpus Dionysij eri it se, & absportat caput suum.

canore inæstimabilis suauitatis permoti, in Dominum crediderunt. Non credentes autem, nimio terrore perculsi, quique in suas partes fugerunt. Larcia verò viso tam stupendo miraculo in medias infidelium prosiluit turbas; seque libera voce Christianam professa, mox sanguinis sui fonte: ab idolorum immunditia expiari meruit: cuius filius Visbius, quē ex marito suo Lisbio susceperat, Romam ductus per tres Cæsares militauit; ac tandem sub sancto Masso, tertio à beato Dionysio Parisiorum episcopo, reuersus, omnibus quæ sunt mundi relictis, baptizatus, & religiosorum Christiq; pauperum numero est sociatus.

Larcia nobilissima matrona credit.

Cæterùm persecutores fidelium gentiliumque phalanges, ne Sanctorum Rustici & Eleutherij corpora, quæ adhuc in monte, vbi martyrio coronati fuerant, prostrata iacebant, populi fidelissima probataque deuotio ad patrocinium sibi profutura colligeret; inito consilio, statuerunt ea tetris Sequanæ profundisque gurgitibus submergere: sed Deus omnipotens iniquorum consilia dispositionis suæ arti, industria qua voluit seruire coëgit. Nam nobilis quædam materfamiliâs, Catulla nomine, licet paganorum adhuc erroribus, necessitate potiùs, quàm voluntate, addicta, mactæ tamen virtutis fœmina, sanctorum corporum perditores ad conuiuium inuitauit. Cumque inter oblatæ humanitatis copiam mentem eorum à suscepto negotio auertisset, dedit ilicò in mandatis fidelibus suis, & familiaris voti conscijs, vt furtim sublata sanctorum corpora tollerent, ac diligenter occultarent. Qui dominæ volun-

Catulla mira industria Sanctorum corpora suffuratur.

voluntati promptè obsequentes, sacra pignora sexto ab Vrbe lapide, in sulcis autumnalibus condiderunt: quæ deindè pia matrona, adiunctis sibi Christianis inter nocturna silētia tollens, beati Dionysij corpori coniunxit; & veneratione, qua inter persecutorum rabiem potuit, deuotissimè frequentauit. Processu verò temporis multiplicato fideliū numero, Christiani Basilicam magnis sumptibus cultuq; eximio super SS. Martyrum corpora construxerunt: quæ innumeris miraculorum signis admodum clara, sanctorum gloriam indies celebriorem reddit. Cæci siquidem visum, claudi gressum, surdi auditum, dæmoniaci liberationem, & quibuscunque infirmitatibus afflicti optatam ibidem adipiscuntur sanitatem. Porrò locus passionis eorum, qui antea Mons Mercurij, ab idolo quod præcipua superstitione Galli inibi colebant, dicebatur: nunc Mons martyrum vocatur.

Insignis Basilica in honorem SS. Dionysij ac sociorum cōstructa: miraculis celeberrima.

Mons Martyrum: locus passionis SS. Dionysij ac sociorū eius.

MARTYRIVM S. DOMNINI, MAXIMIANI Imperato: cubicularij & sociorum: Ex eo quod est apud V. P. Laurent. Sur.

Vide C. Baron. Notat. in Martyrol. Rom.

CVM a sexto Imperij sui anno Maximianus, relicta Roma, Mediolanum venisset, ibidemque iterato edicto Christianos diuersis tormētorum generibus affici præcepisset, rursus Mediolano, eodem ferè tempore, discedēs, venit in fines Germaniæ, assumptis secum aliquot sui exercitus militibus. Qui cùm aliquamdiu in finibus illis hærerent, intellexit quosdā adesse, qui Christianam reli-

a *qui fuit Domini 289. 9. Octob.*

Maximianus venit in Germaniam.

Accusantur Christiani apud Imperatorem.

gionem, præclaris ornati virtutibus sequerentur. Vnde furore succensus, præcepit deos suos in medium proferri, eosque pariter adductos sacrificare. At illi spreto Imperatoris præcepto, dijsque exsibilatis, sese immortalis Dei Christi Iesu seruitio deputatos dixerunt: neq; æquum esse, vt inanibus simulacris sacrificarẽt, qui seipsos viuam hostiam Deo cæli & terræ offerre parati essent.

Quingenti Christiani capitis damnantur.

Tunc Imperator vehementi indignatione & ira repletus, cunctos capitali damnauit sentẽtia. Erant autem Christiani qui antè conspectũ impijssimi Imperatoris stabant, ferè quingenti: Inter quos vir clarissimus Domninus, Imperatori à cubiculis, vt vidit Tyranni furorem, Christiani sanguinis auidum, placari non posse conuocatis Christianis ita exorsus est:

Domnini cubicularij Imperatoris oratio ad Christianos.

Videtis commilitones charissimi, hominem sacrilegum, qui nec Deum timet nec animæ suæ curam gerit, omni malitia & diabolicis repletũ operationibus sua nos fraude in perniciem vna secum trahere velle. Videtis, inquam, eum occæcatum & deuium ad inferni claustra properantem. Antiquus enim serpens ita prorsus in suam eum potestatem redegit, vt nunquàm suæ salutis recordetur. Nihil enim ei proderit Imperialis dignitas, nil aureum diadema, sed pro sceleribus, in extremo illo iudicij examine, iustam vltionem accipiet. Proindè charissimi fratres, demus locum iræ, iuxta Dominicũ exemplum, & ab huius scelerati hominis insidijs paululùm nos subtrahamus.

Roman. 12.

Quibus auditis, statuerunt quingenti illi ad Romanam vrbem confugere: sed nè supplicio-

rum

rum formidine fugã quærere viderentur, priùs huiusmodi, coram Imperatore, fidei suæ cõfessionem fecêre. Audi Imperator pessimè. Nos omnipotẽti Deo & Domino nostro Iesu Christo seruientes, cuius tu vultu indignus es, deos tuos non colimus. Illi enim, qui cæli terræque conditor est, quique nos suo sanguine à mortis sempiternæ liberauit imperio, omnis honor debetur & adoratio. Audiens hæc Maximianus, ira stimulante, præcepit latam antè sentẽtiam velociùs impleri. Statim ergò quidam in eius præsentia detruncati sunt. Reliqui fuga elapsi, cum omni festinatione per diuersa itinera Romam perrexerũt. Et Domninus quidẽ via Claudia à persecutoribus compræhensus, quintodecimo à Iulia Crisopoli milliario, circa fluuium Sisterionem capite plexus est. Qui statim virtute diuina truncũ è terra caput subleuans, palmisq; per medium Sisteriorem deportans, atque ad iactum lapidis vltrà progrediens, ibidem deposuit. Quo in loco sacra eius ossa recondita, multis, quacunque ægritudine detentis, curationem contulerunt.

Præclara et constans eorũ confessio.

Quidam trũcantur, & reliqui Romam fugiũt.

S. Domninus plectitur & caput suũ per fluuium portat.

Operatur miũracula post obitum.

VITA S. GISLENI MONACHI, INstituti S. Basilij: Ex ea quæ est apud V. P. Laur. Sur. Floruit temporibus Dagoberti Regis, circa annum Domini 640.

Vide C. Baron. Notat. ad Martyr. Roman.

EGREGIVS Christi confessor Gistenus, Christianis Græcis ortus parẽtibus, puer Athenas literis imbuẽdus est missus: vbi liberalium artium disciplinis perfectè institutus, nè malitia mutaret intellectum, è periculo-

9. Octob. *Patria eius.*

losissimis seculi fluctibus ad tutissimum religionis portum lætus confugit. Atque aliquamdiu illic sancti Basilij instituto viuens, optimaque ita studiosè humiliterque consectabatur, vt fratribus virtutum egregia de se exempla præberet. Intereà, Deo vitæ eius cursum moderante; quò posset aliorum infirmis curãdis animis idoneus adhiberi modicus, per omnes ordinum gradus, postremò sacerdotio initiatus est. Quo munere dotatus, cœpit tanquã sequester quidam inter Deum & homines constitutus, maiore multò animi vigilantia sibi intendere, vt per omnia diuinæ maiestatis oculis placere posset.

Tradit se instituto D. Basilij.

Initiatur sacris.

Quadam autem nocte, precibus & diuinæ contemplationi solito feruentiùs insistẽs, Angelica visione monitus est, vt posthabito natali solo, Romam, Apostolicis triũphis celebrẽ, inuiseret; illic certiùs cogniturus quo ministerio gratum Deo obsequiũ præstare posset. Nec mora; vir diuinus honesto stipatus comitatu, Romam abijt: vbi cùm beatissimorum Apostolorum limina venerandus lustraret, eaque largo piarum lachrymarũ imbre infunderet, cælestis aulæ ianitor ei apparuit, aitque ad eum: Est pagus qui ab amne præterfluente Hainau appellatur. Ibi tuæ habitationi noueris diuinitùs destinatum locum illũ, quem incolæ Vrsidungum vocant, ab vrsa cum catulis illic deprehensa. Tu illic, meo & fratris mei Pauli nomini, condito oratorio, multas Deo lucraberis animas: vitæque munere sanctè perfunctus æternũ cum Angelis in cælis lætaberis. Hac visione exhilaratus vir sanctus, ex omni comitũ turba,

Monetur ab Angelo vt Romam pergat.

S. Petrus ei apparet.

turba, duos sibi tantùm retinens Lambertum & Bellirium, nudus nudum secuturus Saluatorem, ad locum sibi ab Apostolo indicatũ properauit. In eo itinere perlustrans sacra monasteria, vrbes & castella, multa de beatissimi Amandi confessoris fama celeberrima audiuit: cuius sanctitatis odore illectus, ad eum abijt, itineris sui causas exposuit: eiusq; benedictione munitus ad mõtem, quem Castri locum vocant, profectus est. Cumque putaret eum esse locum à Domino sibi promissum, cœpit extirpare arbusta, vt templum illic cõstrueret Deo seruituris idoneum.

S. Amandi vita extat 6. Februarij.

Inuisit S. Amandum.

Per id tempus Brabantia Dagoberto Regi iucũdas valde exhibebat venationes. Accidit autem vt canes eius venatici immanem quandoque insectantes vrsam, eam in angustias cõpellerẽt: quæ mortis periculo circumuẽta ad beatum eremicolam Gislenum confugit, & sub eius tunica, quam ex arboris ramo propter laborem suspenderat, sese reposuit, ibidemq;, nihil canum latratu exterrita, securè quieuit. Ea re commoti venatores, ministri Regis, contumeliosè impieque virum Dei, & ministros eius proscindunt, aiuntque magicis imbutos artibus; dignos qui Regis iudicio pœnas luant. Accessit tandem etiam ipse Rex Dagobertus, nõnulla indignatione cõmotus; sed mox vt Gislenum Dei sacerdotem esse, eoque religionis ergò cõmigrasse cognouit, relicta fera, & à tanto sacerdote accepta benedictione cũ suis recessit. Viro autem beato in suum opus incumbente, vrsa, arrepta sporta, in qua sacrę vestes complicatæ erant, pedetentim abscessit. Cernens id

Vrsa à canibus dilaniãda sub eius pallio mortẽ euadit.

Gislenus, indignabundus quasi, arrepto scipione, feram insequitur, ac duce aquila, quæ se diuinitùs offerebat, (nam viæ ignarus, quò tendendum esset dubitabat) ad dumosum mireque condẽsum peruenit locum, qui, ab eo, quòd vrsa suos ibi nutrire solebat catulos, Vrsidungus vocabatur. Eo loco dumetoque diligenter lustratis, vir sanctus inter catulorum complexus reperit vestimetnum nihil planè læsum aut contaminatum. Vndè non tam de vestimento, quàm de loco diuinitùs antè designato iamq; inuento, vehemẽter gauisus, antè omnia Christo superisque, vt par erat, gratias egit; deindè fera in Christi nomine abire iussa, locum à vepribus repurgauit: templumque Apostolis Petro & Paulo ædificauit: q̃ cum esset à sanctissimis Põtificib. Amando & Autberto, more ecclesiastico celeberrimè dedicatũ, Cellam appellari voluit. In ea verò Cella, eximius humanæ laudis contemptor, se abdidit soliqué Deo cognitus, fame ac frigore corpus suum assiduè castigauit: vt spiritui obediens, cælestium rerum influxus faciliùs perciperet.

Vrsidungus vnde dictus, locus quidã.

Cella Apostolorũ à Gisleno extruitur

Per id tempus * Malgarius, Comes Hannoniæ illustris, diuino spiritu ad mundi huius contẽptum incitatus, cunctis voluptatibus fluxisque honoribus nunciũ remisit, & Autberti Episcopi manibus tonsus, in Alto monte monastico indutus habitu, spiritalis militiæ bellum suscepit. Eius verò vxore castè in habitu seculari degente, & filio prædia strenuè gubernante, B. Gislenus à Domino est admonitus, vt eã inuiseret monitaq; salutis ac mundi contemptum diligenter inculcaret. Fecit Gislenus alacriter

** Magdelgarius, & apud Ioan. Molan. Vincentium. Malgarius Comes monachus eremita.*

ter vt erat iussus, sitientiq; animæ, æternæ vitæ pocula abundè obtulit; quibus VValdetrudis (sic enim vocabatur) sobriè inebriata, totam se ad virtutis & bonorũ operum studia accõmodauit. Atque vt totam se à mundi laqueis exueret, cõsilio viri Dei Castri locum petijt: in quo exstructa cellula, siue monasteriolo cum religiosis eiusdẽ instituti fęminis, castum inprimis & humilem Deo famulatum exhibuit: ac Cameracum profecta à Sãcto Autberto Episcopo sacrum velamen, quod est innocẽtis vitæ symbolum, suscepit. [Porrò memorata Cellula hodie est in Primaria Hannoniæ vrbe; Montibus nimirum; Ecclesia S. VValdetrudis; conuersa in Canonicorum nobilium Collegiũ: cuius perpetuus Abbas est Comes Hannoniæ.]

VValdetrudis vxor eius fit monialis.

Pergebat interim beatus Gislenus diuini verbi iactare semina: cunctosq;, quos poterat, ab huius mundi amore abducebat, & Christo coniungebat. Et opportunè sanè ad beatam VValdetrudem accessit, saluberrimè eam admonens, vt sororem suã Aldegundem Deo lucrari conaretur, filiasque suas Aldetrudem & Madelbertam Agno immaculato consecraret. Non surda profectò aure accepit VValdetrudis, quin statim hortatur Aldegundem: quæ cũ sororis tum sancti Patris Gisleni monitis virtutibusque incitata, in Malbodiense cœnobiũ, quod ipsa ex hæreditarijs suis bonis condiderat, Christo perpetuo virginitatis voto seruitura, concessit. [Et quidem hodie Malbodium est oppidum Hannoniæ; & in eo celebre Canonicarũ nobilium, siuè Dominarum Collegium: quarum Dominio ipsum oppidum subijcitur.

Eximius animarũ Zelus in S. Gisleno.

Conuersio S. Aldegundis Virginis.

Tandem verò cum iam bono odore virtutũ beatissimi Gisleni, tota esset repleta Ecclesia, sentiens vir Dei obitus sui tempus adesse, cunctis Ecclesiæ sacramentis ritè munitus, ita è vita excessit vt maximum sui desideriũ cum multis lachrymis cõiunctum relinqueret. Corpus eius in beatorum Pauli & Petri Apostolorum Ecclesia, quam ipse exstruxerat, humatum est: vbi sacris eius meritis morbidi omnes sanitatem recipiunt.

Obitus S. viri, miraculis postmodum celebris.

Vide C. Baron. Annal. Tom. 2. anno Christi 297. Marcel. Papæ 1. Diocle. & Maxim. Imp 14. 10. Octob.

MARTYRIVM SS. GEREONIS ET sociorum eius: itemque Victoris, Cassij, & Florentij multorumque aliorum: Ex eo quod Helinandus celebris istorum temporum auctor conscripsit.

MAXIMIANVS Augustus, coadunato exercitu, permixto tamen fidelium & infidelium cœtu, festinus Alpium iuga trãsgrediens, Galliæ appropinquabat; soloque aduentu suo, Amando & AEliano ducibus tumultus perterritis, seditionis illius tempestatem facilè sine sui exercitus damno sedabat. Comperto verò q̃ Carausius quidã nobilis insidias cõtra Romani regni fines moliretur (qui tamen Procurator constitutus erat prouinciq̃, quæ est iuxta Oceanum, vbi Franci iam secundò à suis sedibus expulsi, iuxta Gallorum & Saxonum confinia consederunt) misit illuc per Rheni fluminis alueum, partem sui exercitus, cuius militari virtute nefarius cassaretur incœptus. In quo itinere præcipuos belli Dominici duces, Gereonem, Victorem, Cassium & Flo-

Amandus AElianus et Carausius seditiosi in ordinem redigunturur.

Florentium fælices turmæ Christianorum militum sequebantur.

Intereà Maximianus ferocissimus Christiani nominis persecutor, & tali tantoque agmine indignissimus ductor, statuto iuxtà radicem Alpium Zeli idolo, in loco, quem dicunt, Octodorum, præcepit vt omnis exercitus viritim festiua celebritate cõcurreret, & à supplicatione dijs, vt fatebatur, immortalibus agenda, communique lętitia se nemo velut alterius sectator religionis, excipere[illegible] verò Gereonium præcesserat agmen, vt nuncium scelestissimi sacrilegij non audiret. Ventum est ad locum constituti flagitij, vbi dum copiosus Romanæ virtutis exercitus, quasi pro religione surdis & mutis idolis inclinaretur, S. Mauricius cum sua legione, in locum spiritualis exercitij secesserat, vt suos commilitones ad futura certamina interim roboraret. Quo cognito Rex, bonorum exitij auidus, primò quidem callidis persuasionibus aciẽ diuinam flectere tentauit: sed cùm nihil apud milites Christi, fidei calore ac martyrij desiderio incensos, efficere posset, semel & iterum decimum quemq; militẽ morti adiudicauit, ac reliquos deindè, cũ mori quam cedere mallent, ad vnum omnes truculenter deleri mandauit. Et hæc quidem apud Agaunum oppidum, vbi maxima multitudo sancti exercitûs resedit, agebantur.

S. Mauricij passio habetur suprà 22. Septemb.

Indè præcedentium secuti vestigia, reperunt primarios milites Cassium & Florentiũ, cum septem alijs, similis constantię viris, iuxtà Veronam ciuitatem in ripa Rheni fluminis cõsidẽtes, aliosque cum eis quamplurimos eiusdem

Verona hæc non est illustris illa Italiæ ciuitas, sed quæ est in Gallia vulgò Bona dicta.

dem agminis, sed non eiusdē intentionis satellites. Hos dum agnouissent de Orientali fuisse præsidio, sæuientes contra eos, de professione sciscitati sunt, Cumque illi nec voluntate cordis, nec sententia responsionis, à superioribus discreparent, submissis capitibus, eodem in loco pro Christi nomine perempti sunt.

SS. Cassium & Florētium cum socijs trucidantur.

Mox ergò ad beatum Gereonem, eiusq; socios trecentos, decem & octo, cum illo pariter fide veritatis armatos, persecutor nescio velocius, an fama peruenerit. Progressi tamen paululum antè subsequentes carnifices, in campis Agrippinæ magnæ ciuitatis, martyrij gloriam, sese inuicem cohortantes, præstolati sunt. Quibus continuò superuenientes hi, qui missi erant à Iudice, nullam in eis defendendi, vel a proposito deficiendi voluntatem, sed cōstantissimam nominis Christi inuenerūt cōfessionem. Ibi beatus Gereon dux & martyr egregius, cū illis Regis æterni vernaculis, edomitis omnibus, quæ ad huius vitæ delectationem possēt allicere, semetipsum spōtaneus obtulit hostiam viuam Deo. Insani verò tortores, sanctorum ibidē corpora cruentantes, per campi illius planitiem traxerunt, & in puteū quendam maximum proiecerunt. Monstratur autē vsque hodiè in loco, vbi S. Gereon trucidatus est, sanguinis ipsius spectaculum, & ipse locus, Ad Martyres, acceptum ab incolis seruat vocabulum.

S. Gereon cum suis perimitur.

Locus, Ad Martyres.

Hæc itaque dum agerentur, cōhors illa, quæ beatum Victorem comitabatur, ad locum, cui destinata est, properans, peruenit ad oppidum Francorum, quod ex Maiorum suorum sedi-

bus

bus Troiam siue Xanthum nuncupabant; ibique cum duce suo castra in partis virentibus posuit. Nec minùs audaces illi cruentique milites adfuerunt, peremptoque illic fortissimo Christi milite Victore, cum trecentis triginta martyribus, sancta eorum corpora in locis palustribus submerserunt. Tandem optatis locupletati spolijs, cum exercitu reliquo, (quia Carausius ille fugiens sese in Britanniam transtulit) per viam qua venerant, læti pro scelere redierunt.

Cædes S. Victoris & 330. martyrum.

Eodem verò tempore, de Mauritania, finitimisq; regionibus, milites ab Imperatore propter frequentes Gallorũ tumultus euocati, in Galliam nauigio venerunt: quorum trecenti quinquaginta pro fide Catholica trucidati cũ beato Gereone eiusque socijs beatorum corporum quietem & venerationem perpetuam delegerunt.

Mauri 350. occiduntur.

Post hæc Maximianus Augustus reuersus in Italiam, suadente Diocletiano, vt cum ipso se transferret in ocium, licet inuitus purpurã simul Imperiumque, sed nõ tyrannidis vsum deposuit, & vice sua Constantium virũ mitissimũ, Italiæ, Africæ & Gallijs Augustũ esse constituit. Galerio verò cęterę prouincię delegatę sunt. Sed Constantius Gallijs Hispanijsq; contentus, has magna mãsuetudine gubernabat, & Ecclesias Dei nullis molestijs infestabat. Cumque adhuc Maximiano viuente in Britãnia diẽ obiret, Canstantino filio suo prouincias easdem regendas dereliquit. Qui confortatus in Imperio, dum Regni Romani monarchiã per bella maxima obtinuisset, legibus Christianæ reli-

Constantius fit Imperator.

Moritur in Britãnia, & Constantinus filius eius succedit.

religionis per beatum Syluestrum Papam initiatus, beatissimæ Helenæ matri suæ honorandi & sublimandi sanctorum martyrum sepulturas ius & potestatem, ipse per omnem penè terrā eodem studio occupatus, cōtradidit. Cuius Deo dignæ matronę in beati Gereonis monasterio adhuc plurima seruantur insignia; & qualis ipsa fuerit, testantur ibidem apud eius memoriam crebrò repetita miracula.

Collegium S. Gereonis olim. fuit monasterium.

Fecit sanè inter plurima spectabilia suæ deuotionis opera, super eiusdem S. Martyris sociorumque eius corpora, (vbi etiam suprà memorati sancti Mauri martyres ad singulare mœrentium & infirmantium refrigerium requiescūt) insignem structuræ magnificę & sublimis ecclesiam; quam ita metallorum fulgore & artificij varietate decorauit, muris etiam excelsis validisque firmauit, vt nihil suprà per omnes illas regiones vel fuisse, vel futurū esse celebri sermone feratur. Præter quod ligneam aliquam, vel quæ facilè senio, vel negligentiæ cedat, materiam habuisse negatur, cum marmoreæ soliditatis ibi tanta copia fuerit, vt opus totum columnarum illius generis firmitudine & pulchritudine fulciretur: aurei verò fulgoris tantum in ea emicuit, vt musiua foris & intus fulgens elegantia, nomen, Ad aureos sanctos, sortiretur. Quæ quia per se summo rerum auctori placere non potuit, vt adhuc amplius & dignius resplēderet, plurimis idoneis laudis diuinæ præconibus & ministerijs sibi congruentibus est adornata.

Ecclesiam S. Gereonis cōdit S. Helena.

Igitur Sanctus Maternus Treuirorum episcopus, Agrippinæ Coloniæ Ecclesiam primus

S. Materni vita habetur 14. Septemb.

pastor

paſtor dignis gubernaculis rexit; cuius vitam multis claruiſſe virtutibus, geſtorum eius ſcripta commemorant. Huius ſedis antiſtes nobis cognitorum tertius, S. Seuerini confeſſoris Chriſti ſucceſſor, nomine Euergiſtus, quadam die, dum capitis dolore nimium cruciatus, ad memoriam beatorum martyrum, Gereonis & ſociorum eius, oratum accederet, & adhuc in ſancti illius theſauri indicium, faſtigium nullum excelleret, verſiculum in laudem ſanctorum dici ſolitum, Exultabunt ſancti in gloria, ingrediens Eccleſiam inchoauit: cui protinùs ex illo venerabili ſanctorum adyto reſpõſum eſt, Lætabuntur in cubilibus ſuis. Quod cum Pontifex ſtupefactus audiret, laudem Deo repentè cum omnibus, qui aderant, conclamauit: & appropinquans, de loci ipſius puluere capiti ſuo ſalutare remedium appoſuit, & cõſignato cum ſumma reuerentia loco, receſſit. Et quidem talia plurima veridica relatione commemorari poſſent, ſi promiſſi compendij ſtudia non arcerent.

S. Seuerini vita habetur 23 Octob.

S. Euergiſili 24. dicti.

Pſalm. 149.

En miraculum.

S. Euergiſlus curatur ex puluere in Eccleſia S. Gereonis.

VITA S. CERBONII EPISCOPI Populonienſis. Ex ea quæ eſt per D. Gregorium Papam. Lib. 3. Dial. cap. 11. Exceſſit ex humanis circà annum Domini 573.

Vide Tom. 7. Baron. Annal.

VITAE venerabilis Cerbonius Populonij Epiſcop⁹, magna ſanctitatis opinione in diebus ſuis celebris, præcipuo hoſpitalitatis ſtudio deditus erat. Cùm verò die quodam trãſeuntes milites hoſpitio ſuſcepiſſet & Gotthi ſuperueniẽtes eos ad necẽ expererent, ipſe ab eorum nequitia vitam illorum abſcon-

10. Octob.

Humanitas eius ergà milites quosdã.

abſcondendo ſeruauit. Quod dum Gotthorum Regi perfido Totilæ nunciatum fuiſſet, crudelitatis immaniſſimæ veſania ſuccenſus, hunc ad locum, qui octauo Vrbis huius milliario Merulis dicitur, vbi tunc ipſe cum exercitu, ſedebat, Epiſcopum adduci iuſſit, eumque in ſpectaculo populi, vrſis ad deuorandum proijci. Cumque idem Rex perfidus in ipſo quoque ſpectaculo conſediſſet, magna populi turba confluxit. Tunc epiſcopus in medium deductus eſt, vt morte ſua crudeliſſima, ſæui Regis animum ſatiaret. Exquiſitus eſt itaq; vrſus immaniſſimus, qui accenſus & concitus Epiſcopũ petijt: ſed ſubitò ſuæ feritatis oblitus, deflexa ceruice, ſubmiſſoque humiliter capite lambere Epiſcopi pedes cæpit. Quo ſanè miraculo, populus qui ad ſpectaculum mortis venerat, magno clamore verſus eſt in admirationẽ venerationis: & ipſe etiam Rex ad eius reuerentiam colendam permotus eſt.

Proiſcitur vrſo deuorandus, ſed nihil læditur.

De quo etiã viro aliud miraculum, Venantio Lunenſi Epiſcopo narrãte, celebratur. In ea namque Populonij eccleſia, cui præerat, ſepulchrum ſibi præparauit. Sed cum Longobardorum gens in Italiam veniens cuncta vaſtaſſet; ad *Helbam inſulã receſſit. Qui ingruẽte ægritudine morti vicinus clericis ſuis præcepit, vt corpus in ſepulchro, quod Populonij præparauerat, conderent. Illis autem negantibus hoc fieri poſſe ob Longobardorum præſentiã, qui ea loca tenebant, vir ſanctus reſpondit: Reducite me ſecuri; nolite metuere; ſed feſtinè me ſepelire curate: ſepultoque corpore, omni

** al Iluam, Inſulam Thyrheni maris.*

cum

cum festinatione ex eodem loco recedite. Defuncti igitur corpus imposuerunt naui. Cumque Populonium tenderent, collectis in aëre nubibus, immensa nimis pluuia erupit. Sed vt omnibus patesceret, cuius viri corpus nauis illa portaret, per illud maris spatium, quod ab Helba insula vsque Populonium duodecim milliaribus distat, circa vtraque nauis latera, procellosa valdè pluuia descēdit: & in nauem eandem vna pluuiæ gutta non cecidit. Peruenerunt igitur ad locum clerici, traditoque sepulturæ sancti sacerdotis corpore, festinatione, qua potuerunt, maxima ad nauem reuersi sunt. Quam vt intrârunt, mox eundem in locum vbi vir Domini sepultus fuerat, Longobardorum Dux crudelissimus Gummar aduenit. Ex cuius aduentu virum Dei prophetiæ spiritu claruisse constat: quia ministros suos sub festinatione discedere præcepit.

Insigne miraculum.

Claruit prophetiæ spiritu.

MARTYRIVM SS. ET GLORIOSOrum Christi martyrum Tharaci, Probi & Andronici, vt habetur in secundo tomo Annalium C. Baronij, anno Christi 290. Caij Pap. 7. Dioclet. & Maxim. 7.

II. Octob.

CONSVLIBVS Diocletiano quartùm & Maximiano tertiùm, octauo Kalend. Aprilis Demetrius Centurio dixit: Qui oblati sunt nobilitati tuæ, Domine, in Pōpeiopoli ciuitate ab Eutelmio Paladio spiculatore, qui sunt pessimi & impij Christiani, qui non consentiunt præceptis dominorum nostrorū,

præ-

præsentamus ante tribunal nobilitatis tuæ. Maximus Præses dixit Tharaco: Qui vocaris? a te enim oportet interrogare primum, quoniam ætate senior es. Respondit Tharacus: Christianus sum. Maximus Præses dixit: Tace de hac impia professione; dic, Qui vocaris: Tharacus dixit: Christianus sum. Maximus Præses dixit: Frangite ei maxillas, dicentes, Illud noli respondere. Tharacus dixit: Quod est nomen meum, illud dico; si autem quod est impositum à parentibus, dicor Tharacus: & cum militarem a nominatus sum Victor.

Præses dixit; Ex quo genere es Tharace? Tharacus dixit; Militari & Romano: natus autem Claudionopoli ciuitate Syriæ: & propterea quod Christianus sum, renũciaui militiæ. Præses dixit; Non enim dignus es militare: tamen quo modo recessisti à militia? Tharacus dixit: Deprecatus sum Publionem principem & dimisit me. Præses dixit: Ergo prospice senectuti tuæ, quoniam & ego volo, vt sis vnus ex consentientibus præceptis dominorum nostrorũ, & à me honorem magnum accipias. Ergò accede & sacrifica dijs nostris: quoniam & ipsi principes super omnem orbem colũt eos. Tharacus dixit: Errant multo errore Satanæ. Præses dixit: Frangite maxillas propterea quod dixit, errasse Imperatores. Tharacus dixit: Ego dixi, & dico, quoniam errant quasi homines. Præses dicit Sacrifica dijs nostris, & relinque stultitiam tuam. Tharacus dixit: Ego Deo meo seruio, & sacrifico non in sanguine, sed in corde mundo: non enim sunt necessaria talia sacrificia. Præses dixit adhuc: · · · · · † tuæ ex parte,

a Secundum Pauli Iurisconsulti sententiam. L. verius ff de quæst. à Seniore vt debiliore & timidiore auspicanda est quæstio.

Tharacus sistitur coram Præside.

Licuisse absq; fraude mutare nomen, ipse Diocletianus testatur l. 1. C. de mutat. nom.

Præses ei blanditur.

Constantia Tharaci.

parte, & senectutis, prudentiæ tuæ miserebor. Admoneo vt omnem vanitatem dimittas & dijs sacrifices. Tharacus dixit: Ego à lege Domini non recedo. Præses dixit: Ergò recede & sacrifica. Tharacus dixit. Impietatem ego non operor, quoniam Dei legem honorifico. Præses dixit: Alia est ergo lex præter istam? O malum caput? Tharacus dixit: Est lex vestra, qua vos impij lapides, & ligna, & opera manuum hominum adoratis. Præses dixit; Super ceruicem cædite eum, dicentes: Noli vanus esse. Cùm cederetur Tharacus dixit: Ego de ista professione non recedo, quæ me saluum facit. Præses dixit: Ego te recedere faciam ab ista vanitate, & prudentem te faciã. Tharacus dixit; Fac quod vis: potestatem habes in corpore meo. Maximus Præses dixit: Tollite vestimenta eius, & virgis eum cædite. Tharacus cum verberaretur dixit: Nunc verè prudentẽ me fecisti, plagis confortans me magis ac magis confidere in nomine Dei & Christi eius. Præses dixit; Iniuste & maledicte, quo modo duobus dijs seruis? Eccè nunc confiteris deos & eos negas quos colimus? Tharacus dixit: Ego confiteor eum, qui est manifestus Dominus. Præses dixit: Nonne cõfiteris Christum & Dominũ? Tharacus dixit: Ipse est enim filius Dei, spes omniũ Christianorum, propter quẽ patimur & sanamur. Maximus Præses dixit; Relinque verbositatẽ istã: Accede, sacrifica. Tharacus dixit; Nõ verbosus sum, sed veritatẽ dico: iã enim sexaginta quinque annorum sum, & sic credidi, & à veritate non recedo. Demetrius Cẽturio dixit: O homo, parce tibi, & im nota: audi

Super ceruices plumbatis reos cædi solitos esse, rescripta Principum tradunt.

Cæditur virgis.

Tharacus sexaginta quinque annorum.

audi me. Tharacus dixit: Recede à me cũ consilio tuo, minister Satanæ. Maximus Præses dixit; Iste magnis ferreis vinculis in carcerem recipiatur: Adducite alium sequentem.

Mittitur in carcerem.

Probus adducitur.

Demetrius Centurio dixit; Pręsto est Domine. Præses dixit; Qui vocaris, primò respondè. Probus dixit: In primo, quod nobile est, Christianus; secundò apud homines, vocor Probus. Maximus præfectus dixit; Ex quo genere es Probe? Probus dixit; Patrem habui è Thracia natus autem in Perge Pamphiliæ plebeius, sed Christianus sum. Maximus Præses dixit: Nec lucrum facies de isto nomine. Audi me; Sacrifica dijs: vt à Principibus honoris, & amicus noster eris. Probus dixit; Neque honorem Principum volo, neque amicitiam tuam cupio: nõ enim parua erat substantia diuitiarum mearum, quam reliqui, vt Deo viuo seruiam. Præses dixit: Spoliate eum; tollite illi pallium; extendite; eum & nervis crudis cædite.

Patria eius.

Blanditur ei præses.

Cæditur nervis.

Cùm verberaretur Demetrius Centurio dixit: O homo vide sanguinẽ tuum in terram effundi. Probus dixit: Corpus meũ inter vos est, mihi autem tormenta vnguentum sunt. Cùm verberat' esset, Præses dixit; Requiescis à vanitate tua, an permanes in duritia tua miser? Probus dixit: Non sum vanus, cordatior sum vobis in Domino. Præses dixit: Versate illũ, & superventrẽ cædite eũ. Probus dixit: Auxiliare seruo tuo, Domine Maximus Præses dixit: Cædẽtes eũ dicite illi; Vbi est auxiliator tuus? Probus cum verberaretur dixit: Auxiliatur, & auxiliabitur. Sic enim pro nihilo habeo tormenta

Egregia eius animi fortitudo.

menta tua, vt non acquiescam tibi. Præses dixit: Attende ad corpus tuum miser, quoniam sanguine tuo impleta est terra. Probus dixit: Hoc scias, quoniam quòd cùm in me patitur corpus propter Christum, multo magis sanatur anima, & viuificatur. Cũ verberatus esset, Præses dixit: Vincite ferro manus ac pedes illius: nec dimittatis aliquem curam ei apponere. Addidit Præses: Adducite alium in medio tribunali. Demetrius Centurio dixit: Præsto est Domine.

Adducitur Andronicus:

Præses dixit; Qui vocaris? Andronicus dixit: Manifestè scire vis, quia Christianus sum? Præses dixit: Illi qui antè te fuerunt, non sunt consequuti de nomine isto nihil; & te oportet respondere. Andronicus dixit: Commune nomen meum apud homines, Andronicus. Maximus Præses dixit; Quo genere es Andronice? Andronicus dixit: De nobili genere; & primi ordinis Ephesiorum filius. Maximus Præses dixit: Tibi parce & audi me sicuti patrem. Nam qui anteà voluerunt stulta loqui, nihil lucrati sunt, tu autem honorifica Principes & patres, dijs nostris consentiens. Andronicus dixit; Benè illos patres nominasti: quoniam vos ipsi patrem habetis Satanam; filij illus diaboli facti opera eius perficitis. Maximus Præses dixit; Adolescentia tua adhuc me contemnit? Scias enim iam tibi magna tormenta parari. Andronicus dixit: Putas me stultũ esse, vt minor antecessoribus meis inueniar? paratus sum tibi ad omnia tormenta. Præses dixit: Expoliate eum, cingite, & suspendite.

Andronicus nobilis Ephesius.

Animi eius magnitudo:

Demetrius Cēturio dixit: Antequam exter-
minetur corpus tuū, miser audi me. Andronicus dixit: Melius est vt corpus meum pereat, v
non faciatis animæ meę, quod vultis. Maximu
Præses dixit: Consenti & sacrifica, antequā ex
termineris. Andronicus dixit; Ego nunquā sa
crificaui, nec ab infantia mea: & nunc non sa
crifico eis, quibus me cogitis sacrificare. Maxi
mus Præses dixit: Tāgite corpus eius. Anaxim
Cornicularius dixit: Cōsenti Præsidi; pater tu
sum in annis: consulo tibi. Andronicus dixit
Quoniam senior es, & sensum non habes, tal
mihi cōsilium das, vt lapidibus & dœmonibu
sacrificem.

Cornicularij prætoriani, præerant exequendis sententijs damnatorū: de alijs consule Notat. C. Baron. ad Martyr. Roman.

Cùm torqueretur, Præses dixit; Non senti
tormenta miser, vt miserearis tui, & recedā
à vanitate ista quæ te non potest saluare? An
dronicus dixit: Quam dicis esse vanitatem,
professio mea valdè in omnibus bona est, spe
habens in Domino: sapientia autem tua tem
poralis, sempiterna morte morietur. Præse
dixit: Quis te docuit stultitiam istam? Andro
nicus dixit: Sermo qui & viuificat, in quo &
viuificamur, habentes in cælis Dominum, spe
resurrectionis nostræ. Maximus Præses dixit:
Recede à stultitia tua, antequam incipiamus
te strictius tormentis affligere. Andronicus di
xit: Corpus meum antè te est positū; habes po
testatē, quod vis, fac. Præses dixit: Torquete o
eius fortiter. Andronicus dixit: Adspiciat Do
minus, quoniā me sicut homicidam pœnis sub
iecisti. Præses dixit; Contemnis pręcepta Prin
cipum? Et tribunal meum nihil tibi videtur es
se? Andronicus dixit; In Dei misericordia &
veri-

Torquetur Andronicus.

veritate confido: Indè hoc patior. Maximus Præses dixit: Ergò deliquêre Principes, ô Biothanate. Andron. dixit; Deliquêre, sicut intelligo: nam si vis, recto sensu intelliges, quoniam delictum est, dæmonijs sacrificare.

Contemnit pœnas, & tormenta.

Dũ torqueretur, Maximus Præses dixit; Cõuertite eũ, & latera eius pũgite. Andronicꝰ dixit: Ante te sũ; quomodò vis corpus meũ subijce pœnis. Præses dixit: Tollite testam, & plagã refricate. Hoc cùm factũ esset, Andronicus dixit: Cõfortasti nunc corpus meũ in plagis. Maximus Præses dixit: Kata modicũ te exterminabo, te exterminabo. Andronicus dixit; Non timeo comminationes tuas: sensus meus melior est cogitationibus malitiæ tuæ; propterea contẽno omnia præcepta tua. Præses dixit; Ligate ei collũ, & pedes ferro, & sub custodia habeatur. *Hucusq; prima interrogatio.*

Carceri mancipatur.

Secunda interrogatio facta est die † . . . . . *Sedente Numerio Maximo Præside, &cæt.* Maximꝰ Præses dixit: Voca impijssimos Christianos, legi malæ seruientes. Demetrius Centurio dixit: Præsto sum Domine. Et cũ perductus esset Tharacus, Præses dixit: Meministis quod senecꝰ honoratur in multis, propterea q̃ est ipsius cogitatio & sẽsus. Proindè cogitasti apud te, ne iterũ in priorib. illis cogitationib. & hodie velis permanere. Sed magis accede, & sacrifica dijs pro salute Principũ, vt honorẽ cõsequaris. Tharacus dixit: Honorẽ istũ si intelligerent & ipsi Principes, & alij qui cõmunicant sensibus vestris, ab omni cæcitate cogitationũ vanitatis suæ se separarẽt, & in meliorẽ & fortiorẽ sedẽ

† deerat in Exemplari dies iam vetustate obliteratus.

Senectus honoranda & quarè.

Tharacus iterum producitur.

Rursus dirè cruciatur S. Tharacus.

à Deo verissimo viuificarentur. Præses dixit: Lapidibus os eius frangite, & dicite: Recede à stultitia tua. Tharacus dixit: Si non essem accuratus, similis tibi essem insensatus. Præses dixit: Ecce dentes tuos comminutos: miserere iã tui miser. Tharacus dixit: Non tibi persuadeas in nihilo. Nam si omnia mẽbra mea collidas, insto fortis in eo qui me fortem facit. Præses dixit. Crede, quia melius est tibi vt sacrifices. Tharacus dixit: Si scirem quia melius esset, hoc non exspectarem à te.

Et cũ nõ amplius Tharacus loqueretur, Præses dixit: Cædite eũ in os, clamantes ei: Respõde. Tharacus dixit; Maxillæ meæ fractæ sunt, quomodo respondeam? Maximus Præses dixit; In omnibus his nõ cõsentis insensate? Accede, adora, immola dijs. Tharacus dixit: Si vocem clamoris mei subtraxisti, verum sensui animæ meę non nocebis, sed magis intrà vnam horam me ædificasti. Præses dixit; Ego duritiam tuam expellã, maledicte. Tharacus dixit; Omnibus cogitationibus tuis adsum, sed vinco in eo, qui me fortem fecit, id est, nomine Domini. Pręses dixit: Afferte ignẽ, & expandite manus eius, & ponite in eis. Tharacus dixit: Ignẽ tuum tẽporalẽ non timebo: timeo autẽ si forte consentiã tibi, ne ignis æternus dominetur mei. Et cũ positus esset ignis super manus eius, Præses dixit: Eccè nũc manus tuæ exterminatæ sunt ab igne, requiesce à vanitate tua insensate, & immola dijs. Tharacus dixit: Sic mecum loqueris quasi iam voluntati tuæ consenserim ex tua crudelitate: per voluntatem Domini fortissimus sum in omnibus quæ aduersum me parantur.

Ita vt sæuiat impius præses.

Admiranda Tharaci fortitudo & constantia.

Præses

Præses dixit: Ligate eum pedibus, & in altũ suspendite, & fumum atrum supponite subtus faciem eius. Tharacus dixit; Ignem tuum contemno: fumum tuum timere non habeo. Maximus Præses, cum suspensus ille esset, dixit ad eum: Sic pendes vsque dum consentias & sacrifices. Tharacus dixit; Sacrifica Præses, sicut & cõsuetudinem habes sacrificare hominibus: mihi autem non licet hoc facere. Maximus Præses dixit: Afferte acetum cum sale, & in naribus eius perfundite.

.... deerat in codice pagina, qua continebantur reliqua tormentorum Tharaci, & Probi, tota secunda Interrogatio excidit: sed & Andronici nisi tantum hæc pauca sequenti pagina habentur conscripta.

Certamen Andronici secundum.

Præses dixit; Hi sermones stultitiæ tuæ nihil tibi proderunt: sed accede, sacrifica dijs, ne mala, scelestè, perdant te. Andronicus dixit; Et primò & secundò, quæ audistis, vnum est: non enim puer sum, vt seducar sermonibus & conculcer. Præses dixit: Non me vinces, aut contemnes tribunal meum. Andronicus dixit; Non vos vincimus; sed est qui nos confortat Dominus noster Iesus Christus: nam ex parte sentis & recognoscis, quoniam non timemus te, neque tormenta tua. Præses dixit: Præsententur mihi alia genera tormentorum, proxima Sessione. Hic autem vinculis ferreis recipiatur in custodia, & à nemine videatur, vsque in mane) *ecunda Interrogatio explicit: Incipit tertia Interrogatio.*

In vincula conijcitur Andronicus.

Tertiò ducuntur ad certamē SS. Martyres.

Præses dixit: Voca iniquissimos Christianos. Demetrius Cēturio dixit: Præsto sum Domine. Adducto Tharaco Præses dixit: Adhuc plagarum & pænarum & custodiarum vincula contemnis? Audi me Tharace, & recede à confessione ista, vndè lucrum non habes; sed sacrifica dijs, quoniam per ipsos omnia stant.

Primus Tharacus.

Tharacus dixit: Nunquam benè sit illis, vt per illos mundus gubernetur, quibus paratus est ignis & tormenta æterna; non solum illis, sed & omnibus qui faciunt voluntatem ipsorum. Præses dixit; Non quiescis iniquissimè blasphemans? Aut putas tu quia per imprudētiam sermonum tuorum caput tibi abscindam & recedas? Tharacus dixit; Sic erat, vt compendio moriens, non magnum agonem haberem: nunc autem fac vt crescat mihi in Domino agonizatio fidei meæ. Præses dixit: Talia patiuntur & patientur tui, qui sunt in vinculis, ac legibus morientur. Tharacus dixit; Hoc quod dicis, stultitia mentis tuæ est: quoniā qui operantur mala, meritò moriūtur; nos autem, qui malum nescimus, sed pro Domino patimur, mercedem speramus accipere cælestem à Domino. Præses dixit: Maledicte & inique, quam mercedē expectatis, malè & scelestè consummātes? Tharacus dixit: Nō tibi licet hoc interrogare, neque scire, quā præparauit nobis Dominus positā mercedē in cælis: propterea sustinemus irā sensûs tui. Præses dixit; Sic me alloqueris, maledicte quasi cōsors meus sis? Tharacus dixit: Ego consors tuus non sum, sed habeo potestatem loquendi, & nemo potest me compescere propter eum qui me confortat, hoc est

Admiranda planè Tharaci magna humilitas.

Domi-

Dominus. Præses dixit: Ego potestatem istam, quam habes, eradicabo à te, nequissime. Tharacus dixit: Nemo potest auferre à me potestatē istam, neque tu, neque Principes tui, neque pater vester Satanas. Pręses dixit: Verùm quid loquor tecū in allectatione? Tharacus dixit: Allectatio tua tecum sit. Ego sicut & Dominus nouit, cui seruio, quoniam vultus tuus mihi horret, vt loquar tecū. Præses dixit: Ligate eum quoniam stultus est. Tharacus dixit: Stultus, si essem similis tui, & voluntati tuæ acquiescerem. Pręses dixit: Quoniam suspensus es, sacrifica antequam secundùm meritum tuum pęnas tibi adhiberi faciam. Tharacus dixit: Licet tibi? At non licet tibi vniuersas pœnas mihi adhibere, quoniam militaris fui. Sed ne existimes, quoniam acquiescam iniquitati tuæ, omnes excogitationes pœnarum in me comple. Præses dixit: Milites semper pro salute Principum dijs sacrificant, vt promereantur dignitatem suam: tu autem, cunctis pessimus, & quod fugisti militiam, propterea parantur tibi maiora tormenta. Tharacus dixit: Quid commoueris frater? Tibi dico, fac quod vis impiè. Præses dixit: Noli putare te semel damnari, sed particulatim te exterminabo, & reliquias tuas bestijs dabo. Tharacus dixit: Fac, quod facturus es citiùs; noli sermonib. promittere. Pręses dixit: Putas quia mulierculæ aliquę corpus tuum habent aromatibus vel vnguētis condire iniquissime? nam de hoc est cogitatio, vt reliquias tuas perdam. Tharacus dixit: Et nunc quę vis corpori meo adhibe, & post mortem, fac quod vis. Præses dixit: Sacrifica priùs. Tharacus dixit:

En barbaricam præsidis mentem.

En quid inuideat martyri.

Stulte, quod neque dijs tuis, neque ignominijs vestris sacrificem, sæpiùs dixi. Maximus dixit: Frangite eius faciem, & concidite labia. Cùm factum esset, Tharacus dixit: Faciem meam exterminasti, sed animam meâ viuificasti. Præses dixit: Miser abesto à vanis cogitationibus tuis: sacrifica vt de angustijs istis possis euadere. Tharacus dixit: Putas me stultum & insensatũ, & quòd in Domino cõfidens non viuã in cęlo; tu ad horam tẽporalem vitam corporis aufers: animam tuam perdis in secula seculorum. Præses dixit: obeliscos incendite, & ad eius * maxillas ponite. Ea patiens Tharacus dixit: Et maiora quam ista si feceris, non cõuertes seruum Dei, vt adoret ignominiam & dæmonia.

*aliàs axillas.

Horrendè cruciatur Tharacus.

Præses dixit: Afferte nouaculam, & abscindatur cutis eius; caput aũt eius radite, & prunas superimponite. Tharacus dixit: Etsi totum corpus meum excoriari iubeas, non recedo à Deo meo, qui me fortem facit, vt sustineã arma militiæ tuæ. His omnib. factis. Præses dixit: Colligite obeliscos & incendite nimis, & sub alis eius ponite. Tharacus patiens dixit: Respiciat Dominus de cælo & iudicet. Præses dixit: Quẽ Dominum vocas maledicte? Tharacus dixit: Quem tu nescis; qui reddit vnicuique secundũ opera sua. Præses dixit: Nonne sic te perdam, & sicut antea prædixi, & reliquias tuas; ne mulierculæ in linteamine corpus tuum inuoluãt, & vnguentis & odoribus adornent? Sed scelestè iubebo te cõburi, & cineres tuos in ventum dispergam. Tharacus dixit: Et antea dixi, & nũc dico, fac quod vis; habes potestatem in hoc seculo. Præses dixit: Recipiatur in custodiam, & ser-

Custodiæ mancipatur Tharacus.

seruetur proximo muneri ab bestias. Alium afferte antè tribunal.

Demetrius Centurio dixit: Præsto est, Domine, Probus. Præses dixit: Consule tibi, ne in præteritas pœnas irruas. Probe: nã ante te qui voluerunt permanere in duritia sua, posteà pœnituit eos. Et tu nunc sacrifica, vt à nobis honoreris, & à dijs; accede, sacrifica. Probus dixit: Sensus noster vnus est; vnicordes Deo seruimus: noli putare à nobis aliud audire; nam audisti & vidisti; quia non vales cõuertere nos. Præsto sum tibi hodiè, contemnens comminationem tuam. Ergò, quid exspectas? Præses dixit: Consuluistis inuicem in malis vestris Deũ negare. Cingite eum, & pedes sursum suspendite. Probus dixit: Non quiescis pro dæmonijs agonizare. Maximus Præses dixit: Credite mihi antequam patiaris; consule corpori tuo: vides enim quæ tibi parentur mala. Probus dixit: Omnia quæ mihi facta fuerint, in consolationem animæ erunt: ideò fac quod vis. Præses dixit: Ignite obeliscos, & in lateribus ponite, vt stultus non sit. Probus dixit: Quò magis tibi stultus videor, eò sapientior ero in lege Domini. Post hæc addidit Præses: Ignitos obeliscos in dorsum eius infigite. Cum pateretur Probus dixit: Subiectũ est tibi corpus meũ: Videat Dominus de cęlo humilitatẽ & sustinentiã meam.

Tertium S. Probi certamen.

Subijcitur varijs tormentis Probus.

Post hæc præcepit Præses afferri carnes immolatas, & vinũ sacrificij & ait: Infundite illi vinũ, & carnes de ara mittite in os eius. Cùm hæc agerentur dixit Probus: Videat Dominus & adspiciat de altissimis sedibus suis vim, & iudicet iudicium meum. Præses dixit: Multa

En vt consensum faciat peccatum.

sustinuisti miser, & eccè iam sacrificium accepisti. Probus dixit: Nihil magnum fecisti, vim faciens: Dominus scit voluntatem meam. Præses dixit: Et mãducasti & bibisti. Probus dixit: Scit Dominus & vidit vim quam patior. Præses dixit: Ignitos obeliscos suris imponite. Probus dixit: Neque ignis, neque tormenta, neque pater tuus Satanas potest auertere seruũ Dei à confessione sua. Præses dixit: Clauos acutos vstulate & in manibus eius ponite. Probus dixit: Gratias tibi ago Domine, quoniam & manus meas dignatus es cruciari in nomine tuo. Præses dixit: Multa tormenta vanum te fecerunt. Probus dixit: Multa potestas te non solùm fatuum, sed & cæcum fecit: quod enim facis, nescis. Præses dixit: Debilis toto corpore audes talia in me dicere, quoniã adhuc oculos tuos sanos reliqui: pungite oculos eius, vt non videns, minutatim à lumine isto discedat. Cùm hoc factum esset, Probus dixit: Eccè & oculos corporis mei abstulisti: sed nunquam tibi dabitur vt oculos fidei viuos possis tollere. Præses dixit: Post ista tormenta viuere te speras? aut putas quod sinaris lætus mori? Probus dixit: In hoc pugnans agonizor, vt confessionem bonam & integram perficiam, vt à te occidar sine misericordia. Præses dixit: Tollite & ligate, & seruate eum in custodia, & nemo de sodalibus eius accedat, & magnificet eos ex eo quòd impiè permanserunt. Proximo muneri tradetur.

In custodiã reducitur Probus.

Andronici certamen.

Post hæc Præses dixit. Afferatur mihi Andronicus. Demetrius Centurio dixit: Præstò est domine. Præses dixit: Vel nunc ætati tuæ con-

consule, si prudenti sensu cogitasti, vt pius sis in deos: assentire, sacrifica dijs, vt soluaris. Andronicus dixit: Nunquam id tibi detur tyranne vt extra legem Dei faciam; non solues confessionem meam, quam habeo in Domino: assisto duritiæ tuæ. Præses dixit: Videris furere, & dæmonem habere. Andronicus dixit: Si dæmoniũ haberem consentirem tibi: nunc autem quia Dominum confiteor, dæmoni nõ acquiesco. tu autem dæmon, & cæcus quæ dæmonis sunt operaris. Præses dixit: Si non sic gessero sicut impius, deponam omnem virtutem tuam. Andronicus dixit: Non timeo te, neque iram tuã, assistẽs tibi in nomine Domini mei Iesu Christi. Præses dixit: Ex papyro manipulos facite, & apponite ignem ventri eius. Quod cum fieret, Andronicus dixit: Et si totus arderem, adhuc in me est spiritus, non me vinces peruerse. Præstò est qui me confortat Dominus, cui seruio. Præses dixit: Quousque non acquiescis insensate? quære vt vel in lecto moriaris. Andronicus dixit: Quousque viuo, vinco malitiam tuam. Præses dixit: Incendite obeliscos, & ponite inter digitos eius. Andronicus dixit: Insensate Dei contemptor, omni cogitatione Satanæ plenus es totus: vides corpus meum consumptum à pœnis tuis; putas quòd iam timeam artes tuas? habeo Christum Dei filium in me & contemno te. Præses dixit: Inique; non scis quem inuocas Christum hominem quendam factum, sub custodia Pontij Pilati punitum, cuius extant Acta passionis? Andronicus dixit: Obmutesce; non enim licet tibi de hoc iniquè loqui. Præses dixit: Quod lucrum facis, immanissime,

Egregia animi eius fortitudo.

Diuersis afficitur supplicijs Andronicus.

En Christum crucifixum: gentib. stultitiam.
1. Corinth. 1.

nissime, fidei & spei huius hominis, quem dicis Christum? Andronicus dicit; Lucrum magnum habeo & mercedem: propterea hæc omnia sustineo.

Præses dixit: Aperite os eius, & mittite carnes de ara, & vinũ infundite. Dum hæc agerentur, Andronicus dixit: Domine, Domine, videvim quam patior. Præses dixit: Vsquequò sustines positus in pœnis? eccè gustasti de sacrificio. Andronicus dixit: Pereant oẽs qui colunt idola, tu & Principes tui. Præses dixit: Maledicis Principes, ô malum caput, qui diuturnã & altam pacem præstitere?. Andronicus dixit: Ego execratus sum pestem, & sanguibibulos, qui euertunt mundum: quos Dominus brachio suo potenti cõfundat & perdat. Præses dixit: Mittite ferrum in os eius, & excutite eius dentes & molas: & blasphemam linguam abscindite, vt discat non blasphemare Principes; dentes aũt eius tollite, & linguã comburite: cinerem facite & vbiq; spargite; ne de consortib. huius impij aut ex mulierculis aliqua colligat, & seruet veluti preciosum aliquod, aut sanctum: ipsum autem tollite, & custodite in custodia, vt cũ suis cõsortibus proximo muneri offeratur. *Tertia Interrogatio absoluta est. Hucusque Acta Procõsularia:* Quæ autem *sequuntur de eorũ consummatione, cum in amphitheatrum ducti: & bestijs traditi sunt, addiderunt Macarius, Felix & Verus, Christiani homines; qui interfuerunt spectaculo, & de rebus post hæc gestis epistolam conscripserunt: cuius cum in Codice deesset exordium, narratio tantùm inerat his verbis conscripta.*

Post dira tormenta in carcerem reducitur Andronicus.

Numo-

Numerius Maximus Proconsul Ciliciæ, advocans Terentianũ Sacerdotalem Ciliciæ, iussit ei, sequẽti die munera edenda curare. Mane autem diei sequentis, viri ac mulieres exierunt in amphiteatrum, quod mille passus longè aberat, à ciuitate. Cumq; repletum esset theatrũ, aduenit Maximus videre spectaculũ. Et in prima muneris editione, cùm multæ feræ immissæ essent, multorũ corpora deuorata sunt. Nos cum essemus in abdito, expectantes eramus cũ omni metu: cũ subitò Maximus militibus mandat introduci Christianos martyres, Tharacum, Probum, & Andronicum.

Milites autem angariauerunt homines, qui in humeris portarent martyres; non enim poterant ambulare laceratione pœnarum: quos vidimus in theatrum ferri. Hæc nos videntes, conuertentes capita, lachrymati sumus. Proiecti sunt in medium amphitheatri; factusque est timor omnium, & murmur in Maximum, qui sic iudicasset. Et multi ex illis spectaculum dimisere, obloquentes in Maximum, eiusque ferali sæuitiam. Quod videns Maximus, iussit astantibus sibi militibus eos qui discessissent notare, vt postmodùm illos audiret.

Vltimũ SS. Martyrum certamen in quo feris sunt obiecti.

Iussit intereà feras dimitti in corpora martyrũ; quæ cùm illos non tetigissent, iussit Munerarios cædi: & minans mandat, vt, quam ferocissimam haberent bestiam in cauea, emitterent. Dimissus est vrsus qui tres homines ea die occidisset: & cùm ad Andronicum accessisset, sedens quieuit lingens eius vulnera. Andronicus illum vellicans irritabat, vt cibus illius fieret: sed ille pepercit, mansuetus in omnibus reddi-

Nihil lædunt ur à feris.

Vrsus lingit vulnera Andronici.

redditus. Iratus Præses mãdat lanciarijs vrsum occidi.

Curat Terentianus, timens iram Præsidis, dimitti in martyres leænam, quæ missa fuerat Antiochia ab Herode. Missa in amphiteatrum leæna incussit timorem adstantibus: eò quòd hinc indè discurrens fugam captaret; sed perueniens tandem ad corpora martyrum, accubat genu flexa antè Tharacũ, cum iubarum dimissione venerata: manu sua ille eam attrahebat, vt sic irritata ab ea voraretur. Leæna autem, vt ouis mansueta Tharaco inhærebat. Excitantur clamores in theatro, ob ingentem admirationem: quo Præses confusus & ira excandescens, mandat suis, leænam prouocari: quæ magno rugitu posticum aggreditur. Clamat populus timens magna voce; Leęnæ aperiatur: posticumque destructum est. Maximus indignans vocat ad se Terentianum, iubetq; edi gladiatorum munus, quibus mãdaretur inprimis Christianos martyres gladijs confodi: quod factum est quinto Idus Octobris. Cùm vero Maximus se domum ex amphitheatro recepisset, reliquit decem milites, quibus mandauit, vt corpora martyrum admiscerent cum corporibus extinctorum gladiatorum, vt cognosci non possent.

Leæna veneratur Tharacum.

Occiduntur gladio Martyres.

Hæc cùm vidissemus facere milites; nos appropinquãtes, Dominum rogauimus vt nobis nota fierent corpora martyrum. Et post hæc proximè appropinquantes, vidimus custodes cœnantes, & focum propè habentes propter vigilias noctis; & iterùm fiximus genua, & orauimus Dominum, & Christum eius, vt desi-

derium

derium nostrum impleret, & de cælo auxilium mitteret, & sanctorum corpora nobis ostenderet: & subitò terræmotus factus est, & tonitrua & fulgura, & magna tempestas imbriũ: & nos iterum orauimus, & ad corpora appropinquauimus, & inuenimus focum extinctum, & nullum militum, qui ob tempestatem aufugerant: & ad cælum manus leuauimus, vt dignaretur Dominus reliquias sanctorum martyrum nobis certo signo patefacere.

Et mox tres facellæ, veluti stellæ apparuerunt supra ipsorum corpora: quæ furtim subtraximus, & abiuimus, præcedentibus nos cælestibus illis lucernis; quas nos sequentes, duxerunt in aduersam partem mõtis, & sic recesserunt: ibi ea in caua petra illic reperta posuimus, & aditum magna diligentia clausimus, ne ab inquirente Maximo inuenirentur. Postea redeuntes ad ciuitatem cognoscere quid actũ esset, inuenimus custodes necatos esse à Maximo. Nos autem gratias egimus Domino nostro Iesu Christo, qui viuit in secula seculorum. Ego Macarius, Felix, & Verus hic reliquũ vitæ nostrę tempus facere cupimus, vt hic cum illis quiescere digna sint nostra corpora, & cum illis in cælo perfrui vita æterna. Quos autem cum his ad vos mittimus, suscipite in timore Domini: sunt enim operarij Domini nostri Iesu Christi. Habetote nos in mente Gratia Dei.

Amen.

Corpora martyrum diuinitus ostenduntur.

Vide Tom. 9. Annal. C. Baron.

VITA S. GVMMARI, PRAECLARI Confessoris: Ex ea quam Theobaldus conscripsit. Claruit anno Domini 775. Hadriani Papæ 4. &c.

11. Octob.

**Renensis. Patria eius.*

SANCTVS Gummarus, præclara stirpe, apud Emblehem *Riensis prouinciæ vicum oriundus, ab ipsis incunabilis Deo mancipatus, excellentibus virtutum exordijs vitam adornauit, sanctioribusque semper studijs insistens, sanctissimo fine cursum consummauit. Cùm fragrantissimis bonorum floribus, adulta iã ætate, mirificè exornatus esset, parentes eius summę spei adolescentem ad aulam Pipini Regis, qui tunc regni habenas moderabatur, peduxerunt: à quo peramanter susceptus atq; honorificè, propter spectatam vitæ morumque probitatem, habitus, non multò pòst, magna præfectura honoratus est. Is verò pro sua prudentia non solùm Regi gratus & acceptus, sed etiam cunctis optimatibus eius charus erat: præcipuus nimirum pacis & iustitiæ amator, summusque viduarum & orphanorum patronus; qui ita potentium iniurias à miseris propulsabat, vt tamen insita humilitate omnium sibi animos firmissimo amicitiæ nexu deuinctos seruaret.

Degit in aula Pipini Regis.

Summus viduarum patronus.

Cùm autem hisce virtutibus florens Deo hominibusque eximiè charus esset sanctus cõfessor, Pipinus Rex eum ad honestum splẽdidumque, vt apparebat, cœpit inuitare coniugium; persuasitque viro sanctissimo, ab omni libidinis cupiditate alieno, vt Guuinmariam, fœminam longè à suis moribus discrepantem, duceret,

Ducit vxorem longè sibi dissimilẽ.

ret vxorem. Paruit is Regis consilio, ac voluntati, diuino proculdubio instinctu, vt virtus tribulationis igne probata, tandem aliquãdo perfecta atque omnibus numeris absoluta redderetur. Nam quantũ ille humilitate & misericordia, tantùm illa crudelitate redundabat. Cùm ergo iussu Regis ad necessariam sese expeditionem præparare cogeretur, cura domus suæ totiusq; familiæ ei relicta, sedulò illi mãsuetudinis virtutem commendauit; hortatusq; est vt subditos omni lenitate in officio cõtineret. At illa belluina quadam feritate, post eius discessum, assumpta, cœpit sæuire in suos, boues & iumenta eis auferre, seruitia eorum contemnere, probis insectari, possensiunculas auferre, denique nihil præter paupertatem & laborem, vitamque cum summa miseria coniunctam, relinquere. Cumque nihilominùs absq; vlla clementia tantundem ab illis operis exigeret, quantum anteà consueuerat, illi bobus spoliati, instar iumentorum, colla iugo supponentes, onusta trahebant plaustra, plagas duraque verbera à fœmina immò immani bellua pro mercede reportantes.

Sæuitia vxoris eius in seruos.

Intereà annis * nouem exactis, dimisso à militia exercitu, sanctus quoq; Gummarus ad sua remeauit. Et eccè apud riuulũ, qui dicitur Diepennorch, quendam è seruis plaustrum trahẽtem vidit, eundemque dirè cæsum, toto rasum capite, & dirè lachrymantem. Ad quem vt propiùs accessit, motus pietate; Quis te, inquit, frater, intantùm afflixit? Quis tibi caput rasit? Quænam est lachrymarum & tanti causa mœroris? Cumque ille Dominæ suæ crudelitatem

* *septem.*

Attende misericordem viri Dei animum.

reformidans, rei veritatem explicare non ad-
deret, vir sanctus multis ab eo minis extorsit;
audiensque tantam vxoris suæ sæuitiam, ab i-
mo pectore ducens suspiria, iussit illum secum
reuerti. Nolentem verò præ timore, vi coegit;
dixitque ad omnes qui præsentes erant: Ingres-
sus domum, iubebo mihi potũ adferri. Quòd si
illa potũ vituperauerit, nos eũ cõtra laudemus
vt pudore afficiatur. Indè domum intranti oc-
currit tota familia; eiulant, & clamitant om-
nes, se grauiter cæsos, iniustè spoliatos, mo-
dis omnibus miserabiliter vexatos. Ille hoc
videns, animo sanè conturbato, inquit, ad vx-
orem: Conturbet te Deus, sicut alios perturbo-
sti. Oportebat certè bonum operari ad omnes,
maximè ad domesticos fidei. Siue enim seruus,
siue liber, omnes in Christo vnum sumus. Par-
ce ergò seruis tuis, pone modum sæuitiæ tuæ.
Eademque hora iussit pecus omne è pastu re-
duci, & singulis quod suum erat restitui. Dein-
dè cùm sedisset, quasi sitibundus, potum afferri
præcepit. Et cùm ceruisia allata ab omnibus et
ordine biberetur, fęmina illa more suo nequi-
ter eam vituperabat. Sed sanctus Gummarus,
cæterique qui cum illo venerant, egregiè eam
efferentes, mulierem pudore affectam tacere
compulerunt. Post hæc lautum & copiosum
iussit instrui conuiuium, quo tam seruos, quàm
liberos, splendidè humaniterque excepit; om-
niumq; animos paterna consolatione recrea-
uit, & sic demùm mirificè exhilaratos in do-
mos suas à se dimisit.

Obiurgat vir sanctus vxorem ob eius crudelitatẽ. Galat. 6.

Porrò S. Gummarus toto desiderio cælestib.
inhians, vt fugientem mundũ eiusq; gloriã in-
anem

Vult ire Romam.

nem penitùs excuteret, & vni Deo Regi Regum Christo tota animi virtute deinceps seruiret: statuit cum nonnullis è vicinis suis Romã proficisci: vt ibidẽ spiritalis militiæ arma susciperet, totumq; se ad castra Summi Imperatoris transferret. Accidit aũt primo suscepti itineris die iucundũ sanè nouumque spectaculũ, quod Gummari virtutẽ ac sanctitatem egregiè illustrauit. Cùm enim nõ lõgè à domo sua progressus tentoriũ iuxta fluuium Netam fixisset, arboremq; pulcherrimam fulciendo tentorio necessariam succidi iussisset, mox loci illius possessor adest rusticus, iracundia plenus, frendensque incusat omnes, nulli parcens: versusque ad sanctum Gummarũ multa verborũ asperitate; Cur, inquit, agrum meũ peruasisti? En hic iumenta & tentoria vestra: ita vobis aliena vendicatis, tanquã propria? Omnia depascitis, omnia conculcatis, omnia prosternitis. Quid mihi & tibi Gũmare? Quid mali tibi feci? Neq; te offendi, neque quenquam tuorũ læsi. Quòd si nulla in me culpa hæret, quid ita innocentem conteris? Et vt cætera damna prẹteream, hoc vnum præcipuè doleo, q; arborẽ hanc, quam ipse plantaui, quam tot annis seruaui, succidi voluisti. Respondit placido vultu S. Gummarus: Agnosco peccatum meũ; sed si iniuriã irrogaui, ita vt par est, satisfaciam tibi. Aut præcisam arborem restituã, aut iustum eius precium persoluã: Saltem hac nocte, obsecro, quiesce. Vix multis precibus rustico, vt vsque mane sileret, pacato; Gummarus ad solita orationis arma cõfugiens, iuxta arborem prostratus totam ferè noctem insomnis peregit: surgensque ab ora-

Rusticus quidã multã verborum asperitate eum obiurgat.

Arbor præcisa eius precibus restituitur suo loco illæsa.

tione arborem collegit, eamque zona sua colligauit: quę protinùs (res profectò mira & perpetua celebritate digna) adeò consolidata est, ac si nihil prorsus anteà cęsa fuisset; atque etiãnum eodẽ in loco sana consistens, sola circumligatæ zonæ retinet vestigia in gloriam Dei & laudem serui eius. Manè redrens rusticus, hesterna adhuc ira tumidus, vt à S. Gummaro blãdis verbis & iucundo vultu perductus ad arborem, eam inuiolatã vidit; ingenti admiratione affectus: Profectò, inquit, virtus Dei hæc est. Non enim humani operis est, vt arbor succisa, exiguæ noctis spatio in pristinum consurgat statum: Arbor hęc, quam hoc miraculo tibi dedicasti, deinceps mea non erit. Hanc ego tibi do, & quidquid hoc in loco mihi hæreditarii est, eius ego te volo perpetuum & stabilem esse possessorem. Ab illa igitur die firma & stabilis inter illos inita est amicitia, & post mutua osculą & amplexus pacificè discesserunt.

Idem rusticus arborem & agrum seruo Dei dat possidendam.

Cæterùm eadem nocte, quæ prima fuit itineris eius, quiescenti in tentorio suo apparuit Angelus Domini in specie columbæ, aitq; ad eum: O Gummare, esto vigil. Eccę enim ego adsum tibi missus à Deo nũcius, eius tibi mandata aperiẽs. Disposuisti quidem Romam pergere, Apostolorum Petri & Pauli visitaturus limina; sed Deus qui vbique præsens est, & cuius oculi quouis in loco & bonos & malos cõtẽplantur, mandat vt in loco haud procul hinc posito, circumfluente amne concluso, arboribusque consito, oratorium cõstruas: ibidemq; gratissimam Deo seruitutem exhibeas. Hic tibi viuenti sedes; hic defuncto requies erit.

Prohibetur ab Angelo. Romam ire ad sublimiora inuitatur.

Hac

Hac visione rutilantis mirabili splẽdore columbæ vir sanctus excitatus, ilicò, gratijs Deo, vt par erat, actis, flumen transmisit, locumque ingressus arboreś & frutices extirpauit, & ouiũ ac ferarum lustra in commodissima hominum domicilia permutauit, & Ecclesiam in honorem S. Petri condidit; ibidemque orationibus & rerum diuinarum meditationib. sedulò vacans cælestem in terris agebat vitam: atque interim ad villam suam Emblehem subindè commeans, (quæ paruo indè aberat interuallo) charitatis officia ergà pauperes & miseros egregiè exercebat; nudis vestimenta, fame sitique laborantibus cibum potumque præbebat; curam ægrotorum gerebat indefessam; peregrinos hospitio excipiebat; pupillos & viduas patrocinio suo protegebat: denique sanctis operibus strenuè viriliterque insistens Dei & hominum gratiam promerebat.

Condit ecclesiam in honorem S. Petri.

Actiuæ & contẽplatiuæ vitæ vicissim dat operam.

Cæterùm vxor eius, immiti planè & fero ingenio mulier, nihil de sua in seruos remittebat sęuitia: spretisq; pij coniungis monitis, delassatos quotidie famulos minis verberibusq; ad opera vrgebat. Cumq; die quodã, æstu solis feruẽtissimo miseros agricolas vehementer affligente, truculenta mulier eos vehemẽtiùs affligeret, vrgeretq; vt operi sinè intermissione, siti propemodũ confecti, instarent; atq; illi infimis precib. à crudeli fœmina breue aliquod refrigeriũ precarentur, nihilq; obtinerent; accidit vt Gummarus messem lustraturus superueniret. Cui protinùs agricolæ lachrymabundi ad pedes procidẽtes, intollerabilem vxoris sæuitiam exposuerunt; ab eoque aquæ haustũ

Vxor eius immitis & fera bellua.

pro refocillatione postularũt. Ille supplicum precibus lachrymisque commotus, increpita duriusculè vxore: O ferreum, inquit, pectus & peruersa mens, cur non flecteris misericordia? Recede hinc inuisa Deo, hominib. odiosa; Illa verò mox recedẽte, vir sanctus baculo terram fodit, aquasque largissimas scaturire fecit; quarum & haustu & miraculo refecti sunt. Manet etiamnum fons ille ibidem, vt sit perenne preclaræ virtutis testimonium.

Fodit baculo terram & fons erũpit.

Porrò vxor beati viri domum regressa, mox nimio ardore periclitari cœpit. Vltrix enim impietatis eius sitis eam vexabat, quæ paulò antè familiam sitientem refocillari nõ permiserat: & iusto Dei iudicio, cruciatũ intolerandæ sitis sustinuit, quæ in alijs per cõmiserationẽ sitis calamitatem sentire noluit. Cùm verò ardor ille nulla aqua extingui posset, iamque mortem sibi imminere cerneret, per nuncium Gummari clementiam deprecata est. Ille autẽ pro insita mansuetudine, misericordia motus, confestim domum properauit, eamque propemodum animam agentem, signo sanctę Crucis consignauit, potumque sua manu porrexit: quo hausto corporis quidem sanitatem recepit, sed animum tamen in melius non mutauit.

Vxor eius diuinitus castigatur.

Signo Crucis sanat Coniugem moribundam.

Cùm alio quodam tẽpore familia eius apud Lenchen in agro feria secũda meteret, infantulus quidã pannis inuolutus à matre in manipulũ est depositus. Illa interim de puero secura, indè ad laborẽ recessit: sed mox infãtis dormientis os inuasit coluber, seseq; volutãdo, in vẽtrẽ irrepsit. Superuenit fortè S. Gummarus, qui visa colubri cauda ab ore infantis extãte, sanè exhor-

exhorruit, ac protinùs perfossa cauda, serpentem extraxit; eoque ad virgam suspenso, familiam conuocauit: suisque, misericordia motus, eam legem præfixit, vt quæcunque mulier lactentem haberet paruulum, secundis ferijs ab omni seruitio immunis esset.

Extrahit serpentem ab ore infantis.

Eodem tempore S. Rumoldus mirifica sanctitatis fama florebat, ac summo videdi Gummarum desiderio inflammatus (multa namque de sanctissimi viri præstantibus virtutibus meritisque audierat) tandem non sinè magna animi voluptate eum conuenit, & sermonem de rebus diuinis familiariter instituit. Cumque duo illa clarissima eius prouinciæ luminaria, multa inter se de dæmonum insidijs, de armis cælestibus nobis collatis, de reproborum supplicijs, & præmijs iustorum; de vitæ huius breuitate ærumnis plena, & certaminibus electis omnibus necessariò subeundis suauissimè conferrent; alter alterius sermone adeò recreatus fuit; vt recessuri diem locumque constituerēt, ad quem rursus pariter conuenirent: mutuisq; sermonibus & sacræ scripturæ ferculis sese reficerent. Loco nomen erat Stadeki; in quo, die condicto, sibi occurrerunt, aridam vtriq; manu gestantes virgam; quas simulac proiecerūt, illę in vicinę quercûs trunco consistentes, momento viruerunt, floresque & folia protulerunt. Hoc tam euidenti signo diuinitus edocti, eorum conuentum haud dubiè Deo placere; constituerunt vt annis singulis cum totius populi frequentia Missarum ibidem solennia celebrarent: & non suos tantùm, sed & aliorum omnium animos suauissimo diui-

S. Rumoldus, Mechliniensium Apostolus: cuius vitam habes Tom. 3. Iulij. 1. Colloquia Rumoldi & Gummari.

Virgæ aridæ repentè vi. rescunt.

diuinorum eloquiorum fluento rigarent.

S. Gummarus abijt in cælos.

Tandem succedente tempore vir diuinus infirma valetudine fatigari cæptus, in morbum incidit lethalem, cursumque vitæ mortalis in villa sua, cum certissima æternæ salutis spe lætabundus absoluit, quinto Idus Octobris. Cuius ad exequias cum amici & cognati frequentes conuenissent, vt sanctas reliquias in eadem villa conderent, diuinitùs ab eo officio cessare sunt moniti. Dormiẽti namque Vurachildi sanctimoniali in oratorio S. Petri, quod S. Gummarus ædificârat, cælesti oraculo dictum est, vt reliquias beati viri in eius Ecclesiam trãsferri curaret. Illa verò semel iterumque oraculum neglexit, verita se apud neminem visionis suæ fidem inuenturam; cùm eccè tertia nocte visus est adesse Gummarus; qui negligentiam increpitans, dexteram suam super eius faciem imposuit: vt manifesto signo omnibus certissimæ visionis fidem faceret. Attactu namque manûs eius, caro in candorem mutata est, & digitorum impressa retinuit vestigia.

Visio Vurachildis sanctimonialis.

Manè igitur illa rem totam presbytero, & alijs qui aderãt, indicat, ac signi euidẽtia egregiè comprobat. Itaque, omni mora postposita, ad monumentũ venere, eoq; aperto custos pecorum S. Gummari, qui suam quoque operam extruendæ eius Ecclesiæ nauârat, reliquias eleuauit (cæteris, quod mirum videri decet, nulla vi, aut arte id præstare valentibus) & ad amnem vsque, vbi parata erat nauicula, deportauit. Quibus deindè cymbæ impositis, illa sinè vllo remige vel nauclero, cursu velocissimo, non

Miraculum.

non sinè ingenti miraculo, ad villam contendit, ibique substitit. Fuit tum beati viri corpus cum multa reuerentia in eius ecclesia humatũ, vbi annis quadraginta quieuit. Postquam verò monasterium, quod ibi adhuc cernitur, constructum est, fuit in illo honorificè repositum: vbi multis admodum clarum miraculis in hodiernum vsque diem refulget.

Translatio S. corporis eius miraculis celebris.

VITA B. BRVNONIS ARCHIEPISCOPI Coloniensis: Ex ea quæ est per Rothgerum Benedictinum. Excessit ex humanis Anno Christi 965. Benedicti 5. Papæ 1. Ottonis verò Imp. 4.*

** Rotgerum & Rogeriũ. Vide Tom. 10. Annal. C. Baron.*

HOMO homini quantum præstet, nuper à pluribus in venerabili Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopo Brunone compertum est. Is enim cum quatuor admodum annorum puer literarũ studijs imbuendus Baldrico Traiectensi Episcopo missus esset, inuisa Nortmannorum tyrannis, quasi per huiusmodi obsidem nonnihil refriguit, & ecclesiæ demùm, cæteraque ædificia, quorum ruinæ vix extiterant, hac occasione restauratæ sunt. Itaque cũ bonæ indolis puer ingenio sagaci Traiecti eximiè proficeret, per ipsum, licet adhuc inscium, iam Christianus populus ab hostibus liber in Dei laudibus exultabat.

11. Octob.

A quo in pueritia institutus.

Postquam verò pater eius Hericus Rex gloriosus, fundato & ad vnguem pacato Imperio, reb. cõcessit humanis, & Ottho filius eius natu maior, magna voluntate & consensu principũ,

Hericus Rex eius pater.

regni

Quo tempore floruerit S. Bruno obserua hic.

regni gubernacula suscepit, anno Incarnati Verbi nongentesimo tricesimo septimo, germanum suum Brunonem Deo dicatum adhuc adolescentulum è scolis honorabiliter, vt par erat, in regiam euocauit, vbi artium liberalium disciplinas exactissime complexus est: ita tamen die noctéque studijs intentus, vt millies tamen per dies calamitosis patrocinari, afflictis consulere, opemque ferre miseris cogeretur. Quæ omnia ita administrabat, vt præcipua eruditionis laude celebris refugium egenis omnibus factus videretur. Lucubrationibus inueniendis intentissimus, in diuinis quæcunque sunt honestissima, accuratissimus fuit. Latialé eloquentiam non in se solum, vbi excelluit, sed & in multis alijs politam reddidit & illustrem. Nullo autem hoc supercilio, sed tum domestico lepore, tum vrbana grauitate agebat. Temporis, rei omnium preciosissimę, summus estimator, matutinum antè omnia crepusculum, nullo vendebat pretio. Quocunque regalia circumagebantur castra, suā ipse bibliothecam, sicut arcam Dominicam circumducebat, quouis tempore & loco sapientiæ & sciētiæ incrementa captans. Rumores vulgi pro nihilo ducens, non ea quæ ante pedes modò, sed quæ futura erant sagaci mentis iudicio attendebat. Hinc cum inter fratrem suum Henricum, & Cunonem in affinitatem regiam assumptum, nimiam colloquij familiaritatem, & maximè Missarum tempore, cerneret; præfago spiritu fertur dixisse: O, in quantam inimicitiarum amaritudinem ista in hoc tempore tremendo malè parta contubernia resoluentur

Insignis eius eruditio, pietas & eloquentia.

Temporis summam habet rationē.

Prudentia eius.

Tremendum tempus dicit auctor.

uentur. Euentus rei, non multò pòst dictis fidem fecit.

historiæ cum fit Missæ sacrificium, sicut & Chrysostomus & alij Patres.

Prima dispēsatio credita est illi adhuc adolescenti in quibusdam monasterijs, in quibus fluxos multorum mores sanctiore disciplina restrinxit: ipsaque post paululum Deo sacrata loca, annuente regia liberalitate, priuilegijs & immunitatibus pristinis reformauit: in quibus exstat Loresham, locus Regum munificentia nobilis, & tanta viri memoria etiamnum celebris. Deindè verò cùm de virtute in virtutem gigantæis, vt ita dicam, passibus iret, & VVicfridus Coloniensis ecclesiæ pastor è vita excederet, Bruno licet iuuenili corpore, moribus tamen maturus, ad illud dignitatis fastigiū à Clero populoque communibus fuit euectus suffragijs. Quo gradu in Ecclesia Dei sublimatus, antè omnia de religionis & diuini cultûs profectu solicitus, instituit, vt morum inæqualitas, vestium superfluitas & quidquid denique effœminatum aut indecens in eius Ecclesia videbatur, spirituali circuncisione abscinderetur; quò sic demum distracti studia in contraria multorum animi, vitę morumque similitudine vnirentur.

Monasterium Loresham.

Eligitur Bruno in Coloniensem Archiepiscopum.

Eodem tempore Imperio quoque multis seditionibus & bellorum tempestatibus miserè agitato, apud Lotharicos regni negocia suscipere est coactus: quæ pro eximia sua prudentia ac mansuetudine ita composuit, vt absq; bello & humana pernicie, maxima sæpè pericula sedarentur. Hæc autem omnia tanta animi sui tranquillitate peragebat, vt & frequenter de maximis quibusque rebus, quasi curarum instan-

Compescit bellorum tumultus sua prudētia.

Animus egregiè compositus.

instantium nescius, disputaret. Porrò inconstãtes & temerarios aduersariorum motus ita redarguebat, vt quos nulla vnquam acies, nulla asperitas inflectere potuerat, huius viri pietas imbelles timidosque redderet. Consilio namque & bonorum hominum fortitudine, nõ sæuitia, armatus, hostiles acies non ad pernicie, sed ad salutem perducebat.

Recipit à summo Pontifice pallium & reliquias S. Pantaleonis.

Interim meliorum ardens æmulator charismatum Bruno, vt Sedis suæ dignitatem Romanæ & Apostolicæ benedictionis priuilegio muniret, Hadamarum Fuldensis monasterij Abbatem, Romam ad Agapetum Papam direxit legatum: qui pio Pastori non pallium modo sacrum, sed & sacratissimas S. Pantaleonis attulit reliquias: quas sanctus Antistes venerabundus magno cùm gaudio excipiens, in suburbio, vbi ecclesia eidem Martyri sacra, sed inculta & ruinæ proxima erat deposuit: locumque Deo sacratum & ab vrbanæ inquietudinis molestia remotum, religiosis fratribus monastica disciplina ornatissimis, instruxit: ijsdemque Abbatem Christianum nomine præfecit; qui eam sacri muneris dignitatem ex præscripto eiusdem Præsulis cum laude administrauit.

Restaurat collapsum planè monasterium S. Pantaleonis.

En pium pectus tanti viri.

Cæterum Sanctissimus Præsul licet omni pompa circumfluus, in medijs ciuilium negociorũ occupationibus assiduò versaretur, mente tamen & cogitatione, religioni & lectioni ita assiduò intentus erat, vt nihil aliud quàm corporis sui dissolutionem ac cæleste regnum desiderare videbatur. Hinc continui ferè lachrymarum riuuli ab oculis manantes, hinc

assidua

assidua suspiria, hinc furtiuæ orationes & singultus in ipso etiam lecto clariùs perstrepentes: quę omnia, quanto ardore ad cælestē illam patriam aspiraret, satis vtique superq; testabātur. Inter conuiuas frequenter lætissimos lætior ipse, in summa cibi potusque parcitate, cælestibus se epulis reficiebat. Apud mites & humiles nemo illo humilior, apud elatos & improbos nemo vehementior fuit.

Multa cōdit.

Multis in locis sacra cælestis philosophiæ domicilia, quædam à fundamentis erexit, quædam verò prius fundata auxit & amplificauit; quædam vetustate collapsa dirutaque reparauit: eaque sanctorū corporibus atque reliquijs vndecunq; collectis egregie exornauit. Iā verò in prædicatione verbi Dei & in subtilitate disputationū de synceritate scripturarū, qualis quantusq; fuerit quis enarrare sufficiat? Pastor siquidē sollicitus & verè dux populi Dei salutē omniū & vtilitatē quærebat: & quos ipse in via Dei duxit & docuit, nè à peruersis seducerētur, & in errorē mitterētur strenuè decertabat. Sed hisce tā præclaris summæ pietatis ac religionis studijs ardēter intētū, mors, vt videtur, immatura præoccupauit. Vix annum ętatis suę 40. excesserat, cū, expleto in Episcopali munere anno vndecimo* Cōpendium adire cogitur; vt ibidē dissidētes ab inuicem nepotes suos ad veram animorum concordiam reuocaret. Eo pietatis officio occupatus, in Rhemēsi ciuitate graui cæpit corporis ęgritudine cōflictari; quademū oppressus (cunctis prius in vtroque statuerit è dispositis) inter psallētium & lachrymantiū choros spiritum exhalauit: cuius sacratissimum

Egregium fuit conciōnator.

Veri pastoris officium.

** Nomen loci in Gallia.*

Fœliciter decedit.

Sepelitur in monasterio S. Pantaleonis.

simum corpus octauo ab obitu die Coloniam sedis eius metropolim delatum est, & in B. Pantaleonis, ab eo, vt diximus, constructa honorificè sepultum: atq; hoc epitaphio decoratum.

EPITAPHIVM S. BRVNONIS Archiepiscopi Coloniensis.

Fundite corda preces, lachrymosas mittite voces:
Eccè Pater Patriæ conditus in silice.
Regia progenies, terras memoranda per omnes
Bruno pacificus: vir bonus atq; pius.
Archos Antistes; cui clara Colonia sedes:
Visus erat cunctis charus vbiq; bonis.
Offendit tenebras lux viuacissima tetras;
Inuida lingua tacet: laus modò vera placet.
Non fuit hic mundus tam raro munere dignus:
Raptus ab hoc nævo, iam fruitur Domino.
Idus Octobris quinto præsul duodenus,
Vitæ concessit: spes comes alma fuit.

Vide Tom. 8. Annal. C. Baron.

VITA S. VVILFRIDI ARCHIEPIscopi Eboracensis: ex historia Ecclesiasticagentis Anglorum Bedæ Presbyteri. Migrauit è corpore Anno salutis 709. Constantini Papæ 2. cum sedisset annos 45.

12. Octob.

Patria & parentes eius.

BVVilfridus Natione Anglus Regia prosapia illustris, in ipsa pueritia egregiũ futuræ sanctitatis dedit specimen: siquidem cum esset bonæ indolis ætatem moribus transiens, adeò se modestè & circumspecte in omnibus gerebat, vt à maioribus quasi vnus ex ipsis amaretur & veneraretur. Cùm verò quat-

quartumdecimum ætatis attigisset annum monasticum institutum relictis curis secularibus suscipere cogitabat. Quod vbi patri suo narrauit (iam enim mater obierat) libēter eius votis ac desiderijs cælestibus annuit. Perrexit igitur pius adolescēs ad Insulā Lindisfarnensem consilio & suffragijs Reginæ Eanfledæ suffultus, ibique monachorum famulatui se contradens, sedulò ea quæ monasticæ castitatis ac pietatis erant, & discere curabat & agere. Porrò vt erat præclarij ingenij, addidicit breui tēpore Psalmos, & aliquot codices: virtutibus interim humilitatis & obedientiæ in tantum studens, vt à senioribus & coætaneis suis iusto coleretur affectu.

Afficitur ad institutum monasticum.

Et quidem cum in eo monasterio aliquot annos Christo piè militasset, animaduertit minimè perfectam esse virtutis viam, quæ à Scotis ibidem commorantibus tradebatur: statuitque Romam proficisci, & qui ibi ritus Ecclesiastici siuè monasteriales seruarentur videre. Quod cum fratribus referret, laudauerunt eius propositum (necdum enim erat attonsus) eumque animi sui conceptum perficere suadebant. Igitur protinus Reginam Eanfledam adiens, indicauit ei desiderium sibi inesse beatorum Apostolorum limina visitandi. Quæ plurimùm delectata pio adolescentis affectu, misit eum in Cantiam ad Regem Erconbertum, qui erat filius auunculi sui, postulans vt eum honorificè Romam transmitteret: vbi cum aliquandiu demoratus, diligenter his, quæ inspiciebat, discēdis operam daret, superuenit eò alius adolescens Anglus quoque clarus genere, cupiens &

Scoti in quibusdam ecclesiæ ritib. errabant: præsertim in tempore Paschalis celebrationis.

Iter Romam versus ingreditur.

ipse Romam proficisci: Biscop benedictus nũcupatus. Huius ergò comitatui Rex sociauit VVilfridum: vtque illum secũ Romam perduceret iussit. Qui cum Lugdunum peruenissent, Dalfinus eius ciuitatis Antistes, Benedicto dimisso, VVilfridum ibi retinuit. Delectabatur siquidem prudentia verborum iuuenis, gratia venusti vultûs eius, alacritate actionis, & constantia ac maturitate cogitationis vndè & necessaria quæcunque abundanter ipsi cum socijs suis tempore quo secum erãt subministrabat: offerebat insuper illi partem Galliarum non minimam regendam quin & filiam fratris sui virginem in coniugem: eumque loco adoptiui habere optabat. Verum ille gratias agens pietati, quam erga eum cum esset peregrinus, habere dignaretur, respondit, propositum se magis alterius conuersationis habere, atque ideò patria relicta, Romam iter agere cæpisse. Quibus auditis, pius præsul dimisit eum in pace; dato duce itineris, largoque admodum viatico: obsecrans sedulò vt in reditu ad patriam, per se iter facere meminisset.

Detinetur Lugduni ab Antistite Dalfino.

Magni eum facit.

Tandem dimittit.

Veniens autem VVilfridus Romam, & orationibus ac meditationi rerum ecclesiasticarum, vt animo proposuerat quotidiana mancipatus instãtia, peruenit ad amicitiam viri sanctissimi ac doctissimi Bonifacij Archidiaconi & consiliarij Pontificis maximi. Cuius magisterio quatuor Euangeliorum libros ex ordine didicit; computum Paschæ rationabilem, & alia multa quæ in patria nequiuerat, Ecclesiasticis disciplinis accommoda, eodem instru-

Peruenit Romam.

Multa ibidẽ discit.

instructore percepit. Et cum menses aliquot ibi studijs occupatus felicibus exegisset, redijt ad Dalfinum in Galliam, & tres annos apud ipsum commoratus, attonsus est ab eo, & in tãto habitus amore, vt hęredem sibi illum facere cogitaret. Verum idem Antistes à Brunechilda Regina nò multo post iussus est crudeliter obtrũcari. Reuersus itaque in Britanniã VVilfridus, cõiunctus est amicitijs Aldfridi Regis: qui Catholicas Ecclesiæ regulas sequi semper & amare didicerat. Vndè & illi Rex, quia Catholicum eũ esse cõperit, egregia dona cõtulit. Desiderãs igitur Rex vt vir tãtæ eruditionis ac religiõis, sibi specialiter indiuiduo comitatu sacerdos esset ac doctor, curauit eum ordinari presbyterũ; ac paulo post in Galliã missum, ab Agilberto Episcopo Parisiensi Antistitem consecrari: erat tunc VVilfridus annorum plus minus triginta. Contigit autem inter hæc sedem Eboracensem Pontifice suo priuari: Reuersus itaque VVilfridus ex transmarinis partibus, eius sedis ac totius Nordam Humbrorum prouinciæ Episcopatum suscipere cogitur.

In reditu diuertit ad Dalfinum: & ab eo tonãdetur.

De tyrãnide istius Reginæ & miserando eius interitu Vide Tom. 8. Annal. C. Baron.

VVilfridus ordinatur sacerdos & consecratur Episcopus Eboracensis.

Porrò ea dignitate iam sublimatus, strenuũ sese exhibuit in vinea Domini Operatorem: perplura siquidem Catholicæ obseruationis moderamina Ecclesijs Anglorum sua doctrina contulit. Vndè factum est, vt crescente indies institutione Catholica, Scoti omnes qui inter Anglos morabantur, aut his manus darent, aut suam redirent ad patriam. At his tam felicibus successibus satan inuidus, excitauit dissensionem (incertum qua de caussa) inter

Qualis in Episcopatu.

Iniustè pellitur sede sua.

Regem Ecgfridum & S. hunc Antistitem VVilfridum: qui eum impiè a sede Episcopatûs sui expulit. Præsul verò vt erat iniuriarum patiens, iræ Regiæ pro tempore locum dedit: Romam attamen ire & corã Christi vicario, Pontifice maximo causam dicere interim statuit. Nauẽ verò cum conscendisset flante Fauonio pulsus est in Frisiam, at honorificè susceptus à barbaris ac Rege illorũ Aldigisio, prædicabat eis Christũ: & multa eorũ millia verbo veritatis instituẽs, à peccatorũ suorum maculis sacri Baptismatis vnda abluit: & quod postmodum S. VVillebrordus magna deuotione cõplenit, ipse primus ibi opus Euangelicũ cepit. Cũque hyemem eximio cum fructu ibidem exegisset, iter Romam versus repetijt. Vbi postquam causa eius ventilata est præsente Agathone Papa, & pluribus Episcopis ac de fide sua simul & prouinciæ suæ inquisito facta, vniuersorum iudicio absque crimine accusatus fuisse Catholicus omninò cum suis & Episcopatu planè dignus inuentus est.

Multos in Frisia cõuertit ad Christi fidem.

S. VVillebrordi vita habetur 7. Nouemb.

VVilfridus Romæ declaratus innocens.

Apostolica igitur benedictione munitus, in Britanniam reuersus, cum propter Regis inimicitias in sedem suam recipi non posset, diuertens ad prouinciam Australium Saxonum, eo adhuc tempore paganismo deditam, huic verbum fidei & lauacrum salutis ministrabat: id concedente, immò indè multum gaudente eorum Rege Ediluuach, non multo antè baptizato in prouinciam Merciorum. Succedente itaque tempore integram illam prouinciam ab idololatriæ ritibus ad fidem Christi conuertit: in loco Seoleseu latinè, Insula

Conuertit Saxones in Anglia.

Insula vituli marini, à Rege Ediluuach sibi donato præclarum fundauit monasterium, ac regulari vita instituit, maximè ex his quos secum adduxerat fratribus. Sicque haud solum sanctus hic præsul gentem illam ab ærumna perpetuæ damnationis, verùm & à clade temporalis interitûs eripuit. Siquidem cùm antè aduentum ipsius, trienni siccitate afflictati, dira fame opprimerentur ac innumeri interirent, ipso die quo baptisma suscipere cepere, descendit pluuia serena & copiosa, refloruit terra, redijtque viridantibus aruis annus lętus & frugifer. Vectę quoq; Insulę verbi ministros destinauit: Atq; sic demûm vberrima spiritali ditatus messe ad sedem suam reuocatus Episcopatum suum cepit. Verùm vt nihil est in hoc mundo stabile, quinquennio post denuò accusatus, iterum præsulatu pulsus est. Cogiturque reiterare profectionem Romam versùs; ibidem verò cum pręsentibus accusatoribus accepisset locum sese defendēdi, tam egregiè causam suam tutatus est, consedentibus coram Episcopis pluribus, cum summo Pontifice * Iohanne, vt omnium iudicio probatum sit accusatores eius nonnulla in parte falsas contrà eum esse machinatos calumnias: scriptumque est à præfato Papa Regibus Anglorum Edelredo & Alfrido, vt eum in Episcopatum suum, vndè iniustè eiectus erat, facerent recipi. Iuuit autem plurimùm causam huius absolutionis eius, lectio præcedentis sub Papa Agathone impertitæ.

Condit monasterium in Seolesu.

Restituitur sedi suæ.

Iterùm priuatur præsulatu.

** eius nominis septimo.*

Rursus Romæ declaratus innocens.

Dimissus itaque S. VVilfridus magno cum

In Gallijs grauissimè infirmatur. S. VVilfridus.

honore, cum ad Britanniam tendens in Galliarum partes deuenisset, tactus est infirmitate repentina, & ea crescente adeò pressus, vt equo vehi non posset, sed manibus ministrorum portaretur in grabato. Sic delatus in ciuitatem Meldum Galliæ, quatriduo quasi mortuus iacebat; habitu tantum pertenui, quia viueret demonstrans. Cumque ita sinè cibu & potu, sine voce & auditu perseueraret, quinta demum illucescente die,

Ecstasin patitur.

quasi de graui expergefactus somno exurgens resedit: apertisque oculis videns circà se choros psallentium simul & flentium fratrũ, modicum suspirans interrogauit vbi esset Acca

Convalescit.

presbyter; qui statim vocatus intrauit: & videns eum melius habentem, ac loqui iam valentem, flexis genibus gratias egit Deo cum omnibus qui aderant fratribus. Et cum parùm cõsedissent, ac de supernis iudicijs trepidi aliquantum differere cepissent, iussit Põtifex cæteros ad horã egredi; & ad Accã presbyterũ ita loqui exorsus est:

Mira visio ei oblata.

Visio mihi modò tremenda apparuit; quã te audire ac silẽtio tegere volo: donec sciã quid de me fieri velit Deus. Adstitit.n. mihi quidã cãdido præclarus habitu, dicẽs se esse Michaelẽ Archangelũ, & ob hoc, inquit, missus sum, vt te à morte reuocem.

En quid valeant orationes confratrum.

Donauit enim tibi Dominus vitã per orationes ac lachrymas discipulorũ & fratrum tuorum & per intercessionẽ suæ beatæ genitricis semperque virginis Mariæ. Quapropter dico tibi, quia modo quidẽ ab infirmitate hac sanaberis sed paratus esto: quia post quadrienniũ reuertens visitabo te. In patriam verò perueniens

maxi-

maximam possessionum tuarum, quæ tibi ablatæ sunt, portionem recipies : atque in pace tranquilla vitam terminabis.

Conualuit igitur sacer Antistes cunctis cõgratulantibus & Deo gratias agentibus, ceptoque itinere in Britanniam venit. Lectis autem literis quas ab Apostolico Papa adduxerat, Bertuualdus Archiepiscopus & Edilredus quondam Rex, tunc autem pro Christo abdicato Regno factus Abbas, libentissimè fauerunt. Sed enim Edilredus accitum ad se Coenredum, cui Regnum suum cõtradiderat, amicum Episcopo fieri petijt & impetrauit: verùm Aldfridus Nordanhumbrorum Rex eum suscipere contempsit : qui nec longo post tempore super vixit. Eo itaque vita functo & Regnante filio eius Osredo, mox synodo facta iuxtà fluuium Nidd, post aliquantã vtriusque partis concertationem, tandem cunctis fauentibus in præsulatu suæ receptus est Ecclesiæ. Post quæ quadriennio vita in pace trãscursa sanctus Præsul feliciter obijt in monasterio suo, quod habebat in prouincia * vndalum, sub regimine Cudbaldi Abbatis: indè verò ministerio fratrum perlatus in primum suũ monasteriũ à Rege Aldfrido ipsi donatũ quod dicitur * Inthypum, multis funus honestantium lachrymis, honorificè admodum humatus est in Ecclesia Beati Apostoli Petri quã ibidẽ ædificarat: atq; hoc insigni Epitaphio decorat.

Iterum restituitur sedi suæ.

Felicissimè obit.

** Fundalum.*

** Hripum.*

Locus sepulturæ eius.

Epitaphium eius.

VVilfrid hic magnus requiescit corpore præsul;
Hanc Domino qui aulam, ductus pietatis amore,
Fecit: & eximio sacrauit nomine Petri.

A Edificauit ecclesiam B. Petri Apostoli.

Cui claues cæli Christus dedit arbiter orbis:
Atque auro ac Tyrio deuotus vestijt ostro.
Quinetiam sublime crucis radiante metallo
Hîc posuit tropheum: nec non & quatuor auro
Scribi Euangelij præcepit in ordine libros:
Ac thecam è rutilo his condignam condidit auro.

Quid eidem contulerit.

Paschalis qui etiam solennia tempora cursûs,
Catholici ad iustum correxit dogma Canonis,
Quem statuêre Patres: dubioq; errore remoto,
Certa suæ, genti ostendit moderamina ritûs.

Quæ correxit, & alia quæ fecit.

Inq; locis istis monachorum examina crebra
Colligit: ac monitis, cauit quæ regula Patrum
Sedulus instituit: multisq; domiq; foriscq;,
Iactatus nimium per tempora longa periclis,
Quindecies ternes postquam egit Episcopus annos.

Quanta passus.

Transiit, & gaudens cælestia regna petiuit.

Tempus obitûs eius.

Dona Iheſu vt grex pastoris calle sequatur.

Oratio.

MARTYRIVM SEPTEM FRANCISCANORVM: Danielis, Samuelis, Angeli, Domini Leonis, Nicolai & Hugolini à Saracenis occisorum anno 1221. Ex eo quod est apud Vnab. Pat. Laur. Sur.

Vide Notat. C. Baron. ad Martyr Roman.

13. Octob. FRATER Daniel Minister prouinciæ Calabriæ, vir admiranda sanctitate & martyrio illustris, cùm sex fratribus, impetrata facultate ab Elia generali Ministro beatissimi Patris Francisci Vicario, è Tuscia in regionem Saracenorum Christi prædicaturus Eangelium profectus est. Cumque ad vrbem Septam

Proficiscuntur ad Saracenos.

Septam prospero itinere peruenissent, triduo apud Pisanos mercatores, Genuenses & Massilienses strenuam diuini verbi operam nauârunt, in vico extra vrbem Christianis mercatoribus assignato: vbi & sese inuicem mutuis sermonibus corroborârunt, ac sacrosanctis Confessionis & Eucharistiæ sacramentis ad rem præclarè gerendam muniêrunt. Vesperi autem lotis sibi inuicem pedibus, in memoriã ineffabilis istius charitatis, qua præpotens rerum omnium Dominus antè agonem suum discipulorum suorum pedes lauare dignatus est, obfirmatis animis certamen pro Christi gloria subire constituerunt. Manè itaque Dominici diei cinere capitibus imposito, fidenter in ciuitatem ingressi, palam Christum Iesum annunciare, & cunctis certam salutis viam indicare. Cumque in mediam vsque ciuitatem progressi, gentilium cæcitatem intrepidè arguerent, illi iniectis in eos manibus, furore & amentia bacchantes, ad Regem suum eos protraxerunt, conuicijs interim non modo onerãtes ac proscindentes, sed impositis plagis haud leuibus ad necem petentes.

Palam illis prædicant Christum.

Malè tractãtur ab eis.

Porrò Rex conspicatus rasa capita & horrida vestimenta, ratus eos cerebro laborare, vinctos iussit octiduò custodiri, & eorum constãtiam varijs afflictionibus tentari. Octauo verò die productos in suum conspectum, cum promissis & blanditijs, tum minis ad Saracenorum impietatem inuitauit. Illis verò nefariũ hoc scelus execrãtibus, & cõstanter asserẽtibus, in vno Christo Iesu tantũ, veram salutis rationẽ positã esse; Iudex Arbaldus ira inflãmatus;

Promissis & minis tentantur.

tus: Quid tu, inquit ad Danielem ministrũ, hominum omniũ stultissime, ita & in præsentem & futuram tuis perniciem? Cui beatus Daniel, sublatis in cælum oculis respondit: ô inueterate dierum malorum, tu potiùs reuertere ad vnum & verum Deum, Dominum nostrum Iesum Christum, qui hucusq; malè deceptus & euersus fuisti errorib. satanæ, & maledicti prophetæ tui Mahometis. Tum Iudex ille, ira vehementiùs excãdescens, districtos iussit in eos vibrari enses, vt eo terrore fracti fidem deserent. At illi, nihil ijs minis commoti, obfirmato in sententia animo perstitere immobiles, suamque fidem disertis verbis confirmantes à furente Iudice capitis damnati sunt.

Damnantur capitis.

Tum fratres ad pedes Danielis Ministri prolapsi, fuso lachrymarum imbre, gratias Deo egerunt, quod ad percipiendam martyrij palmam perducti essent. Indè patris Danielis benedictionem flagitantes, peramanter admodũ & piè ab illo exosculati sunt, adeoque ad martyrij certamen subeundum roborati; vt ducti in aulam Regis, indeq; nudi rursus educti, gaudentes incederent, tanta cum animi alacritate perindè ac si ad opiparum essent inuitati conuiuium. Vbi autem ad supplicij locum ventum est, submissis ceruicibus, suas Domino animas commendantes, capitis amputatione martyrij coronas adepti sunt. Sacra autem illa capita cõminuta, & corpora à pueris & Saracenis miserè discerpta sunt. Posteà verò à Christianis collecta, Alfondegę honorificè tumulata sunt: quæ postmodum Lusitaniæ Regis filius magni beneficij loco recipiens in Hispaniam transtu-

Eunt iucundis animis ad mortem.

Plectuntur.

lit;

lit: vbi gloriosa eorum merita crebris miraculis egregiè coruscant.

MARTYRIVM S. CALIXTI PAPAE, *& Sociorum eius: Ex eo quod est apud V. P. Laur. Surium: Passus est anno Domini 226. Iuliano & Crisp. Coss. Cùm sedisset annos 5. mensem 1. & dies 12.*

Vide Tom. 2. Annal. C. Baron. & Notat. in Martyrol. Roman. 14. Octob.

TEMPORIBVS *a* Alexandri Imperatoris, misso diuinitùs incendio pars Capitolij concremata est, & intrà Iouis templum, sinistra aureæ statuæ ipsius Iouis, in liquorem humi resoluta. Ea re permoti aruspices & sacerdotes ad Imperatorem Alexandrũ venere, vt irata deorum, quemadmodũ ei persuadebant, numina sacrificijs & odoribus placari curaret. Annuit ille petitioni eorum, iussitque augusta & splendida admodum instrui sacrificia, quibus sacerdotes, pro voto, dijs satisfacerent. Illi verò die Iouis manè, aëre mirè sereno, fanum ingressi; inter sacrificia (erãt verò quatuor numero) fulmine cœlitùs eiecto, miserè extincti sunt: araque Iouis incendio absumpta; nubilus ac tenebricosus repentè aër Romanam plebem extrà Vrbis muros in effusam fugam cõpulit, & animos omnium ingẽti terrore cõpleuit. Cumque huc illuc vagabundi discurrerent, quidã trans Tyberim in vrbẽ Rauennatiũ delati, audierunt in quodã templi cenaculo psallentiũ multitudinem Christianorum: inter quos Calixtus vrbis Episcop° cũ suo Clero fuisse perhibetur. Quod, quidam Consulũ Palmatius nomine, simulac intellexit, cõfestim

a Anno eius Imperij 3.

Idolorum sacerdotes cælesti fulmine occiduntur.

ſtim eos apud Imperatorem Alexandrum accuſauit: aſſerens inſignem illam accepti nuper infortunij cladem eorum potiſſimum incantationibus accidiſſe. Quo audito, Alexander: Accipe, inquit, poteſtatem, & quoſcunque inueneris Chriſtianos, aut ad ſacrificãdum dijs eos cogito, aut certè exquiſitis tormentis ad internecionem affligito.

Ea fretus poteſtate Palmatius, mox cum inſtructa militum manu Tyberim tranſmiſit, vt ſacrum illum Chriſtianorum gregem, cui Calixtus Põtifex cum Calepodio presbytero præerat, vinctum abduceret, ac tormentis pro ſua libidine affligeret. Et quidem milites decem præcipiti furore in cœnaculum irruentes, vt ſuam in eos explerent ſæuitiam, ſubitò cæcitate percuſſi ſunt: proſus vt palpitantes in tenebris, re infecta, de cęnaculo egrederẽtur. Quos vt vidit Palmatius, ingenti timore perterritus, fugiens eadem narrauit Alexandro, qui Chriſti potentiam magicis artibus aſſcribere nõ eſt veritus. Cui Palmatius: Si magicis artibus hæc geſta ſunt, excitentur deorum noſtrorum virtutes ſacrificijs, nè omnis populus ſimili tandem clade affligatur. Nec mora: Imperator Romanos omnes edicto ad Capitolium cõuocans, Mercurio præcepit certatim immolari; morte cunctis propoſita qui Mercurij die in æ-

Baronius hæc Acta in eo corrigẽda dicit, quod nullam excitatam ſub Alexandro in Eccleſia perſecutionẽ antiqui Chriſtianarum rerum ſcriptores aſſerant. Annal. Tom. 2. anno Chriſti 226. Caliſti Papæ 6. Alexãdri Imper. 3. ſed excitatas has martyrum clades à Iuris illis conſultiſſimis, quibus vrbis cura fuerat demandata: quorum præcipuus architectus erat, Domitius Vlpianus præfectus, Chriſtianorum perſecutor acerrimus. Quidquid verò hi faciebant: Imperatoris nomine atque auctoritate ſe egiſſe iactabant. Vndè & ea quæ in his actis dicuntur ab Alexandro vel eo iubente perpetrata eſſe, ab ijſdem I. C. vel Præfectis acta eſſe, ſic ſunt (ſecundùm Baron) accipienda.

dibus

dibus ſuis latitare inuenirentur. Statuto igitur die adeſt omnis populus: inter quos Palmatius cum ſua familia primas tenens, porcos & vitulos oblaturus conſtitit.

Cumque inter magnam pecudum ſtragem ſacerdotes decantandis ſedulò carminib. cum ſanguinis effuſione vacarent, virgo templi Iuliana nomine, arrepta à dæmone exclamauit: Deus Calixti viuus & verus eſt Deus, qui Reipublicæ veſtrę pollutionibus grauiter offenſus conteret Regem veſtrum mortalem, quod tanta animorum pertinacia veritatem reſpuitis. Ad hanc vocem motus mirabiliter Palmatius; ilicò, trāſmiſſo Tyberi, ingreſſus eſt iſtud Chriſtianorum cœnaculum: in quo S. Pontifex cum ſuis pietati vacabat. Moxque pedibus illius proſtratus pura ac ſyncera fide Chriſtū Ieſum confitens, ſacro petijt expiari lauacro: orans atque obſecrans vt à dæmonum cultura precibus illius liberaretur. Calixtus hortante maximè Calepodio, indicto vnius diei ieiunio, catechezi eum confeſtim inſtruxit, poſitumque in peluim, à priſtinis vitæ delictis, ſacro latice ritè expiauit. Secuta eſt eum protinùs vxor, totaque familia, filij, ac alij promiſcui ſexus numero quadraginta: qui Palmatij veſtigijs pręclarè inſiſtentes perceptam fidei virtutē egregijs precibus declararunt. Palmatius verò omnes ſuas facultates pauperibus diſtribuit, cunctosq; Chriſtianos pietatis ergò latitantes mirificè ſuis bonis recreauit.

Dæmoniaca confitetur Chriſtum.

Palmatius credit.

Baptizatur cum vxore & familia.

Dat ſua pauperibus.

Intereà poſt dies duos & triginta, eximia illius pietate atque virtute longè lateq; vagante, Torquatus tribunus vinctum eum in cuſtodiam

Palmatius vinctus ducitur ad tribunal Alexandri.

diam dedit,& catenis fœdatum imò ornatum Alexandro exhibuit. Imperator, viso illo, Palmati, inquit, siccinè, relictis dijs, mortalem hominem colere iuuat? Illo verò nihil respõdente, rursus Alexander: Loquere, inquit, omni postposito timore, fiducialiter. Tum Palmatius: Si libertas loquendi datur, loquimur veritatem. Et Alexander; Loquere, inquit, excepta tamen deorum iniuria. Respondit Palmatius. An dij tibi dicendi videntur, qui mortalium manib. facti, neq; audire, neq; fari queũt? Sed obsecro te, vt Deo tuo dicas, vt mihi loquatur: Quod si factum fuerit, nõ recuso diuinos illis decernere honores. Dicit ei Alexander: Tu qui à cunabilis deos adorasti, qua nunc temeritate eos relinquis? Respõdit Palmatius: Equidem infœlix profundis adhuc ignorantiẹ inuolutus tenebris, hoc feci; nunc verò Christi lumine misericorditer illustratus, veritatẽ cognoui. Hinc deprecor Christum Dominum, vt ignoranti veniam tribuat, & ad cognitionem sui nominis clariorem perducat. His auditis subridens Alexander, eum cuidã Senatori Simplicio nomine tradidit, vt suis blãditijs ad deorum culturam reuocaret.

Palmatius demonstrat Idolorũ vanitatem.

Traditur Simplicio Senatori custodiendus.

Simplicius igitur Palmatium omni cum humanitate excipiens, preciosis vestibus nobiliter indutũ, duxit in domum suã: præcipiens vxori ac maioribus familiæ suę, vt omnem domũ Palmatius in sua potestate haberet. Tunc ille ieiunijs, orationibus, ac vigilijs insistens, non cessabat Christi misericordiam & pristini erroris veniam deprecari. Eodem tempore quidam, Felix nomine, ad eum supplex venit, vxori

Vacat operibus iustitiæ vir sanctus.

vxori annos continuò quatuor paralysi laboranti sanitatem postulaturus. Quem Palmatius ad pedes suos prostratum vt vidit, motus misericordia in faciē ruit, fusisque lachrymis, pro salute Blandæ (hoc namque vxori Felicis nomen erat) Domini misericordiam deprecari cœpit.

Precibus Palmatij Blanda paralytica sanatur.

Eo autem precibus adhuc incumbente, Blāda suis ipsa pedibus sana prorsus & incolumis aduenit, domumq; Senatoris Simplicij intrans humiliter baptismum flagitauit. Et quidem accitus ilicò à Palmatio Calixtus, Felicem cum coniuge Blanda baptismate lustrauit: & Simplicius eodem permotus miraculo eandem Christi gratiam, cum familia sua promiscui sexus sexaginta octo, fidei calore incensus percepit. Ea res vt Imperatori Alexando innotuit, mox manipulum militū ad Simplicij domum misit: qui protinus cunctos sacro fonte lustratos comprehensos, ex sententia Imperatoris, gladio obtruncarunt. Inter eos beatus quoque Calepodius martyrij corona redimitus p gladium ad superos concessit: cuius corpus Calixtus Pontifex linteaminibus inuolutum & aromatibus conditum, cum hymnis & laudibus in cœmeterio sepeliuit.

S. Calixtus baptizat domum Felicis & Simplicij: qui oēs cum SS. Palmatio & Calepodio obtruncantur.

Porrò Calixtus vt laborantibus Ecclesiæ membris adhuc consuleret, rursus transmisso Tybere, in ædibus Pontiani iuxta Vrbem Rauennatium ad studia orationis redijt: vbi, misso occultè ab Alexandro milite, iniecta ei vincula fuêre. Et vt eius constantia frangeretur, omni alimonia subtracta, diebus quinque dira fame cruciatus fuit: cùm ille interim pane

cæle-

Cruciatur fame Calixtus Episcop⁹ & fustibus cæditur.

cælestis verbi animum mentemq́; pasceret, & indies magis confortaretur. Indè fustibus quotidie cæsus, cùm iam longo carceris squalore esset maceratus, nocte quadam, B. Calepodius ei adstitit, eiusq́ue animum futura sempiternæ retributionis mercede mirum in modum roborauit.

Priuatus miles martyr.

Inter hæc miles quidam nomine Priuatus vlceribus ac doloribus plenus, qui eodem in carcere vinctus tenebatur, lachrymabundus ad eum accessit, vt precib. suis dolores depelleret: & sanitatem in Christi nomine cōferret. Calixtus conuersione militis & fide gauisus, ilicò eum sacro latice lustrauit, & omnem doloris vlcerumq́ue vim simul depulit. Quibus auditis, Alexander iracundia plenus, missis apparitoribus, Priuatum ad necem vsque plumbatis cædi mandauit: Calixtum verò è fenestra domus præcipitari, ligatoq́ue ad collum eius saxo, in puteum demergi: & ingenti ruderum cumulo tumulari. Elapsis verò septem & decē, à peracto martyrio, diebus, quidā ex eius presbyteris Asterius nomine, noctu cum Clero adueniens sacrum Pontificis corpus eruit, atque in cœmiterio Calepodij via Aurelia pridie Idus Octobris sepeliuit. Indè post dies sex Asterius tentus iussu Alexādri, & per pontem præcipitatus gloriosam martyrij coronam pariter adeptus est: cuius corpus in Hostia inuentum, in eadem ciuitate Hostiensi quartodecimo Kalend. Nouembr. conditum est.

Dicitur adhuc exstare puteus, in quem S. Calixtus est demersus.

Asterius presbyter martyr.

VITA

VITA S. FORTVNATI TVDERTINI Episcopi: Ex ea quæ est per Gregorium Papam. Claruit temporibus Iustiniani Imperatoris: circa annum Domini 537.

Vide Tom. 7. Annal. C. Baron. & Notat. in Martyrol. Rom. 14. Octob.

VENERABILIS antistes Tudertinæ Ecclesiæ Fortunatus, in effugandis spiritibus immensæ virtutis gratia pollebat, ita vt nonnunquàm ab obsessis corporibus legiones dœmonum pelleret, & continuo orationis studio intentus obiectas conta se eorum multitudines superaret.

Mira S. Fortunati viri aduersus dæmones.

Matrona quædam nobilis in vicinis partibus Tusciæ nurum habebat: quæ intrà breue tempus, quo filium eius acceperat, cum eadẽ socru sua ad dedicationem oratorij beati Sebastiani Martyris fuerat inuitata. Nocte verò eadem, voluptate carnis deuicta, à viro suo sese abstinere non potuit. Cumque manè facto cõscientiam deterreret perpetrata carnis delectatio, processionem verò imperaret verecũdia; plus erubescens vultum hominum, quàm Dei iudicium metuens, cum socru sua ad dedicationem Ecclesiæ processit. Mox verò, vt reliqui beati Sebastiani oratoriũ ingressi sunt, matronam malignus arripuit spiritus, & coram omni populo vexare cœpit. Eiusdem verò oratorij presbyter, dum eam vehementissimè vexari conspiceret, ex altari protinus sindonem tulit, eamque operuit: sed & hũc similiter repentè diabolus inuasit. Et quia vltrà vires voluit quidquam præsumere, compulsus est & ipse cognoscere in sua vexatione quid esset. Hi verò qui aderant, matronam in manibus ex ora-

En vt punit Deus irreuerentiam loci sacro exhibitam.

torio ſublatam, ad domum propriam reportauerunt. Cumq; antiquus hoſtis vexatione continua eam attereret, propinqui, ad obtinendi ſalutis remedium, eam maleficis tradiderunt vt animam eius funditùs extinguerent, cuius carni magicis artibus ad tempus prodeſſe conarentur. Ducta eſt itaque ad fluuium, atque in aquam merſa: ſed dum arte peruerſa vnus ab ea repellitur, in eam ſubitò legio intrauit. Cœpit ex hoc illa tot motibus agitari, tot vocibus clamoribuſque perſtrepere, quot ſpiritibus tenebatur. Tunc inito conſilio parentes eius ſuæ perfidiæ culpam fatentes hanc ad venerabilem virum Fortunatum Epiſcopum deduxerunt, eique reliquerunt. Qua ille ſuſcepta, multis in diebus ac noctibus in orationem dedit, tantoque anniſu precibus incubuit, quanto di in vno corpore contrà ſe aſſiſtere legionis aciem inuenit. Quam poſt non multos dies ita ſanam atque incolumem reddidit, ac ſi in ea ius proprium diabolus nunquam habuiſſet.

Item magicis artibus vtentes.

Legionem dæmonum à fœmina expellit S. Fortunatus.

Alio quoque tempore idem omnipotentis Dei famulus ex obſeſſo quodam homine immundum ſpiritum excuſſit. Qui malignus cùm veſperaſcente iam die, ſecretam ab omnibus horam cerneret, peregrinum quempiam eſſe ſimulans circuire cœpit ciuitatis plateas, clamitans: O virum ſanctũ Fortunatum Epiſcopum certè quid fecit? peregrinum hominem de hoſpitio ſuo expulit. Quæro vbi requieſcere debeam, & in ciuitate eius non inuenio. Tum quidam in hoſpitio cum vxore ſua & paruulo filio igni aſſidens, audito eius clamore, hunc hoſpi-

Item alium dæmonem.

Vide dæmonis malitiã.

hospitio inuitauit, secumque vnà ad prunas sedere fecit; vt quid Episcopus ei fecisset, requireret. Cumque vicissim aliqua confabularentur, paruulum eius filium idem malignus intrauit, eumque in ignem præcipitans, mox animam eius excussit. Qui orbatus miser, vel quem ipse susceperit, vel quem Episcopus expulit, agnouit. Existimo sanè hunc virum dum quasi hospitalitatem exhiberet, non pietatis opere delectatum fuisse, sed Episcopi derogatione: & ostentationem boni potiùs intendisse, quam operam: vt meliora Episcopo fecisse videretur, quatenùs ipse susciperet eum, quem vir Domini Fortunatus expulisset. Sunt namque nonnulli, qui idcirco bona facere student, vt gratiam alienæ operationis obnubilent. Quemadmodum in hoc viro finis operis probat, quod munda intentio operationis non fuerit.

Fugienda duplicitas.

Alio quoque tempore, oculorum cęcitatem signo Crucis à quodam depulit; & equum in rabiem versum & obuios quosq; morsibus laniantem simili virtute sanauit. Denique quidquid ab omnipotenti Deo precibus postulauit, mox impetrasse fertur. Quadam die Gotthi facta excursione iuxta Tudertinam ciuitatem, puerulos duos indè abduxerant, & ad partes Rauennæ properabãt. Quod cùm viro sanctissimo nunciatũ fuisset, protinùs Gotthos illos ad se vocari fecit. Quos blando sermone alloquens, eorũ priùs studuit asperitatem placare: ac post intulit, dicẽs: Quale vultis precium dabo, & puerulos quos abstulistis, reddite, mihique hoc gratiæ vestræ munus præbete. Tunc is,

Cæcum illuminat vir sanctus.

qui prior eorum esse videbatur, respondit, dicens: Quidquid aliud præcipis, facere parati sumus: nam istos paruulos nullatenùs reddemus. Cui venerandus vir blandè minatus, dixit: Contristas me, & non audis patrem tuum; noli me contristare: non expedit tibi. Sed idem Gotthus in cordis sui feritate permanens, negando discessit. Die verò altera digressurus, rursus ad Episcopum venit: quem ijsdem verbis pro prædictis puerulis iterum Episcopum rogauit. Cumque ad reddendum nullo modo consentire voluisset, contristatus Episcopus dixit: Scio qua tibi non expedit, quod me contristato discedis. Quæ Gotthus verba despiciens ad hospitium reuersus, eosdē pueros equis superimpositos, cum suis hominibus præmisit. Ipse verò statim ascendens equum, subsecutus est. Cumque in eadem ciuitate antè B. Apostoli Petri Ecclesiam venisset, equi eius pes lapsus est; qui cum eo corruit, & eius coxa mox fracta est; ita vt in duabus partibus os esset diuisum. Leuatusq; in manibus, reductus est ad hospitium. Qui festinus viro venerabili Fortunato supplex misit nuncium, orans vt ad se diaconum suū mittere dignaretur. Adueniens diaconus confestim pueros ab itinere iam reductos, Episcopo reddendos à Gottho accepit dicēte: Vade & dic Domino meo, Episcopo: Quia male dixisti mihi, eccè percussus sum; sed pueros, quos quęsisti, recipe, & pro me, rogo, intercede. Susceptis itaque puerulis, Antistes diacono suo aquam tradidit benedictam, vt eam super iacentis corpus proijceret. Perrexit itaque diaconus atque ad Gotthum introgressus, benedictam aquam

Eccè pœnam S. Episcopi preces contemnentis.

aquam ſuper membra illius adſperſit: moxque (res mira & vehementer ſtupenda) ita omnis fractura ſolidata eſt, & ſaluti priſtinæ coxa reſtituta, vt hora eadem de lecto ſurgeret: & aſcenſo equo, iter ageret.

En admirandam vim aquæ benedictæ.

In eadem vrbe Tudertina, Marcellinus quidam bonæ actionis vir, cum duabus ſororibus ſuis habitabat: qui eueniẽte moleſtia corporis in ſacratiſſimo ſabbatho Paſchali veſperè defunctus eſt. Porrò ſorores, eius morte afflictæ, flentes ad venerabilem cucurrerũt antiſtitem, eiſque magnis vocibus clamantes dixerunt: Scimus quia Apoſtolorum vitam tenes, leproſos mũdas, cæcos illuminas. Veni & reſuſcita mortuum noſtrum. Qui & ipſe, de fratris earũ morte contriſtatus, flere cœpit: eisque reſpondit dicens: Recedite, & hæc dicere nolite, quia iuſſio omnipotentis Dei eſt, cui contraire nullus hominum poteſt. Illis itaque diſcedẽtibus, triſtis ex morte eius mãſit Epiſcopus. Subſequente autem die Dominico, antè exurgentis lucis crepuſculum, vocatis duobus diaconibus ſuis, perrexit ad domum defuncti, accedensque ad locum, vbi corpus iacebat exanime, ibi ſe in orationem dedit. Expleta autem prece, ſurrexit, & iuxtà corpus defuncti ſedit: nõ autem grandi voce defunctum vocauit, dicens: Frater Marcelline: Ille autem ac ſi leniter dormiens, ad vicinam vocem quamuis modicam, fuiſſet excitatus, ſtatim oculos aperuit, atque ad Epiſcopum reſpiciens dixit: O quid feciſti? Cui epiſcopus reſpondit, dicens: Quid feci? At ille ait: Duo heſterno die venerunt, qui me eijcientes ex corpore, in bonum locum duxe-

Deflet mortem Marcellini.

Excitat defunctũ Marcellinum.

runt'. Hodie autem vnus missus est, qui dixit: Reducite eum, quia Fortunatus Episcopus in domum eius venit. Quibus verbis expletis, mox ex infirmitate conualuit, & in hac vita diutiùs mansit.

VITA S. BVRCHARDI EPISCOPI

Herbipolensis: Ex ea quæ est per Egiluuardum monachum cœnobij sancti Burchardi, prope Herbipolim. Consecratus est Episcopus à Zacharia Papa. Sedit annis 40. Obijt anno Domini 791.

Teste C. Baron. in Not. ad Martyr. Roman. Vide & Tomo 9 Annal.

14. Octob.

DVM nouella Anglorum Ecclesia Gregorij Pontificis studijs meritisque geminare inciperet, eadem in insula nobiles nobilissimi Burchardi parentes mirifice quoque efflorebant. Qui animi magnitudine & ingenij fælicitate præcellens, præcelsam suæ prosapiæ genealogiam haudquaquam passus est morum suorum nebulis obscurari. Cùm enim à religiosis parentibus literarum studijs imbuendus fuisset traditus, puerilibus lenitatibus excelso & virili planè animo reiectis, & carnis illecebris per assidua orationis & vigiliarum studia calcatis, breui ad tãtam morum honestatem adoleuit, vt nihil in se caducum nihil terrenum habere videretur. Cùm verò opes & delicias patriæ, magno sibi ad vitæ perfectionem impedimento esse cerneret, spretis generis claritate, cunctisque fumantis mundi nebulis spiritu consilij & fortitudinis animo depulsis, relicto natali solo, periculosos sali fluctus transfretauit, atque in Gallijs aliquam

Præclarum genus S. Burchardi.

Traditur literis.

Omnia reliquit propter Christum.

quamdiu sub peregrini habitu, futuram inquirens patriam delituit.

Ijs temporibus VVinfridus Angliæ indigena, bonis ex factis suis mutato nomine p Gregorium Papam Bonifacius nũcupatus, legatus Apostolicus in partes Germaniæ destinatus, nobilisque Moguntiæ metropolitanæ Archiepiscopus, egregijs & admirandis planè virtutum fulgebat meritis. Ad quem Burchardus sacerdotio iam initiatus vt accessit, non modo peramanter ab eo exceptus, & benignè habitus fuit: sed & Romam pariter, propter vitæ sanctitatem, morumque, qui in eo candidissimo relucebant, splendorem, perductus: ibidemque à S. Pontifice Herbipolensis consecratus antistes, vt Orientales Francos & vitæ suæ integritate & Christiana facundia ad Christum conuerteret.

Venit ad S. Bonifacium Apostolum Germanorũ, cuius vita habetur 14. Maij.

Constituitur Episcopus Herbipolensis.

Qui vbi se speculatorem domus Israel in Ecclesiæ turri positum conspexit, sedula cordis anxietate cœpit meditari, qualiter sibi cõmissas Dominicas oues verbo Dei pasceret, & in omni fidelis prudentisq; dispensatoris cura tam se q̃ Christi familiam regeret. Itaque eloquio valdè mitis, vultu venerabũdus & affabilis, in vigilijs & sacris lectionib. assiduus in eleemosynis benignus, prouidus in cõsilijs, moribusq; compositus, creditas sibi oues solicitè pauit, cunctosq; sua humilitate ad egregia pietatis officia deduxit. Pastoralis eius virga non auro vel argento erat decorata, sed sambucea: quæ in loco sepulturæ ad humilitatis eius memoriam etiamnum asseruatur.

Virtutes eius eximiæ.

Optimè præest suis.

Porrò idem vir Dei anno ordinationis suæ

Eleuat reliquias SS. Kiliani & sociorum eius, ad quas & monasteriũ construit: eorum vita habetur 8 Iul.

secũdo, beatorum Martyrum Kiliani & sociorum eius venerandas reliquias miraculis ilicò claras cum maximo Cleri plebisque tripudio de terrę puluere leuauit, sericisque reuerenter inuolutas, cum summo, vt decebat, honore in feretro composuit, & monasterium eodem in loco sepulturæ construxit. Sed &, vt actiuæ vitæ solicitudinibus turbatus, deindè ad pedes Iesu refugium haberet, construxit in arcto pro cliui montis & allapsu Mœni fluminis, cœnobium in honorẽ Dei genitricis & S. Andreæ Apostoli, quod prædiorum quantitate ad victum vestitumq; duodecim Fratrum Canonicorum, Deo ibidem militantium, necessaria liberaliter dotauit. Quibus virtutum insignibus cùm apud homines & Deum maximè clarus, annos quadraginta pondus diei & æstus in vinea Domini Sabaoth strenuè portasset, ac sibi Megingaudum virum pientissimum substituisset, tandem in castello, quod Hohenburg dicitur, Dominicis præmonitus sacramentis fœliciter migrauit ad Christum: Indè verò omni veneratione, confluentibus vndique fidelium turmis, vnicè dilecti patris decessum lamẽtantibus, in ciuitatem sedis suæ * Herbipolim delatus, in Monasterio beatorum martyrum Kiliani sociorumque eius, iuxtà eorum sacras reliquias conditus est: pręclaris sanitatum miraculis admodum ibidem celebris.

Vacat actiuæ & contẽplatiuæ vitæ.

Obdormit in Domino.

** Vircebvrgum. Locus sepulturæ eius. Miracula ad sepulchrũ eius. Teste C. Baron. in Not. ad Martyr. Roman.*

VITA VENERABILIS DOMINICI Loricati: Ex ea quæ est per Petrum Damiani ad Alexandrum Papam. Floruit circa annum Domini millesimum quinquagesimum.

DOMI-

DOMINICVS vir Domini, cùm primis in sæculo sacris initiatus ad sacerdotiũ aspiraret, parentes eius (quia Simoniaca tunc vigebat hæresis) vt eam dignitatem consequeretur, Episcopo hircinæ pellis alutã donârunt. Quæ vna beati viri culpa, posteà multorum bonorum (diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum) ei exstitit materia. Nam hoc pauore perterritus, contempto seculo, mox arduum eremiticæ vitæ, tanquam bellator intrepidus, arripuit institutum: in quo ad vsque obitum virgo permanens, quia malè promotus erat sacrosancti altaris vsurpare ministerium non præsumpsit.

14. Octob.

Rom. 8.

Detestans Simoniam fit Eremita.

Manet virgo.

In illa igitur eremo, quæ in regione Luceoli constituta erat, decem & octo visebãtur cellulæ fratribus ad habitandum deputatę: vbi tãta vitæ austeritate viuebatur, vt abstemij prorsus nunquam adipe alimenta condirent; vnum Dominico die & quinta feria pulmentum sumerẽt; solis orationibus ac manuum operibus insisterent: & quinque per hebdomadam diebus in pane & aqua ieiunium celebrarent. Silentium verò adeò strictum cunctis statutum erat, vt sola Dominica die, idque post Vesperas cibumque, soluerent: eoque breui tempore ad Completionis vsque officium sibi inuicẽ loquendi facultatem haberent. Nudis præterea pedibus & cruribus in cellulis iugiter morantes, quotidiè per omnes canonicas horas disciplinam sibimet inuicem scoparum & corrigiarum ictibus ingerebant. Dominicus verò ferrea ad carnem lorica præcinctus, totoque

Arduum vitæ instituti.

Silentium diuturnum.

Assiduæ disciplinæ.

Dominicus Ferrea Lorica ad carnem indutus.

Corpus suum egregiè castigat.

ferè corpore circulis ferreis strictus, feruidus aduersus hostiles acies incedebat bellator, infœderabilem cum iniquis spiritibus conferens pugnam. Diebus enim singulis duo psalteria modulando, vtraque manu scopis armata, nudum atterebat corpus; & rebelles carnis illecebras infatigabiliter reprimebat. Neque hic feruor in incurua senectute refriguit, sed magis insuper incandescens, animum ad spiritalia exercitia inuictum atq; infatigabilem reddebat. Inediæ adeò patiens erat, vt panem cum fœniculo summas reputaret delicias; aiebat siquidem corpus humanũ, in quo paulatim priùs enutritur: in hoc per incrementa postmodùm roborari. Cæterum hæc tanta vitæ austeritas nõ in eo solùm residebat, sed exemplo suo non viros modò, sed & nobiles matronas ad hoc purgatorij genus auidè arripiendum prouocabat, excitabatque ita vt multi in corpora sua pijs flagris sæuirent, & peccati rubiginem disciplinis expurgarent.

Quid faciat consuetudo. En quis lautior eius fuerit cibus.

Obitus eius felicissimus.

Solebat quidem per interualla vino, licet parcissimè, vti: sed longè antequam defunctus est, decreuit ab eo penitus abstinere. Ceterum in vltima senectute stomachi grauedine arctatus, crebris cœpit capitis fatigari doloribus: quibus diu multumque excruciatus tandem sanctum Deo spiritum reddidit. Corpus verò fuit post nonum diem incorruptum repertũ: atq; ab huius historiæ auctore in basilicæ capitulo debita reuerentia conditum.

VITA S. HEDVVIGIS DVCISSAE

Poloniæ, beatæ Elizabeth materteræ: Ex ea quæ est apud V. P. Laurent. Surium. a *Migrauit è corpore anno Christi 1243. Relata inter sanctos anno 1267. sequenti verò sacræ eius reliquiæ eleuatæ.*

a *Teste C. Baron. in Notat. ad Martyr. Rom.*

15. Octob.

Genus eius & parentes.

HEDVVIGIS illustri in terris stirpe orta, filia fuit magnifici Principis Bartholdi, Marchionis Morauiæ, Comitis Tyrolensis: Matrem habuit Agnetem non minori generis dignitate illustrem. Fratres illi fuêre quatuor; sorores tres; quarum vna Philippo Regi Franciæ nupsit, altera Andreæ Regi Hungariæ, cui peperit laudatissimam illam, & nunc in cælis gloriosam Elizabeth, Turingiæ Lantgrauiam, cuius sanctissimum corpus Marpurgei quiescit. Tertia soror Abbatissa fuit virginum Ordinis S. Benedicti, in Lutzingensi Franconiæ monasterio. Vnus fratrum eius Bertoldus, Aquileiensis patriarcha fuit; alter Elebertus Babenbergēsis Episcopus: reliqui duo Otcho & Henricus militiæ dediti, patri in principatu successerunt.

S. Elizabeth. vita habetur 19. Nouemb.

Heduuigis verò optimis naturæ adiumentis instructa, à teneris penè vnguiculis in monasterio* Lutzingēsi, sacris literis admota fuit; quarum studio & tempus suæ iuuentutis expēdit vtiliter, atque ex earum intelligentia, postmodum internarum consolationum & deuotionis gratiam hausit excellenter. Cùm autem annos nata duodecim haud vulgare de se pietatis & prudentiæ specimen præberet; præclaro Principi Henrico Duci Silesiæ & Poloniæ collo-

Imbuitur literis in monasterio.

Nubit Henrico Principi, ac Duci Silesiæ ac Poloniæ. Tob 4.

collocata est: quem illa instar Sarę ex voluntate maximè parentum consensit suscipere. Cõiugali verò vinculo alligata, ita liberis procreãdis operam dedit, vt tamen continẽtiæ legem, quantum quidem ex mariti consensu liceret, sibi indiceret. Nam simulac se concepisse sentiret, à viri toro vsque ad puerperij completionem sese reuerenter abstinuit. Peperit autem tres filios, Boleslaum Conradum, & Henricum: totidemque filias, Agnetem, Sophiam, & Gertrudem: quibus in lucem editis, deinceps perpetuæ se continentiæ dedit. Vno enim animo pariique consensu, cum Episcopi benedictione, perpetuæ continentiæ votũ non multo post emiserunt in quo triginta circiter annos toro separati vitam duxêre, castitatis pulchritudine mirificè decoratam.

Proles eius.

Vouent continentiam.

Cæterùm quia nouerat, in carne præter carnem viuere, nõ minoris esse laboris quam meriti; ad complectendam conseruãdamque carnis integritatem & castitatem, quoscunq; poterat, inuitabat: eiusque rei causa Trebniciense condidit monasterium: in quo multas fœminas pariter & virgines collegit; quæ Domino in cordis & corporis puritate iugiter seruirẽt; inter quas suam quoque obtulit filiam Gertrudem: quæ illic posteà cæteris præfecta, Abbatissæ munus cum magna opinione sanctitatis administrauit. Quin & ipsa quoque, Christi amore acriter inflammata, eò se cum parua cõtulit familia; ibidemque propè monasterium virginum (quod est Cistertiensis Ordinis) puram Domino obtulit seruitutẽ, marito adhuc viuente; eoque religiosa animi pietate, similiter

Construit monasteriũ Trebniciense.

Vita S. Gertrudis habetur 17. Mart.

Viuit iuxtà monasteriũ.

ter propè monacho effecto. Et licet institutum monasticum ibi professa non sit, videlicet vt misericordiæ operibus & consolandis pauperib. liberius vacare posset, habitũ tamen monacharum illarum induit, ac cum in monasterio existeret, in seruando silentio, alijsque monasterij institutis & legibus & vitæ asperitate monachas omnes antecellebat. Sicque conscientię puritate, bonorumque operum fructu, ità coram Deo & hominibus vtriusq; status vas omni sanctitate plenum apparuit, vt nemo id facilè pro dignitate explicare queat. Si quis quidpiam molestiarum ei intulisset, nihil ab ea audiebat aliud, nisi hoc duntaxat, aut quippiam eiusmodi placidè & leuiter ab ea prolatũ: Certè, & cur hoc fecisti? Ignoscat tibi Deus. Ab esu carnium annis plùs minùs quadraginta omninò abstinuit. Dominica die, tertia & quinta feria, piscibus & lactarijs vescebatur; Sabbatho & secunda feria aridis contenta leguminibus. Quarto & sexto die panem solum aquamque gustabat; vino quouis tempore vti nescia. Dominicis verò diebus & quibusdam magnis solẽnitatibus cogente Episcopo & cõfessarijs eius, bis piscibus & lacticinijs vtebatur, bibebatq; cereuisiã. Porrò alias in aduẽtu Domini, Quadragesima & sanctorum vigilijs duras eius abstinentias breuitatis studio præterimus.

Vacat misericordiæ operibus.

Dictum eius, si quis eam forte offendisset.

Abstinentia eius.

Ceterùm corpusculum suum ieiunijs attenuatum, & flagellorum ictibus liuidum hispidumque, aspero domabat cilicio, è setis equorum confecto, cui adiuncta erat similis generis zona nodosa, ad lumbos eius, rigidè nimis adstri-

Vestitur cilicio.

Lectus eius. adstricta. Lectus ei, vt decebat Principem fœminam, quidem præparabatur; at illa non in eo, sed tabulis ligneis, aut pauiméto corio instrato incubabat: idque non nisi somno, post diuturnas preces & vigilias, eam opprimente. Quod si debili & infirmo, nimiumque fatigato corpori interdum plusculum indulgere vellet, in straminibus panno crasso opertis sese collocabat, culcitram molliorem, quantumlibet etiam ægrota, semper repudians. Et quidem quia paucis explicari nó potest quo pacto hæc Christi famula carnem suam continenter crucifixerit cum vitijs & concupiscentijs, sufficiat eximium hoc Dominę Annę nurûs eius, de vitæ ipsius asperitate testimonium. Vitas (aiebat) multorum sanctorum cognitas habeo: sed nunquam quicquam in illis tam durũ & asperum didici, quod non in Heduuige aut maius, aut consimile perspexerim.

En sufficiens testimonium rigidæ eius vitæ.

Porrò cum in templis rebus interesset diuinis, adeò sese à cognitis ad incognita, de terrenis ad cælestia, deq; visibilibus ad inuisibilia, lachrymarũ imbre abũdè perfusa trãsferebat, vt interdum insensibilis appareret: vndè & diuini splendoris radios tanta quandoque intus copia percipiebat, vt nonnunquã corpus eius clara luce circumfusum e terra in aëra sublatũ cerneretur. Sciens autem illa presbyteros siue sacerdotes tantæ esse dignitatis, vt dominũ cæli & terræ tractent in sacramento altaris, atq; ea conferãt quotidiè sacraméta quib. diuina assistente virtute fidelis sanctificatur & expiatur anima: sacerdotes & omnes qui in Clero sunt, tum seculares tum religiosos multa reuerẽtia prose-

Deuotio sub diuinis.

Extases eius.

Reuerentia eius ergà sacerdotes.

prosequebatur, ac eximio honore afficiebat. Ad Sacramentum Dominici corporis percipiendum accessura tam largiter flebat, tanto precandi, genua flectēdi, corporisque prosternendi studio occupabatur, vt intuentes non ad deuotionem modò, sed etiam ad lachrymas efficaciter permoueret.

Summa cum deuotione accedit ad Satramentū Altaris.

Habebat autem permultas sanctorū imagines & reliquias, quarū aspectu seipsā ad Christi amorē & venerationem Sanctorum excitabat: inter quas sanctissimæ Dei genitricis imagunculā quandam pręcipuo honore prosequebatur, eamq; crebro suis, itura ad ecclesiā gestabat manibus; qua cū lāguidis interdū benediceret, ilicò, non sine miraculo, sanitatē consequebātur. Insita ei erat egregia animi clemētia; quā cum Christi pietas plurimum augeret: tum matrem se omniū pauperum, & præcipuè viduarū atque orphanorū eximiam exhibebat consolatricē; & aduocatā apud Ducem sanè fidelissimā. Nōpaucas quoq; puellas parentib. & amicis orbatas, singulari apud se humanitate fouebat, singularūq; saluti diligēter prouidēs, alias matrimonio, alias, prout expedire videbatur, monasterijs tradebat. Habebat præterea in aula sua tredecim, afflicta valetudine pauperes; quos in Christi & Apostolorū eius honorē, incredibili charitate tractabat: ità vt discūbentibus nō tantū cōmuni officio ministraret, sed flexis genibus cibos singulis apponeret, verbisq; dulcissimis consolationem præberet. Pro promiscua verò pauperum turba, singularem culinam & ministros quoque singulares

Veneratur Sanctor. imagines & reliquias.

Claret miraculis.

Benignitas eius in pauperes & afflictos admirabilis.

depu-

deputatos habebat: qui egentibus victui necessaria sedulò ministrabant.

Claruit spiritu prophetiæ.

Porrò de miraculis, magnis planè & admirandis, & prophetiæ spiritu, quibus in vita & post obitum fuit clarissima, operis vastitas singulatim nos scribere prohibet. Illud commemorasse sufficiat, quòd imminente mortis hora, cælestium ciuium visitatione ad patriam claritatis æternæ inuitata fuit. Nam in agone constitutæ, SS. Magdalena, Catherina, Tecla, Vrsula aliæque nonnullæ multa luce conspicuæ ei apparuerunt: quarum comitatu, sanctissima eius anima mortalitatis vinculis soluta, ad Christum migrauit.

Obitus eius felicissimus.

Vide Tom. 19 Annal. C. Baron.

VITA S. OSVVALDI VVIGORniensis & Eboracensis Episcopi: ex ea quam Senatus Brauonius, VVigorniæ monachus conscrisit. Quo tempore claruerit & obierit patet infrà.

15. Octob.

Qualis in pueritia.

Patria eius.

BOswaldus clarissimo Anglorum stemmate prognatus, forma corporis elegãti, cum adhuc in puerilibus versaretur annis, vanas deuitans ineptias, sanctitatis opera atque studia sedulò sectabatur. Porrò à parentibus suis, literis imbuendus commẽdatus est patruo suo Odoni Archiepiscopo Cantuarensi; viro sanè prudentia, discretione & iustitia insigni: nec non bonis exemplis optimisq; moribus conformandus eidem traditus. Cumque tum prophanis, cum diuinis literis apprimè eruditus esset, VVintoniensis Canonicus effectus est. Vbi sanè ob oculos posito vitæ & ordinis

Patruus eius, quis.

Fit Canonicus VVintoniensis.

ordinis sui instituto, prauisq; animi cupiditatibus egregiè compressis, constanter sese præscripto vitæ canonicorum conformauit. Vndè non multo post factus Decanus, licet adhuc iuuenis esset, tamen senum deprauatos mores corrigere, & pueriles eorum sensus studio disciplinæ celestis reformare nitebatur. At cum illi mole prauæ consuetudinis oppressi nollent intelligere vt benè agerent; Oswaldus spreta pompa seculari & mundi huius opibus, Floriacense monasterium, Odonis Archiepiscopi literis commendatitijs & muneribus munitus adijt: ibique habitum monachalem suscepit. Et quidem qui eò instituendus aduenerat, breui tempore adeò profecit, vt satis haberent in eo alij, quo erudirentur, quodque imitandum susciperent. Erat enim parci somni, modici victûs, verbis prudens & moderatus, in prece assiduus: & charitate non ficta præstantissimus; vndè & patientiam, humilitatem, benignitatem, humanitatem & mansuetudinem vnicè amplexabatur.

Qualis in Canonicatu.

Fit Decanus.

Ex Decano fit Monachus.

Qualis in Monachatu.

Vt autem liberius Deo & familiarius vacare & inhærere posset, Abbas ei locum secretum quendam in Ecclesia attribuit. Ibi ergò orationi, meditationi, contemplationique rerum cælestium & diuinarum, ab aliorum strepitu & inquietudine remotus, operam dans, magnam humani generis atrocissimo hosti liuoris & odij materiam suppeditabat: adeò vt subindè eum varijs terriculamentis conturbare vel certè ab incepto reuocare admitteretur. Ast in vanum laborauit Satanica peruersitas: vnico quippe triumphali

Dæmon inuidet eius sanctis studijs.

Ex vim S. Crucis.

phali Crucis signo opposito protinus profligata. Fama autem piæ conuersationis eius ad aures Odonis cum peruenisset, immensas Deo gratias egit, missisque ad Cænobium diuersis muneribus, Abbati & monachis, nepotis sui nomine gratum se declarauit; vna indicans, perquam cupere se eius frui præsentia; tũ quod iã senio fessus, mortẽ sibi propinquã sciret: tũ quod regulari seu monastica disciplina & conuersatione, gentis suæ homines per eum instruere statuisset. Hoc verò nũcio haud modicum consternati fratres, non tamen ausi Antistitis voluntati reluctari, debito cum honore Oswaldum remittunt. Verùm antequam Cantuariam perueniret, iam Episcopus Odo excesserat è vita. Cui S. Dunstanus in Cathedra successit. Is verò cum Oswaldum Regi Edgaro plurimum commendasset, ac ei familiarem admodum effecisset, iussu illius eum Ecclesiæ Vvigorniensi præfecit.

S. Dunstani vita habetur 19. Maij.

Oswaldus fit Episcopus Vvigorniensis.

Et quidem Oswaldus infula Pontificali iam insignitus, ilico reformationi suæ diœcesis sibi incumbendum statuit. Itaque septem monasteria in sua Diœcesi, eiectis Clericis insolẽter viuentibus, construxit: Abbatesq; vitę integritate conspicuos eis præfecit. In alijs etiam Angliæ locis insignes Ecclesias, ob eãdem causam eiectis clericis monasticæ institutionis viris tradidit. Cõdidit quoq; monasterium Wigorniæ, in ipsa sede Episcopali, vt in eo cũ monachis versaretur: cæpitq; exindè miraculorũ signis coruscare. Cũ siquidẽ nõ lõgè ab illo opere li pis quidã quadrat' iaceret, illi structurę cum

Multa monasteria & Ecclesias ædificat.

cumprimis necessarius, & artifices eũ tollere conarẽtur, perindè acsi radicitus terræ inhæreret, nihil eũ mouere potuerũt. Stupor ingẽs occupat omnes, res ad beatũ Oswaldum refertur. Venit ille; cernensque magnam hominum multitudinem casso labore fatigari admiratur: moxque tacitas Deo preces offerens, videt lapidi æthiopem quendam insidere & obscænis motibus laborantes irridere. Ilicò itaque Crucis signum in eum vibrans, territum profligauit, Tum verò lapis, quem prius octoginta viri mouere non poterant, à paucis facillimè sublatus, & in structura locatus est. Extructa demùm Ecclesia ac Deiparæ virgini sacrata, collectisque ibidem nonnullis monachis, clerici plerique Cathedralis ecclesiæ, contempto seculo, monasticum amplexi sunt institutum: tanto sanè feruore, vt tãdem à Clericis ad monachos sedes Episcopalis translata sit.

Non fert virtutem S. Crucis Dæmon.

Multi Clerici fiunt monachi.

Contigit post hæc Archiepiscopum Eboracensem ex humanis excedere: iudicaturque B. Oswaldus ea sede vnus omnium dignus. Itaque cogente Edgaro Rege & S. Dunstano Cantuariensi Archiepiscopo, omnique Clero assentiente Eboracensem Ecclesiam regendam suscepit: sicque auctoritate S. Dunstani Episcopatum wigorniensem vna cum Eboracensi solicitè gubernauit.

S. Oswaldus creatur Episcopus Eboracensis.

Eo autẽ quandoque ad ripã stante, Monachi quidã aquã nauigio transmittere volebant: verum cum nimium onusta esset nauis, mergi cæpit. Consternati illi ad præsens mortis periculum, sancti præsulis opem implorant.

Miraculum.

Reformat diœcesim suam.

Ille mox signum Crucis edit, & nauis è profundo emergens, ac si nihil ferret oneris, prospero cursu ad litus perfertur. Porrò sanctus Episcopus probè noscens cum dignitate reddendæ rationis onera increscere, Diœcesim suam opportunis temporibus peragrans, quicquid comperire potuit in moribus subditorum suorum, quod oculos summi Dei offenderet, paterna castigatione corrigere satagebat. singulis diebus, præter alios innumeros quos quotidie alebat, duodecim pauperũ abluebat pedes; lotos osculabatur, capillis & linteo extergebat; manibus infundebat aquam; nummos largiebatur; cibum & potum ad mensam sedentibus apponebat: in Paschate vestibus nouis indutos, ad aliquot dies secum in aula sua retinebat.

Summa eius in pauperes benignitas.

In quanta fuerit sanctitatis.

Ceterùm tantæ fuit sanctitatis ac vitæ puritatis, etiam antè susceptam dignitatẽ Episcopalem, vt quodam tempore sacris altaribus adstanti, cum minister eius admirabili quadam cælesti visione apparente territus fugisset, auditus & visus sit Angelus ei ad singula respondere: atq; officiosè admodũ illi ministrare. Demũ die quodam egressus cum suis ex oratorio, sub diuo stans, in cælũ intentissimè oculorum aciem defixit, Christumque quem suspirabat, pio corde & ore attentius orans, tempus remunerationis suæ adesse cognouit. Itaq; reuersus in oratorium conuocatis fratribus, ministerium sacræ vnctionis cum viatico Dominici corporis sibi impendi petijt. Nocte autem sequenti oblitus aduersæ valetudinis suæ, in templum se contulit; officium diuinum exple-

Præuidet obitum suum.

expleuit:& reliqua noctis ſpatia in Dei laudibus expendit. Manè verò ſolito more linteo præcinctus,pedes pauperum lauit, & oſculans eos atque extergens,quindecim pſalmis, quos in illo miniſterio dicere ſolebat, perſolutis ſubiunxit, gloria Patri & filio & ſpiritui ſancto: cumque pauperes pro more gratias agentes ſurgerent, ille dicens Spiritui ſancto, antè illorum pedes in manus Chriſti ſpiritum reddidit; Anno reſtauratæ ſalutis 992. Epiſcopatûs ſui trigeſimo Pridiè Calendas Martij.

Sanctiſſimus obitus eius.

Cum autem corpus eius ad Eccleſiam quam conſtruxerat deferretur, niuea columba è cælo deſcendens,expenſis alis, lento volatu illud protegere viſa eſt. Ignea quoque ſphæra cælitùs lapſa ſuper feretrum apparuit. Depoſito indè antè altare ſacro corpore, viſio illa tanquam locum ſepulturæ eius deſignatura, in Auſtralem Eccleſiæ plagam iuxtà altare diuertit: ſicque ab oculis intuentium ſubducta eſt. Porrò ab eius obitu anno 12. Adolphus Eboracenſis Archiepiſcopus, reuelatione diuina admonitus VVigorniam profectus,ſacra eius oſſa è terra extulit, & in theca ſummo cũ honore collocauit. Aqua verò qua oſſa illa abluta erant, cæcis viſum, ſurdis auditum,claudis greſſum & quibuſcunq; morbidis ſanitatem reſtituit.Veſtimenta quoq; omnia,integra & incorrupta in ſepulchro reperta ſunt: ſuauiſſimũ ſpirãtia odorẽ. Multa inſuper alia per ſanctũ hũc ſuum dignatus eſt benignus Deus operari miraculorũ ſigna: quæ nos breuitati ſtudentes ſtudio prætermittimus.

Eu insigne miraculũ ad sepulchrum eius.

Eleuatio Reliquiarũ eius miraculorũ signis illustrata.

Vide Tom. 4. C. Baron. & Notat. in Martyrol. Roman.

VITA S. ELIPHII MARTYRIS: *Ex ea quæ est per Rupertum Abbatem Tuitiensem. Quo tempore floruerit ex actis constat.*

16. Octob.

EA tempestate, qua impius apostata Iulianus Romanum turbauit Imperium; Eliphius vir secundum seculi dignitatem gloriosus, & secundum Christianam fidem clarissimus, in vrbe Tullensi, quæ ciuitas est Galliarum, sanctitatis operibus cum fratre suo Euchario, & tribus sororibus, Mennia, Libaria atque Susanna egregiè florebat. Cum verò Iulianus ab exercitu Imperator acclamatus, tectum diu, simulata pietatis specie, venenum denudare, palamque Gentilium deos, in summam Summi Dei & Christi Iesu iniuriam, & Christiani nominis contumeliâ, colere inciperet; ingentē in Ecclesia tempestatem excitauit; qua Petri nauiculam breui vno impetu mergendâ sperabat. Itaq; cũ anteà domesticus fidei hostis, callidè insidias struxisset, multosq; fraudulentis blanditijs à Christi cõfessione auellere tentasset, tunc apertũ pietati indixit bellũ; cunctosq; Christianæ fidei professores flãma ferroque persequutus est. Igitur in tanto spiritu procellæ, tantisque fluctibus, cõprehensus à perfidis Iudæis paganis coniunctis, Eliphius, in tetrum ilicò ergastulum, vbi alij triginta tres Christiani pro fidei constantia vincti tenebantur, coniectus est. Sed nocte, carcere diuina prouidentia patefacto, ipse vna cum tribus illis & triginta elapsus, Tullensem ingressus est vrbem: vbi defunctæ suæ genetrici, pio, quo debuit, affectu, extremũ sepulturæ impen-

Frater & Sorores Eliphij.

Obseruanda sunt duo, de Iuliano, cum esset in Galliis, tẽpora, prius cum se Christianũ professus, Catholicus aduersus Arianos fauebat: posterius autem, cum hypocrisim exuens, Imperator tunc acclamatus, Gentilium deos colere cœpit.

Eliphius cõprehenditur, & in carcerẽ mittitur.

impendit honorem. Expleto verò hoc debitæ pietatis obſequio rurſus athleta Chriſti, non ſolum à Iudæis atque militibus paganis, verumetiam ã viris principibus quærebatur, vt aut impietati conſentiret, aut non conſentiens mortem ſubiret. Ipſe verò nequaquam mortis pro Chriſto ſubeundæ timore perculſus, ſed martyrij deſiderio incenſus, Grandem, ciuitatem, vbi tunc Iulianus fuiſſe memoratur, intrauit: & multis ibidẽ infirmis multa & egregia beneficia præſtitit. Duobus autem pòſt diebus indè diſcedens, tranſmiſſo fluuio Vera, offendit impios executores dæmonum thecas colentes, & Iudæos pariter eidem ſceleri affines, pari impietate conflictantes.

Iulianus Apoſtata, odio Chriſti, Iudæos etiam fouebat.

Grandis, ciuitas in Gallia.

Ibidem operatur miracula S. Eliphius.

Non potuit Eliphius Chriſti amore totus accẽſus tantam ſceleris impietatẽ æquo animo ferre, quin acriter in vtramq; gentẽ verbo veritatis inueheretur; & vnum eis Deum Chriſtũ Ieſum cæli terræque conditorem & humani generis Redemptorem prædicaret. Effecitque vt ſexcenti ferè & viginti viri, exceptis mulieribus, execrabili deorum inanium cultu repudiato, Chriſto ſua nomina darẽt, & ſalutare lauacrum piè ſuſciperent. Nunciantur autem hæc impijſſimo Iuliano, qui impotenti iræ dominatu victus, nec diutius belluinum animum in caueа illa ſimulationis continere valens, capitalem eum ſententiam ſubire præcepit, dicens: Flexis in terram genibus, extende ceruicem, & fulminãis gladij mortiferam ſuſcipe plagam. Tunc martyr paululum induciarum, ad offerendam Deo orationẽ, ſibi dari flagitauit. Quibus impetratis, proſtratus in terram,

Conuertit multos ab errore ad Chriſtum.

Damnatur capite.

Orat pro ſuis interfectoribus.

eleuata voce Christum quoque pro suis interfectoribus orauit, vt tetra peccato rum caligine immersis indulgentiã, & cum sanctis omnibus in cęlesti regno portionẽ tribueret. Cumq; fideles, qui aderãt, respondissent, Amẽ: surgens ab oratione, & stãs in medio multitudinis Rogo, inquit, ad Cæsarẽ, vt interfecto corpusculo locũ mihi sepulcri cõcedas. Illo respondente, Cõcedo quemcunq; locum legeris: Attollens Christi martyr oculos, & circumspiciẽs, vidit à longè montẽ excelsum, & ad Iulianum respiciens, En, inquit, Cæsar montẽ cernis ipsum in quo, volente Christo, sepulturam habiturus sum. Cum interim ad multitudinem cõuersus fidelium, pro re & tempore loqueretur, adhuc quasi patiens expectabat tyrannus; nimirum ad deuorandam animam potiùs, quam ad occidendum corpus inhiante diabolo, qui per illum operabatur. Deniq; cum iã ille testis Christi fidelissimus, cum Apostolo diceret aut reuera dicere posset: Cupio dissolui & esse cũ Christo; itemq; illud; Bonum certamen certaui, cursum cõsummaui, fidẽ seruaui: reposita est mihi corona iustitiæ: Iulianus ad blãditias sese calidè inclinans, Accipe, inquit, dignitates, accipe honores, accipe aurum & argentum, & omnia bona posside, quę nobis preciosa sunt, & esto amicus noster in eadẽ sentẽtia, in eodẽ sensu. Vir sanctus aũt memor istius ostẽsionis, qua tentator diabolus Domino nostro regna mũdi & gloriã eorum ostendens, dixit, Hęc omna dabo tibi, si cadẽs adoraueris me, dixit ad eũ: Cæsar, à diabolo seduct⁹ es, & veritatis inquisitores Christianos seducere festinas. Pecunia tua

Philip. I.
2. Tim. 4.
Blanditur ei Iulianus.
Matth. 4.

& quæ-

& quæcunque promittis, tecũ sint in perditionem: Ideò enim terrena promittis, vt cælestia tollas. His dictis, in vocem exultationis & confessionis erumpés aduersus impietatem paganicam, Iudaicam, atque hæreticam, quę videlicet impietas velut Cerberus, canis infernalis trium capitum, Catholicam tunc vexabat Ecclesiam, clamauit & dixit: Ego in Deum verum credo, & ipsum adoro in substantia vnum, in personis trinum, creatorem totius mundi atque gubernatorem, initium & finem non habentem: cuius regnum incorruptum permanet in sempiternum. Credo vnigenitum Dei patris omnipotentis filium, patri consubstantialem, coæternum atque coæqualem; spiritusancto operante in Maria Virgine conceptum; verum hominem sinè virginitatis corruptione ex ea natum, sub Pontio Pilato crucifixum: à mortuis tertia die resuscitatum; in cœlos receptũ: in die iudicij viuos ac mortuos iudicaturum; & vnicuique secundùm opera sua redditurum.

Egregia vox martyris.

Confessio martyris.

Et quidem cùm initio orationis, impetratis, vt diximus inducijs, lachrymarum riuuli ab oculis manarent: Iulianus cæterique, qui aderant, dæmonum cultores, diuinæ gratiæ prorsus ignari, cordis eius & fidei asscribebant infirmitati: ideoque haud dubiam sibi victoriæ spem Tyrannus proponebat. At verò vt admirandam illam confessionis audiuit vocem; iratus latam iam antè capitis sententiam confirmauit, deridendo dicens: Videbo si Christus tuus liberet te, & ad istum sepulchri tui, quem elegisti, locum perducet. Hoc autem iocando

Falsa infidelium opinio de S. Eliphio.

impius proferebat; quòd cum omni honore ſepulchri indignum iudicaret. Sed Chriſtus Dominus gloriam ſuam, in magnam ſcelerati Imperatoris confuſionem, manifeſtare dignatus eſt.

Truncum corpus eius, caput ad locum ſepulturæ defert.

Nam ſimulac capite truncatus eſt martyr, corpus ſeſe erexit, & ambabus amplexum manibus caput, per vnum milliare, comitantibus vtiqúe Angelis, & Chriſtum collaudantibus, deportauit: atque ita ſinè vlla offenſione ad montem peruenit. Quem deindè ſubiens, ſuper lapidem colore album, & ſitu planum, ſeſe repoſuit: qui lapis pio martyri officiosè cedes, inſtàr mollis ceræ, concauum ei ſubſellium, ſecuturis memorabile ſeculis, præbuit. Vnde hactenus mons ille à S. Eliphio nomen obtinet. Eſt autem inter Frumentoſam & Grandem medius; ab vtraque, millibus diſtans ſenis. Intereà complures infirmi, diuerſis languoribus afflicti, paſſionem glorioſi martyris venerantes, & Chriſti nomen in ea collaudantes, meritis ipſius ſanitati redditi ſunt. Hæc videntes pij lætati ſunt; impij zelo maligno zelati; & orta inter vtroſque pugna, fideles martyris magnifici meritis adiuti, & Chriſto donante, victis infidelibus glorioſam victoriam adepti, extinctorum corpora paganorũ in proximum flumen proiecerunt. Peregit autem hoc præclarum certamen martyrij Eliphius, in prato amæno, in ripa fluuioli, Vera nomine, ſito, decimoſeptimo Kal. Nouemb.

Miraculum aliud.

Mons S. Eliphij.

Claret miraculis poſt obitum.

VITA S. GALLI ABBATIS ET Confessoris: Ex ea quæ est per * VValafridum Strabonem, Abbatem Augiensem. Migrauit è corpore anno Domini sexcentesimo quadragesimo.

*al. VValfridum. Teste C. Baron in Not. ad Martyr. Rom.

16. Octob.

CVM præclara sanctissimi viri Columbani conuersatio per omnē Hiberniam celebris haberetur, & veluti splendidū ignei solis iubar singulari decore omnium in se prouocaret amorem: inter cæteros, quos fama virtutum eius attraxerat, fuit beatus Gallus religiosis non minùs, quàm nobilibus & sæculi dignitate præstantibus, natus parentibus. Qui optimæ indolis adolescens in spiritualem militiam libenter admissus, tantos in omni literarum & virtutum genere breui fecit processus, vt communi vniuersorum consilio & Columbani Abbatis mandato, inuitus post alios sacræ promotionis gradus sacerdotij dignitatem suscipere debuerit.

Fit discipulus S. Columbani.

Initiatur sacerdotio.

Dum hæc agerentur, & religionis amor in animis discipulorum egregiè crescceret, Colūbanus studio perfectionis Euangelicæ incensus, statuit, relictis omnib⁹, spreta propinquorum & prædiorum dulcedine, cōceptum mentis ardorem opere comprobare. Itaq; conscensa naui, primū in Britanniam, indè verò in Gallias transfretarunt: vbi à Rege Sigeberto peramanter excepti, eremū, cui * Vosegus nomen est, incolere cœperunt. Erat locus muris antiquitus septus, calidis aquis irriguus, sed iam vetustate collapsus, qui vulgò Luxouium voca-

* Vosagus.

Luxouiensis monasterij initia.

vocabatur: vbi, constructo in honorem Principis Apostolorum oratorio, tuguriola condiderunt; & præstantis vitæ conuersatione, multos ad idem institutum atque volũtariam paupertatem allexerunt.

Cumque hæc tam prospera cęlestis disciplinæ initia in dies proficerent, & beati Columbani sanctitas per totas Gallias & Germaniæ prouincias miraculorum gloria diffunderetur Theodoricus Rex, filius Childeberti, nepos Sigeberti, qui eo tempore Burgundionibus imperitabat, cœpit frequenti eius visitatione multum gaudere, & precum eius suffragia humiliter deposcere. Quem cùm pater sanctus increparet, quòd concubinarum pollueretur amplexibus, hortareturque vt potiùs legitimæ coniugis connubio frueretur: Brunechildis, auia Regis, verita, nè si abiectis concubinis, Regina in regni consortium assumenda, suam dignitatem, subtracto honore, viliorem redderet, stimulo malitiæ concitata, inuidiam contra virum Dei concepit acerbam: ac tandẽ post multas iniurias, inito cum Rege consilio, vt eũ regno suo deturbaret, misit legatos suos, qui ei regni fines interdicerent. Ille Iezabelis insidias vitandas ratus, ilicò cum suis ad Clotariũ Regem abijt: apud quem aliquanto tempore cũ fructu pietatis exacto, ad Theodebertum Austrasiorum Regem deindè concessit: qui tanti viri & discipulorum eius discessum non ferẽs, potestatem ei fecit quemuis in regno suo locum eligendi; vt in eo & tranquillam Deo seruitutem cum suis exhiberet, & vicinas nationes verbo veritatis pariter instrueret.

Corripit Theodoricũ Regem.

Brunechildis eum expellit è regno.

Acce-

Accepta igitur hac à Rege licentia, placuit eis, locis plurimis perlustratis, Tucconia; locus ad caput lacus Turicini situs, amœnitate quidem sua gratus atque ad habitandum commodus: sed propter incolas crudeles inprimis & impios, ac idolorum sacrificijs & augurijs deditos, execrabilis. Sancti verò, vt cœpêre inter illos virtutum splendore coruscare, & nebulas impietatis dispellere, primò quidē haud ita magnas ab impia gente passi sunt difficultates: sed vbi Gallus zelo pietatis armatus fana illorum succendere, idola demoliri, & obuia quæque in lacum demergere cœpit; nefarij illi ira & furore commoti, Gallo necem, & Colūbano supplicia flagellorum inferre decreuerunt. Quo cognito, viri illi sanctissimi non timore persecutiōis perterriti, sed spiritalis lucri amore persuasi, relicta sterili cōtumacium turba, ad castrū, quod Arbona vocatur abiêre: vbi à presbytero quodam, VVillimaro nomine, insigni pietate viro peramanter excepti, & diebus septem reuerenter habiti sunt. Ab eo deindè edocti in ea solitudine quēdam esse locum, & vbertate terræ, & ruinis veteris structuræ, eremiticæ vitæ mirè commodum, mox eò profecti sunt: Erat ibi oratorium sanctę Aureliæ sacrum, sed planè neglectum: quod Columbanus postmodum in pristinum honorem, renouato cultu diuino, restituit: & cellulas hinc indè exstruxit, vili quidem scemate ornatas, sed incolarum virtute ac sanctitate conspicuas. Porrò eodem in oratorio erant tres æreæ imagines, auro mirificè fulgentes, quibus populus dæmonum fraude deceptus supplicabat

Veniūt Tucconiam idololatriæ deditam.

Eo loco relicto, Arbonā adeunt, & ibidem excipiūtur hospitio à quodam VVillimaro presbytero Brigantium nomine.

Oratorium S. Aureliæ reparatur, & cellæ aliquot construuntur in Brigantio.

bat, & honores diuinos insano prorsus cultu decernebat. Quod conspicatus Gallus, vt erat non modò Latini, sed barbarici etiam sermonis egregiè peritus, ambonem ilicò conscendit, & nefandum idololatriæ scelus constanter redarguit, arreptisque deindè dæmonum statuis in frusta eas cõminuit, & populum à tanta impietate liberauit.

Zelus S. Galli.

Cùm autem loco iam ritè purgato, puram ibi Deo in summa vitæ tranquillitate exhiberent seruitutem, & quisque pro viribus laboraret: & alij terram proscinderent, alij pomiferas arbores excolerent, beatus Gallus texendis retibus & piscium capturæ tanto cum prouentu vacabat, vt non suis modò, sed & peregrinis aduentantibus magna charitate abundè subueniret. Accidit autẽ quodam noctis silentio, quòd, viro sancto in piscatura occupato, dæmon magno vocis strepitu de vertice montis proximi boaret, & alterum quendam dæmonem nominatim, quasi in lacu commorantem inclamaret: eiusque opem contra beati Galli ac sociorum eius virtutem imploraret. Commoueat te, inquit, iniuria, quam patior ab his peregrinis; qui me de templo meo expulerunt: & populum post se auerterunt. At ille suorum impotentiam manifestans respondit: Et quidẽ similis casus, eheu, me coarctat: vnus siquidem ex illis in pelago me premit, & mea deuastat; cuius nec retia vnquam corrumpere, nec subuertere possum. Nam, inuocato assiduè Christi nomine, nostras contemnit insidias, & versutias superat. His auditis, Gallus signo Crucis vndiq; munitus festinè ad littus redijt, & Ab-

S. Galli industria & sedulitas.

Dæmonis insidiæ.

& Abbati suo Columbano audita narrauit. Ille dato cõfestim signo, cunctos ad ecclesiam conuocauit, atq; in orationem cum suis prostratus ingentem dæmonum cateruam, per montium cacumina horrendè eiulantem, in fugam compulit: locumque dæmoniorum terriculamentis infestum ritè perpurgauit. At verò, fugatis dæmonibus, ciues quidam, propter idolorum suorum abolitionẽ vehementi odio in sanctos concitati, Gunzonem loci istius ducem excitarunt, vt eos pelleret. Qui calumniatorum sermonibus facilè in eam mentẽ inductus, vt crederet illorum infestatione publicas venatiões esse turbatas, protinus missis nuntijs eos discedere iussit: Sed & incolæ duos insuper ex illis, vaccam quam furto abstulerant requirentes, morte mulctârunt: quos sancti fratres męsti in oratorio condiderunt.

Profligat dæmones S. Columbanus.

Gunzo Dux eos pellit, & incolæ duos occidunt.

Post hæc cùm Dux discessum eorũ vehementiùs vrgeret, & Columbanus suos, vt poterat, solatus acceleraret, B. Gallus repentina febre correptus, ad VVillimarum presbyterũ, curãdæ valetudinis ergò, redire est coactus. Existimabat aũt Columbanus eum simulato morbo longioris viæ detrectare laborẽ: vndè abiturus interdixit Gallo diuinorũ celebrationem mysteriorum; præcepitq; ne se viuente Missam facere præsumeret. Columbano autem & socijs longiori interuallo remotis, mox amissam mirabiliter sanitatem recuperauit: diuina vtique prouidẽtia infirmatus, vt in ea regione multorum spiritalium filiorũ pater existeret. Igitur sanitati restitutus, eremiticæ vitæ cupidus, duce Hiltiboldo VVilliamri diacono vastam est in-

S. Gallus infirmitate detentus remanet.

Conualescit.

Eremum adit.

est ingressus eremum; in qua Dominus singularem eximiamque viri sanctitatem eidem diacono reuelare dignatus est. Cùm enim longi itineris fessi laboribus cibum pariter sumpsissent, & Hiltiboldus leni deindè sopore mēbra reficeret, Gallo interim orationi instanter vacante, eccè sæuus repentè de monte accurrit vrsus, micas & fragmenta, quæ conuiuantibus deciderant, collecturus. Quod factum homo Dei contemplans, dixit ad feram: In nomine Domini præcipio tibi, vt lignum igni nostro fouendo necessarium citò adferas. Ad cuius præceptum agrestis bellua validissimum lignum, dorso sublatum, attulit, & in ignem iniecit. Quo accepto obsequio vir sanctus integrū famulanti porrexit panem, præcepitque vt in nomine Domini abiens circumpositos montes & colles ita communes haberet, vt tamen nulli cuiquam damnum inferret.

Vrsus ei paret & inseruit.

Insidiæ dæmonum.

Nocte deindè illa in precibus exacta, manè Hiltiboldo ad fluuium eunti, & rete in gurgitē mittenti duo cacodæmones in effigie mulierū sunt obuiam facti: qui diaconum nudata turpitudine, ad scelus inuitabant. Quod simulac reuersus beato Gallo indicasset, simul in terram prostrati precum suarum instantia, ac vi orationum, ex illo confestim loco eos expulere. Post quæ eremi valle perlustrata, cum locum commodissimum reperissent, ibidem Cellam ædificarunt: & serpētum plurimam indè multitudinem diuino implorato numine profligarunt. Inter hæc Ducis Gunzonis filia singulari pulchritudine virgo, Fridiburga nomine, à dęmonio miserabiliter est arrepta; tantisque agitata

Fridiburga Ducis Gunzonis filia à dæmone obsessa.

tata molestijs, vt parentibus, totique familiæ, ingentem cum miserabili mœrore luctum adferret. Ad quam euocatus vir Dei eam, cùm à duobus Episcopis curari nequiret, sua oratione repentè liberauit; & Ducem, ac Sigebertum Regem præcipuè, Theodorici filium, qui eam sibi desponsauerat, incredibili gaudio perfudit. Quibus ita perpetratis, Dux ingentia ei dona, quæ Rex puellæ transmiserat, obtulit: atque vt pontificatum Constantiēsem assumeret, enixè postulauit. Et quidem summū illum honoris gradum cōstanter recusauit, dona verò ac munera ita admisit, vt ad amicam reuersus solitudinem, cuncta pauperibus distribueret: ipse tantæ paupertatis amator, ac pauperū & egenorum benefactor, vt ne argenteum quidem vas preciosum valdè inter alia dono acceptum, in sacri ministerij vsum reseruare voluerit: asserens præceptorem suum Columbanum in æneis Domino sacrificare solitum; vtpotè quòd Saluator ipse, Sacerdos & sacrificium in ara Crucis æreis clauis Deo Patri suo immolari voluerit.

Eam liberat S. Gallus.

Recusat Episcopatum.

Cuncta largitur pauperibus, etiam argenteum vas.

Porrò Fridiburga Ducis filia tanto à beato Gallo per Dominum beneficio affecta, eiusdē sancti viri consilio suam Christo virginitatem obtulit. Instante enim nuptiarum die, cùm inducias septem dierum haud difficulter, recuperādarum prætextu virium quas dæmonis agitatione penitùs conquassatas esse querebatur, à Rege impetrasset, toto illo tempore precibus & lachrymis incubuit; ac postremò, deposito terrenæ dignitatis amictu, ecclesia beati Protomartyris introiuit, ibidemque sancti-

Fridiburga virgo consecratur Christo.

moniæ nitorem cum quodam ſui contemptu ſecuta, ad altare acceſſit, ſuamque Deo virginitatem dicauit: cuius votum Rex iuſtitiæ tenax & timore Domini plenus tandem ratum habuit. Non poterat abſcõditum amoris ignem, quo eam deperibat, occultare: quin profuſis lachrymis eccleſiæ limen excedens, eum patefaceret. Egregiè tamen amoris vehementiam Domini timore repreſſit, & Chriſti ſponſam donis ingentibus honoratam, virginum monaſterio (quod in Metenſi ciuitate, vbi cuncta hęc agebantur, Principi Apoſtolorum ſacrum eſt) præfecit.

En pientiſſimi Regis mortificationem.

Fridiburga præficitur in Abbatiſſam.

Poſt hæc Dux cupidus beatum Gallum ad Conſtantienſem promouendi dignitatem, nihil non moliebatur, vt eum honorem vir ſanctus admitteret: ſed ille ſummus eremi & quietis amicus, ac humilitatis amator præcipuus, eam dignitatem ad Ioannem diaconum diſcipulum ſuum reiecit. Erat is Ioannes ſtudio & induſtria beati Galli ſacris literis probè eruditus, & eo honore nequaquam indignus. Parebat tamen in omnibus diſcipulus, quanquam antiſtes, Ioannes præceptori ſuo Gallo, & Gallus pariter, precibus, conſilio, & ſacris interdiu concionibus diſcipuli onus ſubleuabat, dabatque operam vt creditum ei gregem ſubditum, & doctoris ſui amantem redderet.

Ioannes diſcipulus S. Galli fit Epiſcopus Conſtantienſis.

Condit monaſterium S. Gallus.

Confirmato verò in dignitate Ioãne, beatus pater, cultor cæleſtiũ virtutum eximius, condidit monaſterium; in quo fratres duodecim monaſtici ſanctitate propoſiti roboratos conſtituit, & doctrina pariter & exemplo ad æternorum deſideria præclarè concitauit. Interea verò

verò beatus Columbanus in Italia vitæ munere sanctissimè perfunctus est: quod simulac cælesti visione edoctus cognouit Gallus, ad intermissa in illum vsque diem diuina mysteria festiuè celebranda se comparuit. Cumque stupente Magnoaldo diacono, & in memoriam ei Columbani interdictum reuocante, sacrificiũ obtulisset, ait ad discipulum eundem illũ Magnoaldum: Vade, ad Bobium Monasterium, & diligenter de obitu Patris nostri Columbani inquirito; vt scias, cognito die & hora, visionẽ nostram nequaquam esse inanem. Abijt is patris sui benedictione munitus, veniensque ad monasterium: & beatum vita functum cognouit, & baculum eius à fratribus ad Gallũ transferendum accepit. Columbanus enim iam migraturus fratribus præceperat, vt eum beato Gallo in certissimum absolutionis indicium quanto ociùs destinarent.

Celebrat rursus sacrũ defuncto Columbano.

Bobium mõasterium S. Columbani.

S. Columbãni vita habetur 21. Nouemb.

Post hæc Abbas monasterij Luxouiensis Eustachius ab huius vitæ exilio ad supernam patriam migrauit: & beatus Gallus ad honoris istius onerisque successionem à fratrib. multis precibus euocatus fuit. At ille tenax sui propositi, nullo modo humilitatem ac paupertatẽ suam vllis vel honorum vel diuitiarum sordibus inquinari est passus. Cùm verò bonorum omnium auctor Deus, athletam suum laureis premiorum perennibus vellet adornare, VVillimarus infimis precibus eum ad Arbonense castrum inuitauit: vt salutaribus institutis animos omnium ibidem imbueret. Quò vt peruenit, postquàm biduo ibidem salutarem diuini verbi succum multorum cordibus

S. Eustachij vita habetur 29. Martij.

Non vult esse in dignitate, vel honore.

Obitus eius in castro Arbonensi.

instillauit, tertia die febre correptus, quarto demum decimo die, expletis nonaginta quinque ætatis suæ annis, ex vitæ huius ergastulo migrauit; bonorum operum in vita plenus, & multis magnisque miraculis post mortem clarus: Sacrum corpus eius, cum vt ibidem sepeliretur loco moueri non posset, fuit duobus indomitis equis impositum, atque ab eis mirabiliter ex Castro recto itinere ad Cellam in eremum delatum: ibidemque competenti honore terræ mandatum.

Locus sepulturæ eius.

Teste C. Baron. in Not. ad Martyr. Roman. Vide & Tomo 9. Annal.

VITA S. LVLLI ARCHIEPISCOPI Moguntini: vt habetur in breuiario Moguntino: Migrauit è corpore anno Domini 787. cùm sedisset annos 32.

16. Octob.

Patria eius.

LVLLVS apud Anglosaxones in Britannia natus, à primis annis Christum cum literis imbibit. Nam adhuc septennis cuiusdam monasterij patribus commendatus, nihil omisit, quod ad promerendam Dei gratiam pertinere posset. Corpus, cùm adoleuisset, assidua edomans abstinentia, spiritui subijciebat: in sanctarum verò scripturarum meditatione, tanta diligentia versabatur, vt omnes in admirationem sui conijceret. Fama autē eo tempore per Britanniam crebrescente, de rebus feliciter gestis Bonifacij Moguntinę vrbis Archiepiscopi, cui Lullus sanguine iunctus erat, ijsq; in locis messem quidem vberrimam, at operariorum maximam esse penuriam: cœpit animo voluere quomodo tam sancta & necessaria functione occupato opem ferre posset. Iam iam Diaconatus gradum adeptus, ex superiorum

Pietas eius.

rum suorum voluntate iter ad Bonifacium suscepit.

Sic longo terra mariq́ue emenso itinere, Germaniam adijt; cuius aduentu Bonifacius mirificè est recreatus. Qui cùm sanctissimæ ipsius conuersationis, affluentis doctrinæ, flagrātisq́ue in Deum animi certiora experimenta cœpisset, inuitum ad sacerdotij dignitatem prouexit, & lateri suo semper adhærere voluit. Postquàm autem diu prædicationi sedulò incubuisset, multisq́ue alijs grauibus negocijs obeundis fidem & industriam suam probasset: Bonifacius iam in Frisiam iturus, ipsum præsente Pipino Rege, successorem sibi in Moguntina sede constituit. Quam ille prouinciam in decrepitam vsque ætatem, docendo, monendo, arguendo, sanctè & prudenter, tanquam boni patris haud degener filius, administrauit.

Venit Moguntiam ad S. Bonifacium.

Fit Sacerdos.

Succedit Bonifacio in episcopatu Moguntino.

Tandem per spiritum cognoscens dormitionis suæ instare diem, vocato coepiscopo suo Alboino, viro valdè religioso, iniunxit, vt sacris prius celebratis mysterijs, se ad Heresfeldense monasterium præcederet. Ille sinè mora sacrum perficiens, etsi toto corpore incolumis videretur & sanus, cùm sacramentis Dominicis participasset, vnà cum Missa finiuit & vitā. Nihil hoc casu motus Lullus, obitus sui prænuncium naui secùm impositum, per Moganū in Heresfeldense cœnobium, priùs à se extructum, aduehens, honorificè sepeliuit. Vbi etiam morbo protinus correptus, Archiepiscopatus sui anno tricesimo secūdo, placida morte in Domino defunctus est. Corpus ibidē positum,

En mirabilē exitum Alboini coepiscopi viri sancti.

Heresfeldē se monasterium à quo exstructum.

Obitus S. Lulli & corporis incorruptio.

tum, eximijs miraculis clarum, cum post sexagesimum annum è terra leuaretur, eo membrorum omnium decore ac vestium quoque nitore inuentum est, vt illo ipso die expirasse, ac sopore potius, quàm morte sepultus videretur.

VITA S. BERCHARII ABBATIS & Martyris: Ex Vincentij Speculo Historiali, Libr. 24. cap. 114. & 115. Claruit anno Domini 660.

Teste C. Baron. in Not. ad Martyr. Rom.

16. Octob.

SANCTVS Bercharius, sub sancto Niuardo Rhemorum pontifice, moribus & sapientia imbutus, Luxouiense monasterium expetijt: vbi sub Abbate sancto Eustachio monasticam vitam duxit. Cùm aũt in cura promptuarij, rectoris nutu esset implicitus, quadam die subitò iussu eius est vocatus. Fortè ille tũc, è vase, epistomium manu tenens, cerealem potum promebat. Mirum dictu: ad vnius iussionis nutum relictis, quæ habebat, in manibus, cucurrit concitus, ardore obedientiæ, amphoræ custodiendæ oblitus. Illoque ante Abbatem stante, interim potus in vasculum suppositum defluere non cessans, postquàm ad superficiem vasis peruenit, in modum columnæ supernè constipatum, in gyrum coronari cœpit. vltrò cerneres illud liquamen, quod vix clausum valet contineri, in sublime tolli: vt liquidò patesceret, quanta esset virtus obedientiæ, cuius fructus nullo modo possit in terra deperire. At ille, quod acciderat, non suo, sed Abbatis merito deputauit.

Venit in monasterio Luxouiensi. S. Eustachij vita habetur 29 Martij.

Egregia Bercharij obedientia magno miraculo illustratur.

Iam

Iam verò regularibus disciplinis institutus & eruditus, ad sanctum Niuardum reuertitur. Qui cùm in quodam prædio suo cœnobium ædificare vellet, cum Berchario vicum quēdam Spernacum, quem beatus Remigius ecclesiæ Rhemensi precio acquisierat expetens, in ipso processu itineris graui sopore deprimitur, ita vt eundi facultate remota, equitum suorum comitatum stare præciperet. Itaque Niuardus paululùm quieturus sub fago frondosa in Bercharij decumbentis gremium, vertice composito, se reposuit. Interim eo quiescente, subitò niuea è sublimibus visa est descendere columba: quæ primùm arbori residens, indè rursus auolans, locum quo cœnobium cōstrui debeat, gyro designauit, ac præsentia sanctificauit. Ea tam præsenti visione ac miraculo Niuardus ad opus maturiùs aggrediēdum excitatus, statuit totum Bercharij industriæ committere: qui in ipso loco, qui Altiuillare dicitur, cœnobij fundamenta iecit, nec priùs ab opere destitit, quā cœptum ad laudem Dei compleret. Congregauitque illic viros monasticæ disciplinæ apprimè amantes, & cunctis virtutibus egregiè ornatos.

Reuertitur ex monasterio ad S. Niuardū Rhemorum episcopum.

B. Remigij vita habetur 1. Octob.

Visio Bercharij vigilantis.

Altiuillarē. se monasterium condit.

Inter cæteros autem vnus fuit Dagouinus nomine, quem vir sanctus de sacro fonte susceperat & ad monasticæ vitæ institutum per increméta virtutum euexerat. Accidit autem vt is culpæ cuidam obnoxius, duriùs, vt par erat & iustitiæ ratio exigebat, à viro sancto increparetur. Quod ille homo nequā adeò grauatè tulit, vt Satanæ suggestione stimulatus, sanctissimo patri necem inferre cogitaret. Itaque

nocte quadam in Abbatem sopore oppressum ferro armatus irruit, ac lethale vulnus furibũdus inflixit. Deindè arreptum ferrum, quo facinus nefandum occultaret, in laticem monasterij festinè demersit. At latex velut tanti sceleris conscius, ferrum illud in se recipere detrectauit. Nam mox, vt aquam attigit, instar plumæ leuissimæ, super vndas natauit. Nefarius verò homicida amens factus ecclesiam petijt, cruentisque manibus signum pulsare cœpit. Fratres non consueta hora cum admiratione surgentes, intellecta nece viri sancti, ad lectum eius concurrentes adhuc spirantem inuenerunt. Compræhensum igitur Dagoninum ei obtulerunt, vt quid de tanto scelere pronunciaret, cognoscerent. At ille Domini non immemor: Deum, inquit, tibi frater pœnitentia placatum redde: nam me quod attinet omni te liberum impietate dimitto. Ex eius sepulchro longè post oleum visum est scaturire: cunctis morbo correptis salubre.

Occiditur à suo monacho.

Fugens miraculum.

Ex eximiam virtutem mansuetudinem.

Sepulchrum eius miraculis celebre.

MARTYRIVM S. ANDREAE CRETENSIS Monachi: *Ex eo quod est apud Metaphrasten. Coronatus est anno Dominici Natalis 761. Pauli Papæ 5. Constantini Copronymi Imperatoris 21. Alius hic est ab eo, qui celebri est inter Græcos scriptores ecclesiasticos, cuius celebritas agitur in Menologio IV. Nonas Iulij.*

Vide Tom. 9. Annal. & Notat. ad Martyr. Rom.

17. Octob. BEATVS Andreas ab ipsis incunabulis ad omnem sanctitatem, aspero & rigido vitæ instituto, atq; cęlestibus disciplinis egre-

egregiè institutus, præclarum suæ pietatis & fidei, Constantini Copronymi tempore, dedit documentum. Is enim mentis errore seductus cum imaginum vsum interdixisset, omnibusq; earum cultoribus mortis supplicium proposuisset, Andreas fidei & Catholicæ religionis ardore, incensus non dubitauit Bizantiũ contẽdere, vt aduitam religionem contrà Imperatoris impietatem defenderet, & Christi vinctos vel in libertatem assereret, vel vna cum illis martyrij gloriam subiret. Itaque cum insanam Constãtini Imperatoris impietatẽ longè lateque grassari, & alios quidem in vincula & carceres coniectos, alios verò per mõtes & syluas fugibundos errare intelligeret, ipse, vt tantæ calamitati obuiam iret, constanter in hunc ferè modum Imperatorẽ redarguit: Cur, inquit, tu ô Imperator Christianis initiatus legibus, qui de Christi nomine, & tua professione gloriaris, tanta rabie in Christi imaginem & in seruos eius, precioso illius sanguine redemptos, desæuis?

Constantinus Copronymus sæuit in Catholicos propter imagines.

S. Andreas arguit Imperatorem.

Ad eam animi magnitudinem & dicendi libertatem stupefactus quasi Imperator, Et vndenam, inquit, ô homo, tanta tibi audacia & inscitia, vt iussis audeas repugnare Imperatoris? Sed video quid sit: Scilicet vt aliquam nomini suo celebritatem acquirat, tanto sese periculo exponere nõ dubitat. Ad quæ Andreas; Nequaquam, inquit, hoc vel audaciæ vel inscitiæ, adscribendum est; neque tanti me nominis celebritatem & Imperatoriam maiestatem facere existimes, qui diu cuncta huius mũdi ludibria despexi, ac pro nihilo duxi: sed vt

Collocutio inter Imperatorem & Andræam.

te tuosque vel ab errore, quo Orthodoxam fidem impugnatis, liberem, vel meo sanguine indignus Christi Ecclesiam illustrem, huc accessi: Eo responso superbus Imperator ad iracundiam motus; Certè, inquit, venisti, magna visione apprehendens, & animo agitans; nempè vt ipsum Imperatorem & omnes magistratus, & venerandam denique Pontificũ omniũ canitiem ad tuã opinionem traducas. Sed, omissa verborum contentione, te hortor, moneoq; vt ab hac animi tui superbia & profunda mentis caligine recedas, & communé nobiscũ sententiam sequaris. Quid tu Mosis legislatoris, immò Dei ipsius præceptum, qui similitudines fieri prohibet, impiè contemnes?

En tibi imperitum Iconomachorum argumentũ.

Martyr ad hæc, sublatis ad cælum oculis; Non te, inquit, negabo, Christe Saluator, nõ te pulchra confessione frustrabor: neque tuã contumelia afficiam imaginem. Deindè cõuersus ad Imperatorem: Non tibi, inquit, videtur pati pro Christo, qui pro illius forma patitur? neque ad primũ exẽplar credis trãsire ignominiã, qua imago afficitur? Et quomodo vos eos sæpè, qui Imperatorias contumelijs affecêre statuas, perindè ac eos, qui vos probris sũt insectati, vltimis affecistis supplicijs? Quod si vos puluis & vmbra, sic honoramini statuis, & imaginib', & acerbissimè in eos, qui imagines vestras venerari recusant, animaduertitis; quo demum supplicio digni reputandi sunt, qui sacram Christi figuram ore sacrilego ac manu violant? Quis enim nescit huiusmodi ignominiã non tã imaginis, quam archytipi ipsius esse? Hæc cũ dixisset, velletq; obiectũ de Mose argumentum soluere

Andreas egregiè refutat Iconomachorum argumenta.

mere, Imperator, sermonē interrumpens, iussit eū vestimētis spoliari, nudumq; funibus extēsum vehemēter flagellari. Martyr autem in eo supplicio cōstitutus, sublatis ad suū agonothetā tam corporis quā animæ oculis, præclarum de Imperatoris tyrānide agebat triumphū. Addebantur intereà crudi boum nerui; fluebant è sacro corpore sanguinis riui; solum purpureo colore tingebatur. Ministri verò vt maiorē Imperatoris captarēt gratiā, strictis gladijs, quidā mortē intentabāt, quidā lapides in eū iaciebāt: alij iniurijs & contumelijs varijs eum diuexabāt. Quibus Imperatoris furore nōnihil mollito, versut' planè & fraudulētus supplicia cessare iussit; ratus se robustū martyris pect' blanditijs superare posse. Sed cū martyr callidi serpentis insidias execratus, maiore dicendi libertate amentiā eius argueret, confestim iussu Imperatoris maxillis eius lapidibus cōfractis, in carcerem est missus.

Crudelissimè torquetur S. martyr.

Ibi diebus plurimis magno sanè Christianorum gaudio & fructu, qui eodē ergastulo vincti tenebātur, exactis, rursus ad supplicia & flagella euocatus fuit. Fuit tunc multò quam antè atrociùs in sacrum eius corpus sæuitum. Laniabant eius carnes, fodiebāt latera, scrutabātur ferro viscera, sed recōditum in corde fidei thesaurum suffurari non poterant. Vnde Tyrannus furoris stimulis acerrimè concitatus, sententiam tulit, vt alligatis pedibus per terrā ad supplicij locum traheretur. Nec mora: Iniectis funibus per viam publicam raptatus fuit. Cumque ad vrbis forum toto iam corpore fœ-

Dira supplicia.

datus

Trahitur per terram ad locum supplicij.

Cedit è vita.

datus, protractus esset: quidam piscator à maligno concitatus è sua sede prosiliens, arrepta securi, pedem athletæ amputauit. Quo vulnere accepto vir generosus è corporis ergastulo ad cælos emigrauit. Corpus eius fuit à carnificibus, in loco maleficorum, feris & cæli volucribus cum firma custodia deuorandum expositum. Sed Deus, præclarum illum thesaurum non est passus vel à bestijs deuorari vel perpetuò latere: immò multò post, cum iam spes omnis potiundi corpore sepulta videretur, mirificè illustrauit. Nam die quodam viri duodecim, qui multo tempore varijs dæmonum vexationibus agitabantur, ad locum illũ venientes & confusis vocibus sanctum inuocantes, quinetiam manibus terram fodientes, corporum in congeriem inciderunt: alijsque præteritis, beati martyris, ex mira odoris fragrantia, & salute, qua, ad primum eius contactum, fruebantur, ilicò cognouerunt. Quod deindè in loco, cui nomen est Crisis honorificè cõdiderũt: vbi multis virtutibus egregiè coruscat.

Corpus eius inuenitur à dæmoniacis.

Tumulus eius miraculis celebris.

Vide Tom. 1. C. Baron. Annal. & Notat. in Martyrol. Roman.

a *In prima oratione in Iulianum.*

b *Lib. 2. ca. 43.*

VITA S. LVCAE EVANGELISTAE.

Ex ea quæ est per D. Hieronymum, Lib. de Viris Illustribus: & Metaphrasten. An martyrio occubuerit, dubium relictum videtur. Num D. Hieron. & Metaphrast. nullam martyrij mentionem faciunt. a Nazianzenus autem eum inter martyres recensuisse videtur: & b Nicephorus genus etiam martyrij expressè describit: & Glicas, Lib. 3. Annal. Et alij item nonnulli.

VIR planè diuinus & artium maximarũ disciplinis excultissimus, beatus Lucas, Antiochia ciuitate oriundus fuit. Qui cùm esset indole optima & generosa, animum à puero ad studia disciplinarum appulit; & Syriacam ac Hebraicam linguã exactissimè edoctus, miros in diuinarum scripturarum campo fructus collegit. *18. Octob. Patria eius.*

Vt primos adolescentiæ attigit annos, ad florentissima (quæ tum in Græcia, tum in AEgypto erant) gymnasia sese contulit: vbi Græcas literas, omnemque eruditionem præclarè imbuit, atque ad apicem Philosophicæ dignitatis assiduo studio, & ingenij fœlicitate summa cum laude peruenit. Indè ad Medicinæ facultatem gradum faciens, eam tam perfectè est assequutus, vt ab hac deinceps nomen obtineret. Postquàm autem ingenij magnitudine ac dexteritate, humanæ doctrinæ fastigium hoc modo adeptus est, animus eius rerum maximarum semper cupidus, magno ardore cælestia & sempiterna moliri. *Excellens in genere eruditio S. Luc.* *S. Lucas præstantissimus medicus.*

Eodem illo tempore humani generis Saluator Christus Dominus, fama Euangelicæ prædicationis & stupendis virtutibus vniuersam Iudæam ac Galilæam impleuerat; & ingẽtem hominum multitudinem ab infælici dæmonis tyrannide in libertatem vindicauerat. Quo audito Lucas, cunctis rebus postpositis, confestim eò contendit, & salutis consequendæ auidus, Christum de regno cælesti differentem audiuit. Nec mora: Cælestis doctrinæ lumine illustratus, dictum factum pecunias abiecit, possessiones contempsit, cognationem & *Venit ad Christum Lucas.*

ipsa

ipsa naturę viscera Christi amore facilè despexit: totumque sese in eius disciplinam lætabundus tradit. Ab hoc igitur tempore Christi discipulus, & comes penè indiuiduus, ac testis postremò resurrectionis, factus est fidissimus. Cum enim ad Emaus agrum, tristitia & & mœrore plenus vna cum Cleopha pergeret, iamq; amissa penè resurrectionis spe, de Christi passione & morte disseereret, Dominus se medium ingerens, cæpit tarditatem cordis eorum incredulitatemq; improperare, & resurrectionis mysterium multis veterum prophetarum testimonijs confirmare. Neque eo contentus, benignè ab eis ad hospitium inuitatus, mensæ communionem non recusauit, occulto igne diuini amoris corda eorum inflammans: donec in panis fractione ab eis agnitus ex oculis eorum euanuit.

Lucam vnũ fuisse. ex 72. discipulis auctor est Epiphanius Hæres. 51. Lucæ 24.

Igitur eo spectaculo & in fide mirabiliter confirmatus, & ardentissimo Christi amore incensus, à Saluatoris in cælum ascensione, hic duodecim Apostolis sociatus, & eadem gratia ac potestate repletus, Gentium præceptor designatur, laborum ac tribulationum, quas à Græcis sustinuit plurimas. sanè patientissimus. Nihil enim asperum, nihil ei durum videbatur, si modò miseras gentes ab errore & sempiterna pernicie ad veritatem & salutis viam reuocare posset.

Laborat plurimum in conuersione infidelium.

Postquam verò Paulus dispulsis errorũ tenebris, cælesti lumine illustratus est, Lucas ei socius itineris & peregrinationis comes constitutus, adeò illi in cunctis ferè certaminibus, vinculis ac carceribus, conformis ac domesticus,

Lucas socius Pauli in cõuersione gentium.

cus & per omnia gratus effectus est, vt freqnẽter eum dilectum suum nominare non dubitauerit. A Hierosolymis ad Illyricum vsque vnà cùm Paulo passim læta Euangelij sparsit semina, & á Iudæa Romam vsque vnà cum eo vinctus, ijsdem laboribus, ijsdem afflictioniqus, cjsdem communicauit naufragijs: vt gentes miseras & dæmonis seruitute oppressas in Christi libertatem assereret. Hinc & Euangelium, & clarissima Apostolorum acta, eleganter contexuit, vt posteris etiam laborum suorum fructum relinqueret. Quin & inter cætera hoc vnum cunctis fidelibus meritò gratissimum munus præstitit; quòd typum assumptæ humanitatis Christi, eiusque Genitricis sanctissimæ effigiem luculenter admodum depinxit; eorum imagines viuas quodammodò nobis reliquit.

Scripsit Euangeliũ & Acta Apostolorum.

Pinxit imaginem Christi, & S. Mariæ.

Cæterũ Paulo Romæ relicto, rursus Gẽtibus alijs atque alijs salutem annunciaturus ad Orientem discessit, totamque Lybiam percurrẽs in AEgyptum peruenit. Cumque superiorem Thebaidam face Euangelicæ lucis illustrâsset; ad inferiorem pari alacritate accedens, pontificiam ibidem auctoritatem, à spiritu ità edoctus, exercuit. Nam statuis, & impuris dæmonum delubris solotenus deiectis, sacra templa contrà soli Deo erexit; gentemque miseram in profundis ignorantiæ tenebris immersam in lucem adduxit.

Annuncias Christum AEgyptiis.

Huiusmodi igitur certaminibus peractis, impietate iam de medio sublata, & Christi regno in terris stabilito, vir sanctissimus, totiꝰ vitæ cursu expers vxoris, ætatis suæ octogesimoquar-

Lucas vxorẽ nunquam habuit.

Translatio reliquiarum eius Constãtinopolim.

moquarto, è corpore ad cælos migrauit. Sepultus est Constantinopoli; ad quam vrbem vicesimo Constantij anno, qui fuit Christi Domini 356. ossa eius cum reliquijs Andreæ Apostoli translata sunt de Achaia.

a Teste C. Baron. Tom. 2. Annal.

MARTYRIVM S. IVSTI, SIVE IVstini, nouem annorum pueri; Ex eo quod est apud V. P. Laur. Surium: ex Venerabili Beda Tomo 3. descriptum. a *Passus est anno Christi 303. Marcel. Pap. 7.*

18. Octob.

b eorum Imperij Anno 20.

Ingens persecutio in Christianos.

Rictiouarus crudelis Christianorũ persecutor.

DIOCLETIANO b & Maximiano Imperij dignitatem administrantibus, tanta in Christianos persecutionis desæuijt tempestas, vt nemini quidquam vel emere, vel vendere, vel aquam denique haurire liceret, nisi priùs infandis dæmonum idolis thura cremaret. Ea tẽpestate Rictiouarus præfectus, missus in Gallias, immanis Christi & Christianorum hostis, innoxiorum hominum sanguinem sitiebat: & Basileę multos Christianos in aquis præfocatos martyrio coronauerat, cæterisque vbiuis locorum degẽtibus eiusdem crudelitatis edictum proponebat.

Parentes S. Iustini.

Per id tempus fuit Antissiodori Matthæus quidam, vir bonitatis & iustitiæ laudibus admirabilis; qui duos habebat filios Iustinianũ & Iustinum: quorum ille ætate, hic morum maturitate anteibat; vitæ innocentia ac sanctitate in tenera licet ætate, omnibus conspicuus. Antè autem, quàm hic Iustinus in lucẽ ederetur, frater eius Iustinianus ab hostib. captus, & in seruitutem procul abductus est. At

Iustini sanctitas in tenera ætate.

beatus

beatus puer Iustinus, à teneris annis, rebus diuinis mirificè deditus, eò virtutum & gratiarum, largiente Domino, peruenit: vt multa diuinitus edoctus, inter cætera fratrem quoque suum in seruitute degere, eiusque herum Lupum Ambianis habitare cognosceret. Itaque fratris amore inflammatus, patri idipsum indicauit; hortans eum, vt ad redimendum filium iter suscipiat. Cumque pater se itineris istius ignarum responderet; sanctus puer animo accensus, cœpit tota vrbe aliquem itineris ductorem quæritare. Quo tamen non inuento; iterum redijt ad patrem; orans atque obtestans vt vna secum pergeret; Christo haud dubio comite, se votis suis non frustratos iri. Respondit pater: Equidem, mi fili, fortassis corporis fretus viribus, tanti labores itineris perferre potero. Tu verò cum tenellus sis, vereor sanè vt possis. Ad quæ Iustinus puer respondit: Christi ego seruus sum; cui ego benè confido, cuique me semper commendare soleo. Pergamus pariter in eius nomine: ille nos illæsos & incolumes ducet reducetque. Acquieuit tandem pater, & rebus ad iter necessarijs comparatis, Ambianum pariter perrexerunt.

Claret prophetiæ spiritu.

Prima verò Nocte Meloduni diuersantes, pauperē quendam ad portas obuiū habuere, & pedum officio, & oculorum lumine orbatum; cui stipem obnixè petenti pius puer Iustinus cibū nō modò præbuit, sed & sua se tunica spolians, nudum ea contexit: Quare nonnihil cōmotus pater, cœpit eum obiurgare; illud benignitatis & humanitatis officiū dispendium

Liberalitas eius erga pauperem.

vocans. Contrà verò diuinis puer, multis ex sacra scriptura locis depromptis, patrem consolari, & illud beneficium in pauperem illum optimè esse collocatum docere.

Veniunt Lutetiam. Cùm ergò noctem illam Meloduni exegissent, manè cœpto itinere pergentes, Christo duce Lutetiam Parisiorum peruenerunt: vbi Hippolytus quidam peramanter eos excepit, & humanissimè tractauit. Ab illo verò dimissi, vt Isaram fluuium attigerunt, non inuenere nauim, qua eum transmitterent. Molestè id ferente patre pueri, ille perturbatum consolatur indicans diuina reuelatione se edoctum esse, propediem quendam affuturum, qui eos traducat. Adhuc puero hæc loquente, aduenit quidam nauta, qui promptus eos in nauim recepit, & gratis, reiecta quam offerebant mercede, suam eius operam præstitit. Traiecto flumine, Ambianos properant, vrbemque ingressi, tandem domum Lupi inueniunt. Accedunt herum, supplices offerunt preces, priorque Iustinus ità eum compellat: Venimus Lupe, ad humanitatē tuam, substantiolā nostrā afferentes; vt accepto precio, captiuum nobis fratrem restituas. Ad quæ Lupus, vt cognouit eos Christianos esse, ciuesque Antissiodorenses; ego, inquit, hospitium præbebo, & pueros meos ostendam: in quibus si fratrem vestrum videritis, precio redimatis.

Vesperè igitur duodecim pueris in eorū cōspectum adductis, Iustinianus, qui quærebatur, inter eos non erat. Itaq; beatus Iustinus oculos circumferens, videt quendā extrà illos assistētem puerum, manu sua accensam tenentem lam-

lampadem. Is vero erat beati Iustini frater, antè eum diem nunquam ei visus. Sed ille plenus spiritu sancto, nullo homine docente, eundem germanum fratrem suum hactenus incognitũ, ocyus cognouit, & gratulabundus, stupẽte sanè ipso Iustiniano, & cunctis, qui aderant, fidelibus, eum est amplexatus.

Iustinus cognoscit fratrẽ suum quem nunquam viderat.

Aderant tunc fortassis quidam Rictiouari præfecti retiarij; qui vt eos Christianos esse sensère, properè ad dominum suum referunt. Is missis confestim satellitibus suis in custodiã eos abduci præcepit. Lupus verò, qui eos hospitio exceperat, vt imminens periculum cognouit, noctu eos excitauit: monuitq;, vt gratis recepto fratre, ocyus abscederent: mortisque supplicium maturè effugerent. Illis itaque profectis, repentè aduolant missi à Iudice carnifices: qui non inuentis quos quærebant, eadem celeritate ad illum redeunt, & homines illos abijsse enunciant. Mox ille iubet quatuor equites abeuntes insequi, & ad suum tribunal eos perduci, vel reluctantes confestim trucidari. Properantibus igitur persecutoribus, Iustinianus imminẽtis periculi ignarus, in loco, quem Luperam vocãt, consistens ait ad fratrẽ: Locum hunc opportunum cernis, & hauriendæ aquæ, & cibo sumendo. Si lubet hic paulisper assideamus, vt cibo potuque refocillati ad reliquum itineris expeditiores simus. Iustinus autem futurorum præscius: Si, inquit, hic quidpiam gustare vultis, festinatione summa opus est. Appropinquãt enim missi à iudice, qui nos pœnas luituros ad illum adducant. Ocyus igitur cibum sumite: ego verò insidias contem-

Accusantur sancti apud Rictiouarum præfectum.

Humanitas Lupi hospitis.

Insequuntur sanctos Rictiouari milites.

plabor. Quid si quempiam eo animo ad nos accedere persensero, ego illum sermonibus detinebo, vos autem in hanc specum vos subducite.

Iustinus puer imperterritus sese hostibus offert.

Hæc cùm prophetico spiritu sanctus dixisset puer, mox adsunt carnifices, iudicis præceptum executuri. Ijs conspectis, cæteri in speluncam se abdũt: beatus verò Iustinus ad martyrij gloriam pergit intrepidus. Ad eum igitur quatuor illi accedunt equites, sciscitãtur quis sit; quæ eius professio; quinam illi, aut vbi sint, quos habuisset socios. Ille per ordinem omnia explicans: Ego, inquit, Iustinus dicor & Christianum me liberè profiteor. Et quia vos Christiani nominis persecutores noui, non licet mihi meos vobis comites prodere. Illis autem, strictis gladijs mortem ni proderet minitantibus, respondit Iustinus. Equidem me felicem iudicabo, si pro Christi nomine, supplicia & mortem subiero: paratus certè pœnas perpeti & animam meam in hac vita perdere, vt æternum custodiam eam.

S. Iustinus capite truncatur.

His auditis, carnifices ira perciti sinè mora in eius necem conspirârunt; vnusque eorũ, cæteris hortantibus, ceruicem illi mucrone præcidit. Eius martyrij gloriã mox insigne & stupendum planè miraculum illustrauit. Nam truncum corpus manibus præcisum apprehendens caput, coram lictoribus constitit immobile: quo illi miraculo perterriti fugam capessunt. Pater verò eius & frater è specu egressi, viso tam stupendo miraculo, variè animis affecti fuêre: hortante martyrij gloria, vt exultent: natura inuitante vt plorent. Inter ea tamen maxime

Præclarum miraculum.

maximè eos anxios habebat, quòd nescirent, quo modo sepulturæ corpusculum mandarēt. Cumque ea de re inter se conferrēt, eccè caput martyris disertis eos appellans verbis, Abite, inquit, ad locum Luperam, atque illic meum humate corpusculum. Porrô matri hoc meum apportate caput: vt amoris ergà se mei hoc pignus habeat. Quod si mei tenetur desiderio, studeat sequi me in paradiso iam degentem: vbi animæ sanctorum feliciter quiescunt.

Loquitur præcisum caput patri & fratri suo.

Tum illi corpus sanctissimi martyris reuerenter sepeliunt; & caput matri adferunt; quæ cùm illud profusis præ gaudio lachrymis exciperet & Christi numen collaudaret, eccè lux ingens in medijs noctis tenebris cælitus supra domiciliū effusa est: populo, qui in vrbe erat, vniuerso admirante, & Christi gloriam in martyre hymnis & canticis celebrante. Cùm verò Episcopus ciuitatis sacrum illud martyris caput honorifice conderet, cæca quædam superueniens puella, mox lumen adepta est, plebe rursus noua lætitia exultante, & inclytum martyrem laude & prædicatione efferente; ad gloriam benignissimi Saluatoris, qui sanctos suos ità exaltare dignatur; cui honor est & potestas per æterna secula: Amen.

Lux cælitus effunditur super caput eius.

Cæca illuminatur.

Vide Notat. C. Baron. in Martyrol. Roman.

VITA S. AQVILINI EPISCOPI

Ebroicensis scripta ad Audoenum: Ex ea quæ est apud V. P. Laur. Surium. Claruit temporbus Clodouei Regis Francorum, ac Filiorum eius. Sedit annos 42.

Obijt is Rex Anno Domini 514. Iuxtà Baron. Tom. 6. Annal.

19. Octob.

Patria & parẽtes eius.

BEATVS Aquilinus Baiocensi ciuitate oriundus, parentum nobilitate clarus, sed morum dignitate illustrior, antiqua insignia nouis virtutum ornamentis obscurauit. Cùm summo studio enutritus, animum liberalium artium disciplinis, & sacris etiam literis præclarè imbuisset, transmissis adolescẽtiæ spatijs, vt iuuentutem attigit, vxor ei, pari nobilitate virgo, delecta fuit. Qua cum sacrosancto matrimonij fœdere, sanctissimè inito, proles primum terrena ab eo gignitur, vt postmodum cęlestis procreetur.

Duxit vxorem nobilis nobilem.

A Clodoueo Rege cum alijs mittitur ad barbaros profligandos.

Ea tempestate Clodoueus rerum in Francia potiebatur; qui accitum ad se Aquilinum cum vrbium præfectis, eum aduersum barbaros, qui in extremis regni Francorum finibus, efferatis cœperant animis insolescere, in expeditionem destinauit: vtique vt, antequam spiritale contra spiritales nequitias bellum susciperet, hostium visibilium pugnis & victorijs exerceretur. In ea expeditione cum triennio & mensibus sex versaretur continuis, pia eius coniunx de salute & reditu mariti vehementer sollicita, votum Domino nuncupauit, se anno integro continenter cum illo victuram, si saluus & incolumis domum rediret. Vbi ergò optatum eius reditum cognouit, immodico gaudio elata, cum familia & commeatu Carnotum vsque ei obuiam processit: & in alienæ ciuitatis hospitio lautissimè, haud secus ac domi, eum excepit. Ibi cùm mutuis se amplexibus peramanter stringerent, & Aquilinus coniugis pudicitiam & amoris integritatem, coniunx verò Aquilini sinceritatem admi-

Votum coniugis eius.

En indicium purissimi amoris in matrona cõiugata.

admiraretur, oblata deindè familiaris colloquij opportunitate, marito suo, quid actum esset, quomodò se voto obstrinxisset, explicauit: timensque ne fortè factum indignabundus damnaret, votumque rescinderet, multis sese verbis excusare, & iræ, quam formidabat, obuiã ire studuit. At verò maritus multò magis suum in fœmina pectus admirans dolebat, quòd non potuisset primas sibi in ipsa vendicare virtute, qui prior esset conditione virili; & prior etiam desiderio castitatis esse putaretur, nisi posterior inuentus esset conceptæ volũtatis significatione & enunciatione. Contẽplans itaque cum gaudio & admiratione cõiugis castitatem, Tu, inquit, charissima me dicẽdo anteuertisti, quẽ desiderando anteuertere nõ potuisti. Veruntamen vt multũ lætor terram pectoris tui, quam ego colere volebam, diuinitus cultam & complutam esse: ita hoc vnum adhuc, quod à te prætermissum sentio, & necessarium puto, adijcere volo. Tu annuam Deo cõtinentiã promisisti, ego opto & polliceor perpetuam; vt pariter non annuam, sed sempiternam possimus coronam adipisci. Hæc cũ ille dixisset, coniunx gratissimo animo assensit: excussoque contagionis iugo, sanctitatis iugum pariter susceperunt.

Vide propositum continentiæ in matrimonio.

Perpetuam continentiã promittit Aquilinus.

Idem facit cõiunx eius.

His ita cõstitutis insequenti die, cœpto itinere domum perrexere. Et quidem sub vno tecto animis coniunctis degentes, carnali tantũ consortio separati, sua antè omnia pauperibus impẽdere, corpora ieiunijs & vigilijs exarare, studio pietatis certatim feruere, peregrinis & hospitibus ministrare, domum suam, in

Elargiuntur sua pauperibus.

xenodochium propemodum conuertere: denique in laico habitu, nihil ipsis monachis & Crucis habitũ gerẽtib⁹ cedere. Tantũ cõmunis conuictus & vestes seculares castitatis secretũ occultabant, & humanas laudes repellebant.

Eu conuersationis eorum perfectionẽ.

Cumque hoc modo ardẽtes lucernę diu sub modio delitescerẽt, tandem beato AEterno, Ebroicẽsis vrbis Episcopo ex hac luce ad æterna translato, totius Cleri & populi animi diuinitus inflãmantur, vt Aquilinus ille occult⁹ Dei seruus, qui se abscondẽs proximis negabat exemplar pietatis, ei substituatur. Nec quæsitum ab electo quid ipsi videatur: sed rapitur ab omnibus trahiturque, vt totius Ecclesiæ domũ gubernet, & pastoralem curam ei impendat, qui suæ domui tam præclarè præfuerat. Primo igitur clericus ordinatur; indeque gradatim promotus ad Episcopale cacumen euehitur: cunctis ei obuiam procedentibus, & consonis vocibus laudes eius celebrantibus. Suscepto autem non coruino hiatu, sed columbina simplicitate sacerdotio, iam apertè vxor vertitur in sororem, in quam iam antè occultè transierat. Deindè gregis sui cura suscepta, cum non ignoraret, se sequestrũ & aduocatum totius populi apud Deum constitutũ, vt liberius possit cõtemplationi vacare, & pro peccatoribus, mũdi huius tumultibus deditis, Dominum deprecari, nõ longè à muro ciuitatis, ab Ecclesia verò centum passuum spatio distantem elegit cellam, in portæ Rhotomagensis regione sitam: ibique secretum, quod propter pastoralis curæ inquietudines amiserat, repetens, animarum causas & negocia tanto curabat melius, quan-

AEterno Episcopo Ebroicensi succedit Aquilinus.

Cellam solitarium inhabitat.

quanto plus corporum declinabat. Ibi summo disciplinæ rigore corpus domabat, mentem verò assiduis orationibus & lectionibus pascebat; hauriebatque è sacris fontibus in secreto, quod populo deindè in publico propinabat. Vestes delicatas, mensam splendidam, lectique mollitiem, cæteraque eiusmodi, quæ cælestem disciplinam eneruant, prorsus ignorabat. Nudum pauimentum fessa longis vigilijs mēbra, ac ieiunijs exesa, breui somno excipiebat. Semper in acie cōtrà hostiles nequitias & impetus strenuus bellator stabat: pauidus ne fortè remissior factus, vel hostili impetu subuertereturr, vel insidijs circumuentus opprimeretur. Hinc timore Domini plenus semper Dominū precabatur, vt fenestras corporis sui aut obstrueret, aut custodiret; nè per eas noxia irreperet concupiscentia, quæ certissimam animæ mortem adferre solet. Malle enim se testabatur orbatum luminibus, in regnum intrare cælorum; quàm illis integris mitti in gehennam. Eius verò precibus annuēs Dominus, exteriores capitis eius fenestras, lucis ministras, clausit: sed interiores adeò cumulatè illustrauit, vt sinè oculorum adminiculo ad ecclesiam veniret, & pari alacritate immò maiori, pabula diuini verbi, cæteraq; pietatis officia, populo administraret. In his omnibus ipse Christus ei reddebat testimonium: prorsus vt quos intus illuminabat, curabat, erigebat; extrinsecùs etiā signo Crucis illuminaret, & erigerer. Neque enim vlla corporalis infirmitas eius precibus resistebat; qui suis exemplis & doctrina spiritales ægritudines depellebat.

En quantam sui custodiā habeat vir sanctus.

Orbatur oculorum lumine, vt petierat.

Signo Crucis pellit morbos aliaque operatur miracula.

Tandem pijs bonorum operum sanctarumque institutionum exercitijs cõprobatus, cum duos & quadraginta annos in dignitate pastorali exegisset, illibatum & incontaminatum Christo reddidit spiritum: sepultus in basilica quam apud ciuitatis suburbium ipse condiderat.

Obitus eius. Locus Sepultura.

MARTYRIVM SS. CAPRASII, FIdei, ac sociorum: Ex eo quod est apud V.P. Laur. Surium. Passi sunt anno Christi trecentesimo tertio. Marcellini Papæ 7. Dioclet. & Maxim. Impp. 20.

Vide & Tomo 3. Ann. C. Baron.

20. Octob. *in Gallijs sita.*

FVIT in ciuitate a Agennensium eximia pulchritudine virgo, Fides nomine, veteri & generosa stirpe parentum nobilis; sed Christi munere longè nobilior: quæ prima in ciuitate Agenno, decus & exemplum martyrij cunctis CHRISTI fidelibus fuit. Iuuenis quidem illatæ passionis fuisse dicitur tempore, sed sensu & opere senex manebat; pulchra facie, sed pulchrior mente: virginitatis quoque candore formosissima, vultusque hilaritate serena.

Patria & parentes S. Fidei.

Eodem igitur tempore Præses sceleratissimus, nomine * Dacianus, à profanis Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, ad Agennensem vrbem missus, vt & sacrilegos beneficijs remuneraret, & Christianis ibidẽ metu ipsius latentibus atrocissimas pœnas inferret: continuò beatissimam virginem Fidem suis iussit conspectibus præsentari. At illa spontè se ministris offerens, armata vexillo sanctæ Crucis in fon-

** Rictiouarius: præfuit etenim Dacianus in Hispanijs.*

Sistitur ad tribunal præsidis.

in fronte, ore, & pectore, sanctoque roborata spiritu, hilari animo ad præsidem perrexit: & de nomine suo ac religionis professione quæsita, nullo perterrita metu & nomen suum & Christianæ fidei professionem edidit. Præses verò callida simulataque tranquillitate paulò indulgentiùs respondens: Accipe, inquit, ô iuuencula consilium pulchritudini atque iuuentuti tuæ necessarium: & cessa ab hac confessione, & magnæ Dianæ sacrifica, & multis te muneribus amplificabo. Quam promissionem Christi virgo pro nihilo reputans: A patrum, inquit, traditionibus cognoui, omnes gentium deos dæmonia esse: & tu mihi blanditijs persuadere vis, vt ego eis sacrificem?

Iudex nititur blanditijs & muneribus eam subuertere.

Cõstans eius responsum.

Præses hoc virginis responso excandescens: Aut, inquit, prostrato corpore quantocyus dijs sacrifica, aut ego te diuersis excruciatam tormentis morte mulctabo. Ad ea, sancta Fides, exemplo magnorum martyrum roborata, à terrena vita ad supernam gloriam migrare desiderans, in hanc vocem prorupit lætabunda: Ego pro Domini mei IESV Christi amore, non solùm diuersa tormenta, sed & mortem subire parata sum. Tunc Præses furore concitatus, iussit satellitibus vt virginem in lectum æreum extenderent, suppositoque igne, tenera illius membra crudeli supplicio disrumperẽt. Itaque candentem craticulam tenera virgo vltrò conscendens, diuaricatis membris per quatuor partes extenditur, loriſque ferreis coarctata, per flammeam cratem prouoluitur. Cui impij ministri ferreis batillis ardentes subijciunt prunas: adipeque flammis inic-

Assatur in craticula.

iniecto, ad latera vsque torrida incendia subuolare cogunt. Quo spectaculo, crudeli nimis atque horribili, multi è populo permoti, vna voce impietatem Iudicis & iniusta iudicia damnarunt: virginisque constantia ad fidem perducti, gloriosam martyrij palmam consecuti sunt.

Multi credunt, & martyrium obeunt.

Dum hæc agerentur, sanctus Caprasius, cum cæteris Christicolis persecutionem sacrilegi tyranni declinans, ad septentrionalem vrbis plagam sub foramine cuiusdam rupis positus latebat, & omnia quæ intra muri ambitum gerebantur, clara oculorum acie exindè prospiciebat. Qui sub eiusdem diei articulo, ab ipso speluncæ foramine ad vrbis propugnacula adspectum dirigens vidit sanctam martyrem super carbonum incendia impiorum immanitate torqueri. Eleuatis igitur oculis, & cęlum intuens, profusis lachrymis à Deo virgini in prę-senti certamine victoriam precabatur; & humi toto corpore prostratus, petebat à Domino, vt cælestem ei virtutem ostendere dignaretur: & eccè columba de nubibus niue candidior descendens, rutilantem interlucentibus gemmis super gloriosæ martyris caput visa est deponere coronam.

S. Caprasius è latebris videt virginē in craticula torreri.

Visio eius.

Deindè blando alarum volatu, dulcique pennarum applausu cum imbrifero rore totam vim flammarum extinxit, pyramq; incendij torridi, quasi irriguis fontibus tali volatu repressit. Vir etiam sanctus vidit beatissimam Fidem veluti pugilem egregiam, nō tortorum ictibus læsam, non igni exustam, neque corpore sauciatam, sed cælestibus ornamentis stare redi-

Ignis per columbam diuinitus extinguitur.

redimitam. Tunc ſecurus non imparibus meritis eandem gloriam ſubiturus, rupem, ſub qua habitabat, dextera ſua percuſſit, & continuò indè fons iugis aquæ emanauit. Quæ vſque in hodiernum diem currens indeficienter ſalutis remedium cunctis aduenientibus in virtute Dei præſtare non deſinit. Hic ergo vultu hilaris, ſpiritu alacer, corde intrepidus, cæteris ignorantibus, ad locũ, vbi glorioſa virgo & martyr Fides flammarum incendia ſuſtinebat, improuiſus aduenit, & Chriſtum publica voce prædicans, vltrò martyrij certamen expetijt. Præſes viſa animi illius conſtantia, nomen, patriam, & genus requiſiuit. Cui ſanctus Capraſius reſpondit: Inprimis quod præclarum eſt, Chriſtianum me profiteor, in regenerationis lauacro Capraſius dictus. Hoc audito, præſes blãdis eũ ſermonibus deliniri poſſe ſperãs: Video, inquit, te decorum iuuenem egregijs naturæ adiumentis ad res arduas, & principum amicitiam perfruendam, natum: quare te hortor, vt meo acquieſcas conſilio, & ampliſſimis bonis ac prædijs ſecurè fruaris. Ad hæc Capraſius cæleſtibus admonitus mirabilibus: Prædia inquit, & bona ampliſſima ab eo ſecurus expecto, qui eſt fidelis in verbis ſuis & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Præſes ergò vt vidit immutabilem eius mentem, iuſſit miniſtros ſine pietate in eius corpus ſeuire, carnesque laniare. Cumque hoc factum fuiſſet, & martyr per omnia ſupplicia inuictus, alacri vultu populis præſentibus Chriſti nomen prædicaret: ingens animorum motus in plebe exortus eſt. Cùm enim ſanctus martyr omnibus eſſet amabilis, & maxi-

Fons miraculosè exoritur ad tactum manus viri Dei.

S. Capraſius palãſe Chriſtianum clamat.

Pſalm. 144.

Grauiter torquetur, nec vincitur.

maximè inter tormentorum quæstiones cælesti quodam decore aspersus, populi magno eiulatu frementes, iudicem crudelitatis impietatisque constanter arguebant; quod sanctum Dei, & omni pietate ornatum tanta crudelitate perditum iri vellet. Inter omnes autem duo fratres Primus & Felicianus constantiam sancti martyris in perferendis supplicijs admirantes, amore Dei anhelo pectore flagrantes, tàm fide quàm opere cõtinuò huic se agonisociauerunt, mortisque periculis alacriter iniecerunt. Quos oẽs ad iugulũ mortis vna cõspiratione collectos, mox vt vidit sæuus ille carnifex, data sententia, duci ad delubrum præcepit: vt ibi aut dijs immolarent, aut flexis ceruicibus terribilem mortem exciperent. Ducti ergò vnà cum B. Fide ad prædictum locum, cùm nulla vi ad sacrificãdum compelli possent, cæsis capitib. cum triumpho martyrij ad coronã gloriæ feliciter simul peruenire meruerunt.

Primus & Felicianus martyri se sociant.

Plectuntur capite SS. martyres.

Horum autem corpora tormentis miserabiliter lacerata, cæsisque capitibus obtruncata deuota Christi plebecula, cum summa veneratione latenter colligens, & sacri effusionẽ sanguinis mundissimis pannis extergens, in loco tanta sanctitate digno honorificè condidit; vbi multis annorum decursibus ad tempora vsque Dulcitij Episcopi latuerunt: qui eleuatis de terra reliquijs, nouam in eorum venerationẽ construxit Basilicam, quàm primario tamen titulo Fidei virgini dedicauit: quorum meritis ad salutem omnium innumera cælitus ibidem ostenduntur miraculorum insignia.

Eu veterum fidelium deuotionem in colligendis Sanctorum reliquijs.

Eleuatio reliquiarũ SS. Martyrum.

Miracula ad sepulchrum eorum.

Marty-

Martyrium SS. Vrsulæ inuenies ad finem huius libri.

VITA S. HILARIONIS ABBATIS:

Ex ea quæ est per D. Hieronymum. Migrauit è corpore anno Christi trecentesimo septuagesimo secundo, Damasi Papæ 6. Valentiniani, Valentis Impp. 9.

Vide C. Baron. Tom. 4. Annal.

HILARION ortus vico Thabatha, qui circiter quinq; millia à Gaza vrbe Palestinæ ad Austrum situs est, cum haberet parentes idolis deditos, rosa, vt dicitur, de spinis floruit. A quib. missus Alexandriam, grāmatico traditus est: ibiq́ue quantū illa patiebatur ætas, magna ingenij & morum documenta præbuit in breui, charus omnibus & loquendi arte gnarus. Quodq́ue his maius est omnibus, credens in Dominum Iesum, non Circi furoribus, non arenæ sanguine, non theatri luxuria delectabatur: sed tota illi voluntas in Ecclesiæ erat congregatione. Audiens autem tunc celebre nomen Antonij, quod per omnes AEgypti populos ferebatur, incensus visendi eius studio, perrexit ad eremum. Et statim vt eum vidit, mutato pristino habitu, duobus ferè mensibus iuxtà eum mānsit, contemplatus ordinem vitæ, morumq́ue grauitatem; quam creber in oratione, q̄ humilis in suscipiēdis fratribus, seuerus in corripiendis, alacer in exhortādis esset, & vt cōtinentiam, cibiq; eius asperitatem nulla vnquā infirmitas frāgeret. Porrò frequētiam eorū, qui ad eū ob varias passiōes, aut impetus dęmonū concurrebant, vltrà non ferens, nec

21. Octob. S. Hilarionis Patria.

Adhibetur literis.

Manet duobus mensib. apud S. Antonium: cuius vita habetur 17. Ianuarij.

nec congruum esse ducens pati in eremo populos ciuitatum, sicque sibi magis incipiendum esse, vt cœpisset Antonius: illum quasi virum fortem victoriæ præmia accipere, se necdum militare cœpisse, reuersus est cum quibusdam monachis ad patriam. Et parentibus iam defunctis, partem substantiæ fratribus, partem pauperibus largitus est; nihil sibi omninò reseruans. Erat autem tunc annorum quindecim. Sic nudus & armatus in Christo, solitudinem, quæ in septimo milliario à Maioma Gazæ emporio per littus euntibus AEgyptum ad læuam flectitur, ingressus est. Cumque essent cruenta latrocinijs loca; & propinqui amicique eius imminens periculum denunciarent, contempsit mortem, vt mortem euaderet. Mirabantur omnes animum; mirabantur ætatem; nisi quod flamma quædam pectoris, & scintillæ fidei in oculis relucebant. Lenes erant genæ, delicatum corpus & tenue; & ad omnem iniuriam impatiens; quod leui vel frigore vel æstu posset affligi.

Substãtiam suam fratribus & pauperibus diuidit.

Ingreditur eremum.

Igitur sacco tantùm membra coopertus, & pelliceum habẽs ependyten, quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat, sagumque rusticum, inter mare & paludem vasta & terribili solitudine fruebatur; quindecim tantùm carycas post solis occasum comedens: & quia regio latrocinijs infamis erat, nunquàm in eodẽ loco manſitans. Quid faceret diabolus? quò se verteret? Qui gloriabatur antè dicens: In cælum ascendam, super sydera cæli ponam thronum meum, & ero similis altissimo: cernebat se vinci à puero; & priùs ab eo calcatum fuisse, quàm

Amictus eius & abstinentia prima.

Esaiæ 14.

quàm per ætatem calcare potuisset. Titillabat itaque sensus eius, & pubescenti corpori solita voluptatum incendia suggerebat. Cogebatur tyrunculus Christi cogitare, quod nesciebat: & eius rei animo pompam voluere, cuius experimenta non nouerat. Iratus itaque sibi & pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cæde manus posset excludere: Ego, inquit, asselle faciam vt non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis: fame te conficiam & siti; graui onerabo pondere; per æstus indagabo & frigora: vt cibum potiùs quàm lasciuiam cogites. Herbarum ergò succo, & paucis carycis post triduum vel quadriduum deficientem animam sustentabat, orans frequenter & psallens, & rastro humum fodiẽs: vt ieiuniorum laborem labor operis duplicaret. Simulatque fiscellas iunco texens, æmulabatur AEgyptiorum monachorum disciplinam, & Apostoli sententiã dicentis: Qui autem non operatur non manducet. Sic attenuatus, & intantùm exeso corpore, vt ossibus vix hæreret, quadam nocte cœpit infantum audire vagitus; balatus pecorum: mugitus boum: planctum quasi mulierum: leonũ rugitus: murmur exercitus: & rursus variarum portenta vocum: vt antè sonitu, quàm aspectu territus cederet. Intellexit dæmonum ludibria: & prouolutus genibus, Christi Crucem signauit in fronte: talique armatus casside, & lorica fidei circundatus, iacens fortiùs prælibatur, amodo videre desiderans, quos horrebat audire: & solicitis oculis huc illucque circũspiciens: cùm interim ex improuiso splendente luna, cernit rhedam feruentibus equis super

Tentatur à satana.

En quibus modis S. adolescens domat libidinem.

2. Thess. 2.

Signat se Cruce Christi.

se irruere: cumque inclamasset Iesum, antè oculos eius repetino terræ hiatu pompa omnis absorpta est. Multæ sunt tentationes eius, & die noctuque variæ dæmonum insidiæ: quas si omnes narrare velim, modum excedam voluminis. Quoties illi nudæ mulieres cubanti, quoties esurienti largissimæ apparuêre dapes? Interdum orantem lupus vlulans, & vulpecula ganniens trâsiliuit; psallentiq; gladiatorũ pugna spectaculũ præbuit; & vnus quasi interfectus, & antè pedes eius corruens, sepulturã rogauit. Orauit semel fixo in terram capite: & vt natura fert hominũ, abducta ab oratione mẽs, nescio quid aliud cogitabat: Insilit dorso eius festinus gladiator, & latera calcibus, ceruicem flagello verberans: Eia, inquit, cur dormitas? cachinnansque desuper, cùm defecisset, an hordeum vellet suscipere, sciscitabatur.

Dæmonum ludibria.

Igitur à sextodecimo vsque ad vicesimũ sui sui ætatis annum, æstus & pluuias breui tuguriunculo declinauit; quod iunco & carice texerat. Extructa deinceps breui cellula, quæ vsque hodiè permanet, latitudine pedum quatuor, altitudine pedum quinque, hoc est, statura sua humiliore; porrò lõgitudine paulò ampliore, quàm eius corpusculum patiebatur, vt sepulchrum potiùs quam domum crederes. Capillum semel in anno die Paschæ tondit: super nudam humum, stratumque iunceum vsque ad mortem cubitauit; saccum, quo semel fuerat iudutus, nunquam lauans; & superfluum esse dicens, munditias in cilicio quærere. Nec mutauit alteram tunicam nisi cùm prior penitus

Tuguriolum eius.

Cellula.

Cubile.

Vestes & Cilicium.

tùs scissa esset. Scripturas quoque sanctas memoriter tenens, post oratiões & psalmos, quasi Deo præsente recitabat.

A vicesimoprimo anno, vsque ad vicesimum septimum, tribus annis dimidium lentis sextarium madefactum aqua frigida comedit, & alijs tribus panem aridũ cum sale & aqua. Porrò à vicesimoseptimo vsque ad tricesimũ herbis agrestibus & virgultorum quorundam radicibus crudis sustentatus est. A tricesimo autem primo vsq; ad 35. sex vncias hordeacei panis & coctum modicè olus absq; oleo in cibo habuit. Sentiens aũt caligare oculos suos, & totum corpus impetigine, & pumicea quadam scabredine contrahi, ad superiorem victũ adiecit oleum, & vsque ad 63. vitæ suæ annum hoc continentiæ cucurrit gradu; nihil extrinsecùs aut pomorum, aut leguminis, aut cuiuslibet rei gustans. Indè cùm se videret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem, à 64. anno vsq; ad 80. pane abstinuit incredibili feruore mentis; vt eo tempore quasi nouus accederet ad seruitutem Dei, quo cęteri solent remissiùs viuere. Fiebant autem ei de farina & comminuto olere sorbitiunculæ, cibo & potu vix quinq; vncias appendentibus. Sicque complens ordinem vitæ, nunquã antè solis occasum, nec diebus festis, nec in grauissima valetudine soluit ieiunium.

Mira abstinentia eius.

Cùm habitaret adhuc in tuguriolo annos natus decẽ & octo, latrones ad eũ nocte venerũt, vel existimãtes habere aliquid, quod tollerẽt, vel in contemptum sui reputantes fieri, si puer solitarius eorum impetus non pertimesceret.

Error latronum tota nocte.

Itaque inter mare & paludem à vespere vsque ad solis ortum discurrentes, nunquàm locum eius cubiculi inuenire potuerunt. Porrò clara luce reperto puero, quasi per iocum: Quid, inquiunt, faceres, si latrones ad te venirent? Quibus ille respondit: Nudus latrones non timet. Et illi: Certè, aiunt, occidi potes. Possum, inquit, possum: Et ideo latrones non timeo, quia mori paratus sum. Tunc admirati constantiam eius & fidem, confessi sunt noctis errorem, cæcatosque oculos, correctiorem deinceps vitam pollicentes. Viginti & duos iam insolitudine habebat annos, fama tantùm notus omnibus & per totas Palæstinæ vulgatus vrbes; cùm interim mulier quædam Eleutheropolitana cernens despectui se haberi à viro ob sterilitatem (iam enim per annos 15. nullos coniugij fructus dederat) prima irrumpere ausa est ad beatum Hilarionem, & nihil tale suspicãti repentè genib. eius aduoluta: Ignosce, inquit, audaciæ, ignosce necessitati meę. Quid auertis oculos? Quid rogantem fugis? Noli mulierẽ adspicere, sed miserã. Hic sexus genuit Saluatorẽ. Non habẽt sani opus medico, sed qui malè habẽt. Tandem substitit, & post tantũ temporis visa muliere, interrogauit causã aduentus eius ac fletuum. Et postquàm didicit, leuatis ad cælum oculis, fidere iussit: euntemq; cum lachrymis prosecutus, exacto anno, vidit cum filio.

Contemnit mortem adhuc puer.

Impetrat sterili partum.

Hoc signorum eius principiũ, maius aliud signũ nobilitauit. Aristæneta Helpidij, qui posteà præfectus prætorio fuit, vxor valdè nobilis inter suos, & inter Christianos nobilior, reuertens cũ marito & tribus liberis à B. Antonio,

nio, Gazæ propter eorum infirmitatem remorata est. Ibi enim, siuè ob corruptum aërem, siuè, vt posteà claruit, propter gloriam Hilarionis serui Dei, Hemitritæo pariter arrepti, omnes à medicis desperati sunt. Iacebat vlulans mater, & quasi inter tria filiorum discurrens cadauera, quem priùs plãgeret, nesciebat. Cognito autẽ quòd esset quidam monachus in vicina solitudine, oblita matronalis pompę, tantum se matrem nouerat: vadit comitata ancillulis & eunuchis; vixque à viro persuasum est, vt asello sedens pergeret. Ad quem cum peruenisset: Per ego te, ait, Iesum clementissimum Deum nostrum obtestor, per Crucem eius & sanguinem, vt reddas mihi tres filios, & glorificetur in vrbe Gentiliũ nomen Domini Saluatoris, & ingrediatur seruus eius Gazam, & Marnas corruat. Renuente illo, & dicente, nũquàm se egressurum de cella, nec habere consuetudinem, vt non modò ciuitatem, sed nec villulam quidem ingrederetur, prostrauit se illa humi, crebrò clamitans: Hilarion serue Christi, redde mihi liberos meos: Quos Antonius tenuit in Aegypto, à te seruentur in Syria. Flebant cuncti qui aderant, sed & ipse negans fleuit. Quid multa? Non priùs mulier recessit, quam ille pollicitus est, se post solis occasum Gazam introiturum. Quò postquã venit, singulorum lectulos & arentia membra cõsiderans, inuocauit IESVM. Et ô mira virtus, quasi de tribus fontibus sudor erupit: eademque hora acceperunt cibos, lugentemque matrem cognoscentes & Deum benedicentes, sancti manus deosculati sunt. Quod postquàm auditum est, &

Hemitritæ sesquitertiana febris.

Tres pueros à medicis desperatos sanat.

est,& longè lateq; percrebuit, certatim ad eũ de Syria,& AEgypto confluebant; ita vt multi crederẽt in Christum, & se monachos profiterentur. Necdùm enim tunc monasteria erãt in Palæstina, nec quisquàm monachũ antè sanctũ Hilarionem in Syria nouerat. Ille fundator & eruditor huius conuersationis & studij in hac prouincia fuit. Habebat Dominus Iesus in AEgypto senem Antonium; habebat in Palæstina Hilarionem iuniorem.

S. Hilarion primus in Syria monasteriorũ fundator.

Facidia vicus est Rhinocoruræ vrbis Aegypti. De hoc (sunt decem iam anni) cæca mulier adducta est ad beatum Hilarionem: oblataque ei à fratribus (iam enim multi cum eo monachi erant) omnem se substantiam ait expendisse in medicos. Cui respondit; Si quæ in medicis perdidisti, dedisses pauperibus, curasset te verus medicus Iesus. Clamante autem illa & misericordiam deprecante, expuit in oculos eius statimq; Saluatoris exemplum virtus eadẽ prosecuta est. Auriga quoq; Gazensis in curru percussus à dæmone, totus obriguit: ita vt nec manus agitare, nec ceruicem posset reflectere. Delatus ergò in lecto, cùm solam linguam moueret ad preces, audit non priùs posse sanari, quã crederet in Iesum, & se sponderet arti pristinæ renunciaturum. Credidit; spospondit sanatus est: magisque de animæ, quam de corporis salute exultauit.

Marc. 8.
Cæca videt.

AEger percussus à dæmone sanatur.

Præterea fortissimus iuuenis, nomine Marsitas, de territorio Hierosolymæ, tantũ sibi applaudebat in viribus, vt quindecim frumenti modios diu longeq; portaret: & hanc haberet palmam fortitudinis suæ, quod asinos vinceret.

En iuuenis cuiusdam admirandæ vires.

ret. Hic afflictus pessimo dæmone, non catenas, non compedes, nõ claustra ostiorũ integra patiebatur; multorum nasum & aures morsibus amputauerat; horum pedes, eorum gulam fregerat; tantumq; sui terrorem omnibus incusserat, vt oneratus catenis & funibus in diuersa nitentium quasi ferocissimus taurus ad monasterium pertraheretur. Quem postquàm fratres vidêre, perterriti (erat enim miræ magnitudinis) nunciauerunt Patri. Ille sicut sedebat, iussit eum ad se pertrahi & dimitti. Solutoque: Inclina, ait, caput, & veni. Tremere ille & cervicẽ flectere, nec adspicere cõtrà ausus, omniq; ferocitate deposita, pedes cœpit sedentis lambere. Adiuratus itaq; dæmon, & tortus qui iuuenem possederat, septima die egressus est.

Dæmoniacus curatur.

Orionus vir primarius & ditissimus vrbis Ailæ, à legione possessus dæmonum, erumpens de manibus se tenentium, sanctũ cum fratrib. deambulantẽ amplexus est post tergum, & in sublime leuauit. Clamor ortus ab omnibus: timebant enim nè confecta ieiunijs mẽbra collideret. At sanctus arridens: Sinite, inquit, & mihi meum palæstritam dimittite. Ac sic reflexa super humeros manu, caput eius tetigit, apprehensoq; crine antè pedes adduxit, stringens è regione ambas manus eius & plantas vtroque calcans pede, simulque ingeminans: Torquere dæmonum turba, torquere. Cumque ille eiularet, & reflexa ceruice, terram vertice tangeret: Domine, inquit, IESV solue miserum, solue captiuum: Vt vnum, ita & plures vincere, tuum est. Rem loquor inauditam. Ex vno hominis ore diuersæ voces, & quasi confusus

Legio dæmonum ab homine pellitur.

populi clamor audiebatur. Curatus ita & hic, non post multum temporis, cum vxore & liberis venit ad monasterium, plurima, quasi gratiam redditurus, dona afferens. Cui sanctus: Non legisti, inquit, quid Giezi, quid Simon, passi sunt: quorum alter accepit precium, alter obtulit: vt ille venderet gratiam Spiritus sancti, hic mercaretur? Cumque Orionus flens diceret: Accipe & da pauperibus, respondit: Tu melius potes tua distribuere, qui per vrbes ambulas, & nosti pauperes. Ego, qui mea reliqui, cur aliena appetam? Nemo melius erogat, quàm qui sibi nihil reseruat.

4. Reg. 5. Actor. 8.

Porrò vniuersa, quibus in vita coruscauit, miracula insignia enarrare si voluero: tempus maturiùs sanè quam res me deficiet. In tantam enim à Domino fuerat eleuatus gloriã, vt beatus quoque Antonius audiens conuersationem eius, scriberet ei, libenterque eius epistolas sumeret: & si quãdo de Syriẹ partib. ad se languẽtes perrexissẽt, diceret eis: Quare vos tam lõgè vexare voluistis, cum habeatis ibi filium meũ Hilarionẽ? Exemplo itaq; eius per totam Palęstinã innumerabilia monasteria esse cœperũt, & oẽs ad eũ monachi certatim currere. Quod ille cernens, laudabat Domini gratiam, & ad profectum animæ singulos cohortabatur: prabensque de se cunctis humilitatis & officij exemplum, statis diebus antè vindemiam lustrabat cellulas monachorũ. Quod postquàm cognitum est à fratribus, omnes ad eum confluebant: & comitati tali duce, circuibant monasteria, habentes viaticum suum: quia interdum vsq; ad duo millia hominum congregabantur.

Ho quanti fecerit S. Antonius Hilarionem.

Innumera monasteria in Palæstina.

Sed

Sed & procedente tempore vnaquæque villula vicinis monachis, ad susceptionem sanctorũ gaudens, cibos offerebat.

Sexagesimo igitur tertio vitæ suæ anno cernens grande monasterium & multitudinem fratrum secum habitantium, turbasque eorũ, qui diuersis languoribus & immundis spiritibus occupatos ad se deducebant, ita vt omni genere hominum solitudo per circuitum repleretur, flebat quotidiè & incredibili desiderio conuersationis antiquæ recordabatur. Interrogatus à fratribus, quid haberet, cur se cõficeret, ait; Rursum ad sæculum redij, & recepi mercedem meam in hac vita. En homines Palæstinæ, & vicinæ prouinciæ existimant me alicuius esse momenti: & ego sub prætextu monasterij ad dispẽsationem fratrum, vilem suppellectilem habeo. Cumque ita vixisset lugens biennium, Aristęneta illa, cuius suprà fecimus mentionem, præfecti tunc vxor venit ad eum, volens etiam ad Antonium pergere. Cui ille flens, Vellem, ait, ipse quoque ire, si non carcere huius monasterij clausus tenerer, etsi eundi fructus esset. Biduum enim hodie est, quod totus mundus tali parente orbatus est. Credidit illa, & substitit. Et post paucos dies, veniente nuncio, Antonij dormitionem audiuit.

Non fert cõcursum hominum solitudinis amator Hilarion.

S. Antonij obitum diuinitus discit.

Concurrebant Episcopi, presbyteri, clericorum & monachorum greges, matronæ quoque Christianorum, grandis tentatio; & hinc indè ex vrbibus & agris vulgus ignobile: sed & potentes viri & iudices, vt benedictum ab eo panem & oleum acciperent, At ille nihil aliud nisi solitudinem meditabatur; in tantum

En vulgi deuotionem erga benedictũ panem & oleum.

vt quadam die proficiſci ſtatuerit : & adducto aſello(nimis quippè exeſus ieiunijs,vix ingredi poterat) iter arripere conaretur. Quod cùm percrebuiſſet, & quaſi vaſtitas & iuſtitium Paleſtinæ indiceretur ,pluſquam decem hominum millia diuerſæ ætatis & ſexûs,ad retinendum eum congregata ſunt. Immobilis ille ad preces & *baculo arenas diſcutiens, loquebatur;Fallacem Dominum meum non faciam:non poſſum videre ſubuerſas eccleſias, calcata Chriſti altaria, filiorũ meorũ ſanguinem.Vniuerſi autem qui aderant, intelligebãt reuelatũ ei quiddã eſſe ſecreti,quod nollet cõfiteri:& nihilonimus cuſtodiebãt eum ne proficiſceretur,Decreuit ergò publica omnes voce conteſtans,nõ cibi ſe,non potûs quidquã ſumere,niſi dimitteretur.Et poſt ſeptẽ dies inediæ,tandem relaxatus,ac valedicens plurimis, cum infinito agmine proſequentiũ venit Betilium: vbi dimiſſis ad propria turbis aſſumptis 40.monachis quinto poſt die venit Peluſium; viſitatiſque fratribus , qui in vicina eremo erant,& in loco, qui dicitur Lychnos , morabantur , perrexit poſt triduum ad caſtrum Theubatum , vt videret Dracontium Epiſcopum,& confeſſorem qui ibi exulabat. Quo incredibiliter conſolato , tanti viri præſentia; pòſt aliud triduum,multo Babylonem labore peruenit , vt videret Philonem Epiſcopum & ipſum confeſſorem. Conſtantius enim rex, Arianorum fauens hæreſi, vtrumque in ea loca deportauerat.Indè egrediens,poſt triduũ , venit ad oppidum Aphroditon ; vbi duobus ſecum tantum retẽtis fratribus,in vicino eremo mora-

*baculo

Præuoſcit Arianorum crudelitatẽ.

Migrat alio.

Dracontium & Philo Epiſcopi ob fidem Catholicam extorres.

moratus est, tãta abstinẽtia & silentio, vt tunc primũ se cœpisse Christo seruire diceret. Porrò iam triennium erat, qnòd clausum cælum terras illas arefecerat; vt vulgo dicerent, Antonij mortem etiam elemẽta lugere. Nõ latuit fama Hilarionis accolas quoque illius loci, & certatim virilis ac muliebris sexûs ora luridi & attẽuati fame, pluuias à seruo Christi, id est, à beati Antonij successore, deprecabãtur. Quos ille cernens mirè doluit: eleuatisque in cælum oculis, & vtrasq; in sublime erigẽs palmas, statim impetrauit, quod rogauerat, Eccè autẽ sitiens arenosaque regio, postquã pluuijs irrigata esset, tantam serpentũ & venenatorũ animalium eximprouiso ebulliuit multitudinem, vt percussi innumerabiles; nisi ad Hilarionẽ concurrissent, statim interirent. Benedicto itaque oleo vniuersi agricolæ atque pastores tangentes vulnera, certam salutem resumebant.

Pecibus impetrat pluuias S. Hilarion.

Vide miram vim olei benedicti.

Videns etiam ibi se miris honoribus affici, perrexit Alexandriam: indè ad vlteriorẽ Oasim eremum transiturus. Et quia nunquam, ex quo cæperat esse monachus, in vrbibus manserat, diuertit ad quosdam fratres sibi notos in Brutio, haud procul ab Alexandria; qui miro gaudio eum susceperunt. Egressus de Brutio per inuiam solitudinem intrauit Oasim: ibique anno plus minus exacto, quia illic quoque sua fama peruenerat, quasi iam in Oriente latere non posset, vbi multi eum & opinione & vultu nouerant, ad solas nauigare insulas cogitabat: vt quem terra vulgauerat, saltẽ maria celarent.

Eodem fermè tẽpore Hadrianus discipulus

eius

Latitat in Sicilia.

eius de Palæstina superuenit, dicens, occiso Iuliano, Christianum Imperatorem regnare cœpisse; reuerti eum debere ad monasterij sui reliquias. Quod ille audiens, detestatus est; & cõducto camelo per vastam solitudinem peruenit ad maritimam vrbem Libyæ Parætonium. Indè cum Gazano discipulo nauigauit Siciliã: & in Pachyno promontorio, vicesimo à mari milliario, sedem fixit: vbi in quodam deserto agello, lignorum quotidiè fascem alligãs, imponebat dorso discipuli. Quo in proxima villa venundato, & sibi alimoniam, & his qui fortè adeos veniebant, pauxillum panis emebant.

Matthei 5.

Sed verè non potest ciuitas latère supra mõtem posita. Scutarius quidam, cum in basilica beati Petri Romæ torqueretur, clamauit in eo immundus spiritus: Antè paucos dies Siciliam ingressus est Hilarion seruus Christi; & nemo eum nouit, & putat se esse secretum: ego vadã & prodam illum. Statimque cum seruulis suis

Dæmon expellitur ab obsesso.

ascensa in portu naue, appulsus est Pachynũ, & deducente se dæmone, vbi antè tugurium senis se prostrauit, ilicò curatus est. Hoc initiũ signorum eius in Sicilia, innumerabilem ad eũ deinceps ægrotantium, sed & religiosorum hominum adduxit multitudinem; in tantum vt de primoribus quidam tumens morbo intercutis, eodem die, quo ad eum venerat, curatus sit. Vndè vir sanctus ad barbaras statuens pergere nationes, vbi & nomen & sermo suus foret incognitus, ad Epidaurum Dalmatiæ oppi-

Rursus migrat alio.

dum est profectus: vbi paucis diebus in vicino agello mansitans non potuit abscondi. Siquidem

dem draco miræ magnitudinis, quos gentili sermone boas vocant, ab eo, quòd tam grandes sint, vt boues glutire soleant, omnem latè vastabat prouinciam; & non solùm armenta & pecudes, sed agricolas quoque & pastores, tractos ad se vi spiritus, absorbebat. Cui cum pyrum iussisset præparari, & oratione ad Christũ missa, euocato præcepisset struem lignorum scandere, ignem supposuit. Tum itaque cuncta spectante plebe, immanem bestiam concremauit. Vndè æstuans quid faceret, quò se verteret, aliam parabat fugam; & solitarias terras mente perlustrans mœrebat, quòd tacente de se lingua, miracula loquerentur.

Immanem draconem exurit.

Ea tempestate terræmotu totius orbis, qui post Iuliani mortẽ accidit, maria egressa sunt terminos suos: & quasi rursum Deus diluuium minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia, naues ad prærupta delatæ montium pependerunt. Quod cum viderent Epidauritani, frementes fluctus & vndarum moles, & montes gurgitum littoribus inferri, verentes, quod iam euenisse cernebant, ne oppidum funditus subuerteretur; ingressi sunt ad senem, & quasi ad prælium proficiscentes: posuerunt eum in litore. Qui cum tria Crucis signa pinxit in sabulo, manusque contrà tenderet, incredibile dictu, in quantam altitudinem intumescens marè antè eum steterit, ac diu fremens, & quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsum relapsum est. Hoc Epidaurus, & omnis illa regio vsque hodie prædicat, matresque docent liberos suos ad memoriam in posteros transmittendam. Mirabatur omnis ciuitas, & magni-

Terræmotus generalis.

Ecce tibi admirabilem vim Crucis.

magnitudo signi Salonîs quoque percrebuerat. Quod intelligens senex, in breui lembo clam noctu fugit; inuentaque post triduum oneraria naui, perrexit Cyprum. Cumque inter Maleam & Cytherã piratæ, derelicta classe in littore, quę nõ antenna sed conto regitur, duobus haud paruis myoparonib. occurrissent, & denuò hincindè fluctus occurrerẽt, remiges omnes, qui in naui erant, trepidare, flere, discurrere, præparare contos, & quasi non sufficeret vnus nuncius, certatim seni piratas adesse dicebãt. Quos ille procul intuens, subrisit; & cõuersus ad discipulos dixit: Modicæ fidei, quare trepidatis? Nunquid plures sunt hi, quam Pharaonis exercitus? tamen omnes, Deo volente, submersi sunt. Loquebatur hic, & nihilominus spumantibus rostris, hostiles turbæ imminebant, iactu tantum lapidis medio. Stetit ergò in prora nauis, & porrecta cõtrà venientes manu, Hucusque, ait, venisse sufficiat. O mira rerũ fides: statim resiluêre nauiculæ, & impellentibus cõtrà remis, ad puppim impetus redit. Mirabantur piratæ, post tergum se redire nolentes; totoque corporis nixu, vt ad nauigium peruenirent, laborantes, velocius multò, quam venerant, ad littus ferebantur.

Venit in Cyprum S. Hilarion.

Exodi 15.

Insigni miraculo repelluntur piratæ.

Prætermitto cętera, ne videar in narratione signorum volumen extendere. Hoc solum dicam, quòd prospero cursu inter Cycladas nauigans, hincindè clamantium de vrbibus, & vicis, & ad littora concurrentium immundorum spirituum voces audiebat. Ingressus ergò Paphum, vrbem Cypri, nobilem carminibus poëtarum, quæ frequenter terræmotu lapsa, nunc

In Cypro cõmoratur.

mune ruinarum tantum vestigijs, quid olim fuerit, ostendit: in secundo ab vrbe milliario habitabat ignobilis, gaudensque quod paucis diebus quiete viueret. Verum non ad plenum viginti transiere dies, cùm per illam omnem insulam, quicunque immundos habebant spiritus clamare cœperũt, venisse Hilarionẽ seruum Christi, & ad eum se debere properare. Hoc Salamina, hoc Curiũ, hoc Laphera, & vrbes reliquæ conclamabant: plerisque asserentibus, scire se quidem Hilarionem & verum illum esse famulum Dei, sed vbi esset, ignorare. Intrà triginta igitur, nec multo amplius dies, ducenti fermè, tam viri, quam mulieres ad eũ congregati sunt; quorum alij statim, alij post biduum triduumve, omnes verò intrà vnam hebdomadam curati sunt.

200. obsessi plus minus curantur.

Manens itaque ibi biennio, & semper de fuga cogitans, tandem in ipsa insula ad secretiorem locum, duodecim millibus à mari distantem, arboribus hinc indè consitum, inter secretos asperosque montes, quo vix reptando manibus genibusque possit ascendi, perrexit. Erat is locus amænus quidem, sed dœmonibus adeò infestus, vt tam innumerabilium per noctes & dies demonum resonarent voces; ingẽtem exercitum vt omninò crederes. Quo ille valdè delectatus, quo scilicet antagonistas haberet in proximo, habitauit ibi per annos quinque: atque hoc vel maximè extremo vitæ suæ tẽpore refocillatus est, quod propter asperitatem difficultatemque loci & vmbrarũ (vt ferebatur vulgo) multitudinem, aut nullus aut rarus ad se posset, vel auderet adscendere: quan-

In loco penè inaccesso vltimam degit ætatem.

En vt affectet dæmonũ certamina.

quanquam non multo post fama de paralytico ab eo ibidem curato per vicinas villas diuulgata, eundem nec eo in loco diu latere permiserit.

Cæterum in eodem suo domicilio cum iam octogenarius in validum languorem incidisset & sanctissima illius anima in vltimo conflictu contra hostiles insidias decertaret, venerunt ad illum multi de Papho, viri religione præstantes. Aderat & Constantia sancta quædam fœmina, cuius generum & filiam de mortis periculo olei vnctione liberauerat. Quos omnes vir sanctus adiurauit, vt ne puncto quidem horæ defunctum seruarent corpusculum, sed statim in eodem hortulo tunica cilicina, & cuculla, & sago rustico vt erat vestitum, terra operirent. Itaque ad transitum perennem iam vocatus, cùm præter sensum vix quidquam viui hominis superesset, tamen apertis oculis animę suę ita loquebatur: Egredere, inquit quid times? egredere anima mea; quid dubitas? Septuaginta propè annis seruisti Christo, & mortem times? atque in hæc verba exhalauit spiritum. Statimque humo obtrutum antè vrbi sepultum, quam mortuum nunciauerunt. Quod vt primum Palęstinæ Hesichius sanctus viri sancti discipulus rumore percepit, perrexit ad Cyprum, & cum ingenti vitæ suæ periculo, post decem ferè menses corpus eius furatus est: Maiomamque deferēs, totis monachorum & oppidorum turbis prosequentibus, in antiquo monasterio integrum non modò, quasi viueret, illæsisque vestimentis, sed & tantis fragrans odoribus, vt delibutum vnguentis puta-

Fœlicissimè expirat animam.

Post decem menses integrum corpus eius inuentũ illæsisq; vestibus Maiomam trãslatum.

putares, condidit, Quod ſimulac Conſtantia (quæ peruigiles in eius ſepulchro noctes ducere, & quaſi cum præſente ad adiuuandas orationes ſuas ſermocinari ſolebat) intellexit, ſtatim exanimata, veram in ſeruum Dei dilectionem etiam morte comprobauit. Cernas vſq; hodiè miram inter Palæſtinos & Cyprios contentionem: his corpus viri Dei, illis ſpiritum ſe habere certantibus. Et tamen in vtriſq; locis magna quotidie ſigna fiunt; ſed magis in hortulo Cypri: forſan quia plus illum locum dilexerit.

Miracula poſt obitum.

VITA S. MALCI MONACHI CAPTIUI: ex ea quæ eſt per D. Hieronymum egregiè conſcripta. Claruit circà annum Domini 372. ſedente Damaſo Papa.

Vide Tom. 4 Annal C. Baron.

MARONIA triginta fermè millibus ab Antiochia vrbe Syriæ, haud grādis ad orientem diſtat viculus. Erat illic quidam ſenex nomine Malchus (quem nos Latinè Regem poſſumus dicere) Syrus natione & lingua, & reuerà αὐτόχθων. Anus quoque in eius contubernio valdè decrepita; & iam morti proxima videbatur: tam ſtudioſè ambo religioſi, & ſic Eccleſiæ limen terentes, vt Zachariam & Elizabeth de Euangelio crederes, niſi quòd Ioannes in medio non erat. De his cùm curioſè ab accolis quærerem quænam eſſet eorum copula matrimonij, ſanguinis an ſpiritûs, omnes voce conſona ſanctos & Deo placētes, & mira neſcio quæ reſpondebant. Qua cupiditate illectus, adorſus ſum hominem & curioſius ſciſcitatus rerum fidem, hæc ab eo

21. Octob.

αὐτόχθων *indigena.*

Luc. 1.

accepi. Ego, inquit, mi nate, Maroniaci agelli colonus, sed solus parentibus fui. Qui cum me quasi stirpem generis sui, & hæredem familiæ ad nuptias cogerent, monachum potius me velle esse respondi. Quantis pater minis, quantis mater blanditijs persequuti sunt, vt pudicitiam proderē hæc res sola iudicio est, quod & domum & parentes fugi. Et quia ad Orientem ire non poteram, propter vicinam Persidem Romanorum militum custodiam ad Occidentem verti pedes, pauxillum nescio quid portans viatici, quod me ab inopia tantum defensaret. Quid multa? Perueni tandem ad eremum Chalcidos, quæ inter Immam & Essam magis ad Austrū sita est. Ibi repertis monachis eorum me magisterio tradidi: manuum labore victum quæritans, lasciuiamque carnis refrenans ieiunijs.

Malchus fugit parentes, ne cogatur vxorem ducere.

Fit monachus.

Post multos annos, incidit mihi desideriū, vt ad patriam pergerē, & dum adhuc viueret mater (iam enim patrem mortuum audieram) solarer viduitatē eius, & exindè venūduta possensiuncula, partē erogarem pauperibus, partē monasterio constituerē; quid erubesco confiteri infidelitatem meam? partem in sumptuū meorum solatia reseruarem. Clamare cœpit Abbas meus diaboli esse tentationē, & sub honestæ rei occasione, latere antiqui hostis insidias. Hoc esse, reuerti canē ad vomitū suū. Sic multos monachorum esse deceptos: nunquam siquidem diabolum aperta fronte se prodere. Proponebat mihi exempla de scripturis plurima: inter quæ illud, quod initio Adam quoque & Euam spe diuinitatis supplantauerit. Et quidem

Tentatur à Satana sub pietatis specie.

2. Petri. 2.

En veri pastoris studiū. Genes. 3.

dem cum vt manerem ijsdem mihi persuadere non posset prouolutus genibus obsecrabat, ne se desererem; ne me perderem: nec aratrum tenens post tergum respicerem. Væ misero mihi: vici monitorem pessima victoria; putans illum non meam salutem, sed suum solatium quærere. Prosequutus ergò me de monasterio, quasi funus efferret, & ad extremum valedicens, Video, ait, te fili satanæ cauterio notatum: non quæro causas, excusationes non recipio. Ouis quæ de ouibus egreditur, lupi statim morsibus patet.

Lucæ 9.

Quam sit periculosum monasterium deserere.

De Berrhœa ad Essam pergẽtibus, vicina est publico itineri solitudo, per quã Saraceni incertis sedibus huc atque illuc semper vagãtur. Quæ suspicio frequentiã in illis locis viatorũ congregat, vt imminens periculũ auxilio mutuo declinetur. Erãt in comitatu meo viri, fœminæ, senes, iuuenes, paruuli, numero circiter septuaginta. Et eccè subitò equorum camelorumq; sessores Ismaelitæ irrunt; crinitis vittatisq; capitibus, ac seminudo corpore, pallia & latas caligas trahentes: pendebant ex humero pharetræ; laxos arcus vibrantes, hastilia longa portabant. Non enim ad pugnandũ, sed ad prædam venerãt. Rapimur; dispergimur: in diuersa trahimur. Ego interim longo postliminio hæreditatis possessor, & sero mei cõsilij pœnitens, cũ altera muliercula in vnius heri seruitutem sortitus venio. Ducimur, immò portamur sublimes in camelis, & per vastam eremũ semper ruinam timentes, pendemus potius, quam sedemus. Carnes semicrudæ, cibus: & lac camelorum, potus erat. Tandem grai di

Saraceni vt ad prædã, instructi pergant.

Malchus capitur ab Ismaelitis, siuè Saracenis.

amne transmisso, peruenimus ad interiorem solitudinem; vbi dominam liberosque ex more gentis adorare iussi, ceruices flectimus. Hic quasi clausus carcere, mutato habitu, id est, nudus ambulare disco. Nam aëris quoque tẽperies, nihil aliud præter pudenda velari patiebatur. Traduntur mihi pascendæ oues, & in malorum comparatione hoc fruor solatio, quod dominos meos & cõseruos rarius video. Videbar mihi aliquid habere sancti Iacobi. Recordabor Moysi; qui & ipsi in eremo quondam fuêre pastores. Vescebar recenti caseo & lacte. Orabam iugiter: canebam psalmos quos in monasterio didiceram. Delectabat me captiuitas mea: Agebamque Dei iudicio gratias, quod monachum, quem in patria fueram perditurus, in eremo inueneram.

Cogitur pascere oues. Genes. 29. Exodi 3.

Exercitia eius spiritualia.

O nihil vnquam tutum apud diabolum. O multiplices & ineffabiles eius insidiæ. Sic quoque latentem me inuenit inuidia. Dominus videns gregem suum crescere, nihilque in me deprehendens fraudulẽtiæ (sciebam enim Apostolum præcepisse, dominis sic quasi Deo fideliter seruiendum) & volens me remunerare, quô fidum sibi magis faceret, tradidit mihi illam conseruam meam, aliquandô captiuam. Et cum ego refutarem, diceremq; me Christianum, nec licere mihi vxorẽ viuentis mariti accipere (siquidem captus nobiscum vir eius, ab alio domino fuerat abductus) rursus ferus ille & implacabilis in furorem versus, euaginato cœpit me petere gladio. Et nisi confestim brachia tendens mulierem præoccupassem: ilicò fudisset sanguinem.

En insidias Diaboli. Ephes. 6.

Herus eius compellit eũ vxorem ducere.

Iam

Iam igitur venerat tenebrosior solito, & mihi nimium matura nox; Duco in speluncam semirutam, nouam coniugem: & pronubãte nobis mœstitia, vterque detestamur alterum, nec fatemur. Tunc verè sensi captiuitatẽ meã, prostratusque humi, monachum cœpi plangere, quem perdebam, dicens; Huccinè miser seruatus? Ad hoc me mea scelera perduxerunt, vt incanescente iam capite virgo, maritus fierem? Quid prodest, parentes, patriã, rẽ familiarem cõtempsisse pro Domino, si hoc facio, quod ne facerem illa cõtempsi; nisi quod fortè propterea hæc sustineo, quia patriã desideraui? Quid agimus anima? perimus an vincimus? Expectamus manum Domini, an proprio mucrone cõfodimur? Verte in te gladium, tua magis mors timenda est, quam corporis. Habet & seruata pudicitia suum martyrium; iaceat insepultus Christi testis in eremo; ipse mihi ero persecutor & martyr. Sic fatus eduxi in tenebris quoq; micantem gladium & acumine contra me verso, Vale, inquam, infœlix mulier: habeto me martyrem potius quam maritum.

Vult se interficere, ne prodat pudicitiam.

Tunc illa pedibus meis prouoluta, Precor te, inquit, per Iesum Christum, & per huius horæ necessitatem adiuro, ne effundas sanguinem tuum in crimen meum. Vel si mori placet in me primum verte mucronem. Sic nobis potius coniungamur. Etiamsi vir meus ad me rediret, seruarem castitatem, quam me captiuitas docuit: vel interirem potiùs quam perderẽ. Cur moreris, ne mihi iungaris? Ego morerer, si mihi iungi velles. Habeto ergò me coniugem pudicitiæ, & magis animæ copulam amato, quam

En pudicæ mulieris eloquijs vt seruetur.

Castè viuit & cautè cũ sua coniuge.

corporis. Sperent domini maritum, Christus nouerit fratrem. Facilè suadebimus nuptias, cum nos viderint sic amare. Fateor, inquit, obstupui, & admiratus virtutem fœminæ, coniugem plus amaui. Nunquam tamen illius nudũ corpus intuitus sum; nunquam eius carnem attigi; timens in pace perdere, quod in prælio seruaueram.

Transeunt in tali matrimonio dies plurimi: amabiliores nos dominis fecerãt nuptiæ. Nulla fugæ suspicio: interdum & mense toto aberam fidus gregis pastor per solitudinem. Post grandè interuallum, dũ solus in eremo sedeo, & præter cælum terramque nihil video, cœpi mecum tacitus voluere, & inter multa, contubernij quoque monachorũ recordari, maximeque vultum patris mei, qui me erudierat, tenuerat, perdideratque sicque cogitãs, adspicio formicarum gregẽ angusto calle feruere, ferre onera maiora, quam corpora. Aliæ herbarum quædã semina forcipe oris trahebãt, aliæ egerebãt humũ de foueis, & aquarũ meatus aggeribus excludebant. Illæ, vẽturę hyemis memores, ne madefacta hum' in herbã horrea verteret, illata semina præcidebãt. Hæ luctu celebri corpora defuncta deportabant. Quodq; magis mirũ est, in tãto agmine egrediẽs non obstabat intrãti: quin potius si quã vidissent sub fasce & onere cõcidisse, suppositis humeris adiuuabãt. Quid multa? Pulchrũ mihi spectaculum dies illa præbuit. Vndè recordatus Salomonis, ad formicarũ solertiã nos mittentis, & pigras mẽtes tali exemplo suscitantis, cœpi tædere ciuitatis, & monasterij cellulas quærere, ac formi-

Formicarum depingitur mira industria.

Contemplationes eius in solitudine.

Prouerb. 16.

formicarum illarum similitudinem desiderare, vbi laboratur in medium : cumque nihil cuiusquam proprium sit, omnium omnia sunt.

Regresso ad cubile occurrit mulier: tristit ã animi vultu dissimulare non potui. Rogat, cur ita exanimatus sim . Audit causas : hortatur fugam. Peto silentij fidem; non adspernatur : & iugi susurro inter spem & metum medij fluctuamus. Erant mihi in grege, duo hirci miræ magnitudinis. Quibus occisis, vtres facio, eorumque carnes viatico præparo . Et primo vesperi, putantibus dominis nos secretò cubitare, inuadimus iter, vtres & partes carnium portantes . Cumque peruenissemus ad fluuium (nam decem millibus aberat) inflatis conscensisque vtribus, aquis nos credimus , paulatim pedibus subremigantes, vt deorsum nos flumine deferente, & multo longius, quâm conscẽderamus, in alteram nos exponente ripam, vestigium sequentes perderent. Sed inter hæc madefactæ carnes, & ex parte lapsæ, vix triduicibum pollicebantur. Bibimus vsque ad satietatem: futuræ nos siti præparantes. Currimus, post tergum semper adspicimus, & magis noctibus promouemus quam diebus: vel propter insidias latè vagantium Saracenorum, vel propter ardorem solis nimium.

Malchus fugit cũ simulata vxore.

Paueſco miser etiam referens, etsi tota mẽte securus, toto tamen corpore perhorresco. Post diem verò tertiũ, dubio prospectu procul adspicimus duos camelis insidentes venire cõcitos. Statimq; mens mali prælaga, putare cœpit dominum meditari mortem , solem cernere nigrescentem. Dumque timemus, & vestigijs

Dominus suus eum insequitur vt occidat.

per arenas nos proditos intelligimus, offertur ad dexteram specus, longè sub terram penetrans. Igitur timentes venenata animalia (nam solent viperæ, reguli, & scorpiones, cæteraque huiuscemodi feruorem solis declinantia, vmbras petere) intrauimus quidem speluncam, sed statim in ipso introitu sinistræ nos foueæ credimus, nequaquam vltrà progredientes: ne, dum mortem fugimus, incurramus in mortē: Illudque nobiscum reputantes. Si iuuat Dominus miseros, habemus salutem: si despicit peccatores, habemus sepulchrum. Quid putas fuisse nobis animi, quid terroris, cùm antespecum haud procul starent dominus & conseruus, & vestigio indice iam ad latebras peruenissent? O multo grauior expectata, quam illata mors. Rursus cum timore & labore lingua balbutit, & quasi clamante domino, mutire nō audeo. Mittit seruum, vt nos de specu trahat: ipse camelos tenet, & euaginato gladio, nostrum expectat aduentum.

Abdunt se in specum coniuges.

Intereà tribus fermè vel quatuor cubitis introgresso famulo, nobis ex occulto tergū eius videntibus (nā oculorū eiusmodi natura est, vt post solem vmbram intrantibus, cæca sint omnia) vox per antrū sonat: Exite furciferi, exite morituri. Quid statis? Quid moramini? Exite, Dominus vocat, patienter expectat. Adhuc loquebatur, & eccè per tenebras adspicimus leęnā inuasisse hominē, & gutture suffocato, cruētum intrō trahere. Iesu bone, quid tūc terroris nobis, quid gaudij fuit? Spectabamus domino nesciente, hostem nostrum perire. Qui cum videret illū moras facere, suspicatus est duos

Seruus heri eos persequentis à leæna præfocatus.

vni

vni resistere. Sed & irã differre non valens, sicut tenebat gladiũ, ad spelunca venit, & furore rabido serui increpans vecordiam, priùs à fera tenetur, quàm ad nostras latebras perueniret. Quis hoc vnquam crederet, vt ante os nostrum, bestia pro nobis dimicaret? Sublato autem illo metu, similis antè oculos nostros versabatur interitus, nisi quòd tutius erat rabiem leonis, quàm iram hominis sustinere. Pauemus intrinsecùs, & nè mouere quidem nos ausi, præstolabamur euentum rei inter tanta pericula, pudicitiæ tantùm conscientia pro muro septi. Leæna insidias cauens, & visam se esse sentiens, appræhensos mordicùs catulos effert, nobisq; cedit hospitium. Neque tamen satis creduli, statim erumpimus: sed exspectantes diu, egredi cogitantes, illius nobis figurabamus occursum.

Item herus ipse.

Malchus cũ coniuge merito pãdicitiæ seruatur illæsus.

Sublato ergò horrore & illa transacta die, egredimur ad vesperam, vidimusque camelos, quos ob nimiam velocitatẽ dromedarios vocant, præteritos cibos in ore voluere, & in aluum missos iterùm retrahere. Quibus ascensis, & noua sitarcia, id est, annona refocillati, decima tandem die, ad Romana per desertum castra venimus. Oblatique tribuno, rem ordine pandimus: indè transmissi ad Sabinum Mesopotamiæ ducem, camelorum precium accepimus. Et quia iam Abbas ille meus dormierat in Domino, ad hæc delatus loca, me monachis reddo: hanc trado virginibus; diligens eam vt sororem, non tamen ei me credens vt sorori.

Reuertitur ad monasterium.

Hæc mihi senex Malchus adolescentulo re-

tulit. Hæc ego vobis narraui senex; & castis historiam castitatis expono. Virgines castitatem custodire exhortor. Vos narrate posteris, vt sciant inter gladios & inter deserta & bestias, pudicitiam nunquam esse captiuam: & hominem Christo deditum posse mori, non posse superari.

Pudicitia nunquã captiua.

Vide C. Baron. in Not. ad Martyr. Roman.

MARTYRIVM SS. VIRGINVM NVnilonis & Alodiæ: quæ passæ sunt anno Domini 851. in Hispania: Ex Ioanne Maldonato Hispano.

22. Octob.

ANNO redemptionis humanæ 851.* Abderhame regni Hispaniæ gubernacula tractante, impium promulgatur edictũ; vt Christianus quilibet ex vtroque vel altero parente genitus Ethnico, Christum abnegaret, vel iugulum ensi traderet. Cumque in territorio Berbetano propè Oscam, duæ sorores, Nunilo & Alodia, Ethnico parente, Christianaque matre genitæ, primis ab annis matrem sequutę, Christianam pietatem meditullitus imbiberant: cognatus earum quidam de deserendo Christo, paternoque ritu resumẽdo anxius eas solicitabat. Orbatæ siquidem vtroque parente nullam faciebant matrimonij spem, sed omni cura & ornatu, quæ nubiles solent comitari puellas, postpositis & abiectis, soli Christo, sanctæque religioni indulgebant. Quarè propinquus ille nobilitatem ac stemmata sui generis propagari percupiens, vel potiùs timens ne bona fisco addicerentur, quòd edicta virgines principum contemnerent, à Christi eas

** Mahomete iuxta Genebrardum.*

Abderhames Hispaniæ Rex anno Christi 851.

eas dogmate ad dæmonum culturam pro virili studebat auocare. Verùm cùm cõtemni se, verbaque sua irrita deperire manifesto cognouit, detulit ad proconsulem eas in ritu Christiano agere. Quæ continuò ad tribunal ductæ, multisque verbis interrogatę, Christum liberrimè concelebrarunt, constantissimeque prædicarunt. Tum lictor Nuniloni, natu maiori, Compone, inquit, ceruicem, vt lethalem tibi inferam plagam. Illa libenter impigreque faciés, gladium media mandibula excepit; & cùm exanimis procumbens, crura paululum nudasset, soror statim cum omnium admiratione accurrit, & veste, quod nudatum erat, obtexit. Aggreditur tum proconsul Alodiam, subijciens; nostris obtempera præceptis, si mortem præsentem effugere vis. At illa sororis animam cælos penetrantem cernens Præstolare me parumper, inquit soror: genibusque flexis caput percussori obtulit: quod vno ictu amputatum est.

Accusantur apud Procõsulem.

Cæduntur capite.

MARTYRIVM SS. SERVANDI ET *Germani: passi sunt in Hispania, sub Viatore Vicario: Anno Christi 303. Marcel. Papæ 7. Dioclet. & Maxi. Imper. 20. Ex Ioanne Maldonato Hispano.*

Vide C. Baron. Tom. 2. Annal. & Notat. ad Martyr. Rom.

SERVANDVS & Germanus sacro Chrismate signati, fonteque baptismatis abluti, dęmones malos ab humanis corporibus effugabant: languores IESV verbo sanabant. Et cum per Hispaniam id temporis horrida tempestas in Christianos ingrueret, nihil

23. Octob.

Clarent miraculis.

hil ipsi perterriti, corpora tormentis obiectabant; cruciamenta facilè superabant: viribus nec minus, quam fide constantiaque prastantes. Cumque serenitas tantula interueniret, & Ecclesia paululùm respiraret, quamuis Christiani, qui vinculis tenebantur, dimitterentur: Seruãdus & Germanus martyrium alia via quæsiêre. Templa quippè gentilium adeuntes, aras deorum simulachraque diruebant ac disturbabant: sacrificantes arguebant: durisque verbis castigabant, quòd relicto Christo vera luce, tenebras, ipsumque Tartarum sequerentur. Vinciuntur iterum à præside Viatore, nouisque generibus tormentorum exercentur. Reputantes tamen quæ præmia illis cruciatibus deberentur, maiora se pati exoptabant. Denique cum sententiam dixisset præses, vt capite plecterentur, libentissimè quidem gladio colla subdiderunt.

Ardent martyrij desiderio.

Plectuntur capite.

VITA S. SEVERINI EPISCOPI COloniensis: Ex ijs quæ sunt apud V. P. Laur. Surium. Porro notandum hic (quod a monet Baronius) in Commentariolo quem scripsit Petrus Damiani, dum de quibusdam miraculis refert, historiam illam, quæ narrat de Seuerino episcopo Coloniensi adhuc in pœnis purgatorijs existente, nequaquàm de hoc nostro antistite intelligendam esse: sed potiùs de aliquo alio nam is de quo hic agimus iam antè annos sexcentos ex hac vita migrarat. Et quia in editis Episcoporum Coloniensium tabulis, nullus alius eiusdem nominis reperitur Episcopus: Verisimile

a *In Notat. ad Martyr. Rom.*

mile est in prædictam scriptionem, errorem nominis ciuitatis, vel Episcopi irrepsisse. Claruit anno Christi 346. & sequent. Reperitur sedisse vltra 56 annos.

BEATISSIMVS Antistes Seuerinus, Burdegalensium oppido oriundus, ex parentibus eximia nobilitate conspicuis originem traxisse fertur. 23. Octob. *Patria eius.*

Et quidem eo tempore quo Ariana perfidia totum penè terrarum orbem inuasisset, Euphrata eadem dira peste infectus, Coloniensem diœcesim, cui antistes ea tempestate præsidebat, ita contaminauerat, vt de salute breui conclamatum fuisset, nisi summa Dei misericordia & mirabili eius prouidentia Seuerinus hic, vitæ integritate, doctrina, & omni sanctitate sanè admirandis laboranti Ecclesiæ subuenisset. Ille enim lorica fidei indutus infusam malitiam eliminaturus adueniens, mox à Clero populoque antistes electus, perfidum mercenarium expulit; & gladio doctrinæ salutaris impostoris mendacia confodit: & breui calcatam multorum scelere sanctissimam Christi religionem denuò erexit, & omni virtutum genere florẽtissimam reddidit. Arianam enim perfidiam tunc in Ecclesiæ perniciem grassantem, & serpentinis insidijs per Ecclesiæ viscera irrepentem, robustissimus Christianę militiæ bellator Seuerinus repressit egregiè atque oppressit: ita vt eius potissimùm patrocinio, non Coloniensis modò, sed & vicinę Ecclesiæ, contra perfidorum insultus, atq; insidias conseruatæ fuerint. Præclara sanè ea fuit miraculorum

Euphrata pseudoepiscopus Coloniensis.

S. Seuerinus eo expulso fit episcopus.

Miracula spiritalia præstantiora corporalibus.

lorum operatio, multoq; illustrior quàm illa quæ resuscitandi à morte corporibus fieri perhibetur: Plus enim est animam inæternum victuram à vitiorum sordibus ad immortalitatis desiderium per dulcedinem pię exhortationis accendere, quàm corpus iterum moriturũ à tumulo resuscitare. Quoties igitur vir hic diuus aliquem ad cognitionem veritatis à tenebris reuocauit erroris, toties cæcis oculis fulgorem reddidit lucis.

Obijt S. Martinus (iuxta C. Baron. Tomo 5 Annal.) anno Domini 402 vnde liquet S. Seuerinũ vltra 56. annos sedisse. Diuinitus edocetur de obitu S. Martini Episcopi: S. Euergisli vita habetur 24. Octob.

Cæterùm nec illud magnum sanctitatis illius indiciũ silentio prætereundum, quod dulcissimam angelorum harmoniam, qua sanctissimi pontificis Martini anima ad cælos delata fuisse memoratur, audire meruerit. Cùm enim die quodam Dominico, loca sancta orãdi grãtia expletis matutinalibus officijs circuiret, suauissimus angelorum concentus repentè illius auribus insonuit; ex quo intellexit sanctissimi viri animam mortalitatis vinculis solutam ad cælos deferri. Aderat tunc illi Archidiaconus eius Euergislus: quem, vt cælestis secreti testem secum haberet, admonuit vt aures attentè arrigeret. Sed cùm ille, quanquàm toto corporis & mentis nisu intentus, nihil perciperet, beatus antistes, precibus hoc à Deo impetrandum intelligens, humi se cum Diacono prosternens, Christi misericordiam pariter inuocauit, vt discipulus cælestis concentus particeps fieri mereretur. Nec mora: Diaconus precibus sui Episcopi adiutus: Voces, inquit, psallentium tanquàm in cælo audio, sed quid sit prorsus ignoro. Cui secretorum conscius cælestium, quid audita iubilatio designa-

Audit & eius Diaconus voces psallẽtium in cælo.

ret,

ret, aperuit, dicens: Dominus meus Martinus corporeis solutus vinculis, angelorum comitatu ad cælos migrat.

S. Martini vita habetur 11. Nouemb.

Fertur etiam eiusdem gloriosi pontificis tẽporibus quendam præcipuis virtutum operibus floruisse Eremitam: qui cuiusdam magni principis filius, & in delicijs copiosissimis enutritus fuisse perhibetur. Cumque parentes illi sponsam delicatissimã cum magnifico valdè apparatu prouidissent, iamque coniugio potiturus cum ea cubiculum intraret, subito pauore (nescio quo) raptus, vidit quasi iuuenem speciosissimum, qui maiorem ei gloriam sanctè promittebat, si sibi parere sequẽdo maluisset. Quod cùm tota ambitione iuuenis se velle dixisset, surrexit, & de omni suppellectili quam possederat, vasculum ligneum, quo vinum de situlis in vasa aurea & argentea mixtum bibentibus fundi solebat, solum secum sumens, virum qui apparuit secutus abscessit. A quo in remotiora eremi loca ductus, vitam laudabilem & paucis imitabilem duxit. Cumq; ibidem multos dies ad promerendum Deum continuis orationibus vacaret, supplicare magnopere cœpit, vt cum quo æqualitatem præmij habiturus esset, iudex æquissimus aperiret. Cui dum Coloniensis Ecclesiæ præsul fama rerum gestarum celeberrimus, in huiusmodi consortio proponeretur, sibi eum quis esset, ostendi precabatur. Nec mora: idem qui illuc eum adduxerat adfuit, & ei locum, in quo diebus illis episcopus morabatur ostendit. Fortè tunc instante quadam solennitate, multitudo populi confluebat: cui post diuinum

Filius cuiusdam magni Principis eremitam agit.

Vasculum ligneum cæteris relictis secum sumit.

num officium, à tanto pontifice conuiuium exhiberi honor impositus exigebat. Vbi dum prædictus, solitarius deliciarum affluentiam cernens, se ei in præmio sociandum esse pertimesceret, qui talibus abundabat, qualia ipse Christi amore dimiserat, seueritate correptionis à magistro imposita didicit, quòd minùs episcopus omnẽ illam secularem gloriam, quá ipse ligneum vasculum, quod sibi de cunctis suis opibus reseruauerat, dilexisset. Vndè Deo gratias agens ad locum, vndè venerat, gratulabundus recessit, & vt promissum præmiũ cum Seuerino Dei famulo mereretur, quoad vixit, instantissimè flagitauit.

Perfectus mundi contemptus in S Seuerino.

Porrò corroborata & benè stabilita, Dei gratia, Coloniensi ecclesia: vir sanctissimus in Dei opere indefessus, Burdegalense, per visionem monetur oppidum petere, & Aquitaniæ partes, cælestis lucri causa visitare: Quod statim licèt senili iã grauatus ætate perficere est aggressus. Intereà dum iter ageret, Amandus eiusdem ciuitatis episcopus cælesti monetur oraculo, venientem magnificæ sanctitatis virũ Seuerinum excipere, & omni humanitatis officio fouere. Vndè repletus gaudio vir Dei, cũ Clero populoque in occursum beati pontificis properauit: & prior eum nomine proprio, per reuelationem videlicet edoctus, honorificè salutauit. Tum læto constipatus vtriusque sexus agmine, ad ecclesiam cum canticis & hymnis deducitur: vbi sanè constantissimus Christi confessor fidei virtutisq; exempla simul & documenta cunctis proposuit: quibus & incredulos salubri credulitati restituit: & errantes in viam

Proficiscitur ad oppidum Burdegalense.

Amandus eum magno cum gaudio excipit.

viam reduxit : & benè agentes in bonorum operum profectu firmauit. Nec defuit illustris miraculorum gloria, quibus eum Dominus ad Ecclesiæ totius firmamentum condecorauit.

Magnos facit fructus S. Seuerinus in ecclesia Burdegalensi Claret miraculis.

Et quia ibidem corporis eius vincula dissoluenda erant, subitò vir Dei grauatus infirmitate, post datam cunctis fratrib. exhortationem & benedictionem, consummato feliciter præsentis vitæ cursu, intentum supernis desiderijs creatori reddidit spiritum. Tunc venerabilis antistes Amandus, conueniente vtriusque sexus innumerabili multitudine, sacratissimum corpus in crypta suæ ecclesiæ honorabiliter sepeliuit: vbi multis miraculorum signis diu coruscans, tandem infanda *Hunnorum rabie sopita, à Coloniensibus ad propriam sedem maxima indè cum solennitate (parte nihilominùs sanctissimi corporis eius Aquitanicis relicta) fuit relatus: atque in Ecclesia beatorum Martyrum Cornelij & Cypriani honorificè conditus. Vbi meritis ipsius plurima dignè petentibus præstita fuêre beneficia.

Fœliciter decedit vir sanctus.

Gotthorũ.

Transferuntur reliquiæ eius Coloniã.

Et quidèm tempore illo quo Nortmanni maximam regni illius partem incendijs ac cæde vastarent, nullo penitùs conatu valebant eius oratorium inflammare: cum tamen nulla tunc in circuitu Ecclesia flammis quiuerit superesse. Itaque diuina vltione percussi, cum eorum complures grauiter torquerẽtur, multi quoq; subitanea morte interirent, cæteri illius ædis custodem & dominum iratum esse exclamantes, quantocyùs ab eius se vicinia rapuerunt.

Tumulus eius miraculis celebris.

Vltio diuina in Nortmannos.

Vide & eiusdem Baron. Not. ad Martyr. Rom.

*MARTYRIVM S. FELICIS EPIscopi *Tibirensis, Desumptum ad verbum ex Tomo 2. Annal. Baron. Anno Christi 302. Marcellini Papæ 6. Dioclet. & Maxim. 19.*

**Tubrocēsis alij Tibiurēsis.*

24. Octob.

CONSTANTINO *Chloro & Galerio Maximiano quartum Consulibus, exiuit edictum Imperatorum & Cæsarum super omnem faciem terræ, & propositum est per colonias & ciuitates principibus & magistratibus, suo cuique loco, vt libros Deificos legis peterent de manu Episcoporum & presbyterorum. Tunc programma positum est in ciuitate *Tibirensi die Nonarum Iuniarum. Tunc *Magnilianus Curator iussit ad se perduci seniores plebis. Eadem die Felix episcopus Carthaginem fuerat profectus: Aprum verò presbyterum ad se iussit perduci, & Cyrum & Vitalem lectores. Quibus Magnilianus Curator dixit: Libros Deificos habetis? Aper dixit: Habemus: Magnilianus Curator dicit: Date illos igni aduri. Tunc *Aper: Episcopus noster apud se illos habet. Magnilianus Curator dicit: Vbi est? Aper dicit: Nescio. Magnilianus Curator dicit: Eritis ergo sub Officio, donec Anulino Proconsuli rationem reddatis.

**Dioclet. S. & Maxim. 8 Coss. Impium Imperatorum edictum.*

**Thibiurensi, & Thibarensi.*

**Magdellianus.*

**al. Cyrus.*

Postera aũt die Felix Episcopus venit Carthagine *Thibarim. Tunc Magnilianus Curator iussit Felicem episcopum ad se perduci, per Officialem. Cui Magnilianus Curator dicit: Felix Episcope, da libros, vel membranas quascunq; habes. Felix episcopus dixit: Melius est me igne aduri, quàm scripturas Deificas; quas bonum

**al. Tibiurum.*

Felix sistitur Magniliano Curatori.

bonum est obedire Deo magis, quàm hominibus. Magnilianus Curator dicit: Prius est quod Imperatores iusserunt, quàm id quod tu loqueris. Felix episcopus dixit: Prius est præceptum Domini, quam hominum. Magnilianus dixit: Recogita tecum.

Actor. 5.

Non vult tradere sacras scripturas.

Post tertium autem diem iussit Curator Felicem episcopum ad se perduci, & dixit ei: Recogitasti tecũ? Felix episcopus dixit: Quę prius locutus sum, & modo loquor, & antè Proconsulem ea sum ducturus. Magnilianus Curator dicit: Ibis ergo ad Proconsulem, & ibi rationem reddes. Tunc assignatus est illi Vincẽtius Celsinus, Decurio ciuitatis Thibirẽsium. Tunc profectus est Felix à Thibira, 8. Kalend. Iulias: ligatus deductus est: Ligatum verò iussit in carcerem trudi.

Mittitur ad Anulinum Procõsulem.

Alia autem die productus est Felix episcopus antè lucem, cui dixit: Quare scripturas superuacuas nõ reddis? Felix episcopus dixit: Habeo, sed non dabo. Tunc iussit eum alligatum in ima carceris mitti. Post sexdecim autẽ dies Felix episcopus product° est de carcere in vinculis, hora noctis quarta, ad Anulinum Procõsulem, cui dixit Anulinus: Quare scripturas superuacuas non reddis? Felix Episcopus respondit: Non sum eas daturus. Tunc iussit eum Anulinus Proconsul ad Præfectum prætorio mitti: Idibus Iulij. Tunc Præfectus iussit eum suo carcere recipi, & maioribus vinculis ligari. Post dies autem nouem iussit eum Præfectus ad* Imperatores nauigare.

Indè ad Præfectum.

** al. post.*

Tunc Felix Episcopus adscendit nauim cum vinculis magnis, & fuit in * capsa nauis diebus

** al. casea.*

Indè ad Imperatores.

quatuor: volutat ſub pedibus æquor; panem & aquam non guſtauit; ieiunus in portum peruenit; & in ciuitate Agrigento exceptus eſt à fratribus, cum ſummo honore. Indè venerunt in ciuitatem nomine Catanam; ibi ſimiliter ſunt excepti. Indè Meslanam venerunt: Indè Taurominium: ibi ſimiliter ſunt excepti. Poſteà fretum nauigarunt, in partes Lucaniæ in ciuitatem nomine Rulo. Indè profecti ſunt Venuſium, quæ eſt ciuitas regionis Apuliæ. Tunc Præfectus iuſſit Felicem de vinculis eripi, & dixit: Felix quare ſcripturas Dominicas non das? aut forſitan non habes? Cui reſpondit: Habeo quidem, ſed non do. Præfectus dixit: Felicem gladio interficite. Felix epiſcopus dixit voce clara: Gratias tibi Domine, qui me dignatus es liberare.

Permanet conſtans.

Et ductus eſt ad paſſionis locum (cùm etiam ipſa luna in ſanguinem conuerſa eſt) die * tertio Kalendas Septembris. Felix epiſcopus eleuans oculos in cælum, clara voce dixit; Deus gratias tibi; quinquaginta & ſex annos habeo in hoc ſeculo; virginitatem cuſtodiui: Euangelia ſeruaui: fidem & veritatem prædicaui. Domine Deus cæli & terræ, Ieſu Chriſte, tibi ceruicem meam ad victimam flecto, qui permanes in æternum: cui eſt claritas & magnificentia in ſecula ſeculorum. Amen. Hucuſque Acta Felicis, ex geſtis Proconſularibus ad verbum deſumpta.

** 9. Calend. Nouemb. Miraculum.*

Plectitur capite 56. ætatis ſuæ anno.

VITA S. EVERGISLI COLONIENsis Episcopi, successoris S. Seuerini: Ex ea quæ est apud V.P. Laur. Sur. Quo tempore claruerit patet infrà.

Vide C. Baron in Not. ad Martyr. Rom.

EVRGISLVS nobili apud Tungros, ingens quondam Galliẹ Belgicæ oppidum, parentum stemmate ortus, ab ipsa pueritia præstanti indole præditus, ad summa & ardua quæque virtutũ culmina tendere visus est. Elegans in eo corporis forma, & gratiæ virtutisque insignia clarissima animum stimulabant assiduo, nè qua in re coætaneis suis inferior appareret. Magna in eo adhuc puero discendi sedulitas; præclara morum ornamenta cernebantur. AEtate pusillus, scientiæ quoddam & magisterij priuilegium præ se ferre videbatur; teneros annos quadam senilis ætatis maturitate transcendens, hominemque perfectum benè moratæ vitæ exemplis referens. Lectioni & studiorum profectui tanta animi contentione incumbebat, vt prandiolum, quanquàm non sinè parentum offensione, in horam differret vespertinã: paruo contentus; idque quod sibi subtrahebat, pauperibus impertiens; vt sic à teneris pia optimaque viuendi consuetudine, & religionem imbiberet, & benignè faciendi disciplinam exerceret.

24. Octob.

Patria & genus eius.

Pueritia illius qualis fuerit.

Ea tempestate Seuerinus Coloniensis ciuitatis antistes nominis & meritorum splendore illustris, magno studio suæ diœcesis ecclesias perlustrabat, vt Arianam hęresim dirè grassantem profligaret, pestemque nefariam gladio

Seuerinus Episcopus hæresim Arianam oppugnat.

oris sui conficeret. Cumq; ea animi intentione etiam Tungros inuiseret, & diligenter de fide ecclesiæ & studio cultus diuini inquireret; inter alia, multa tunc de Euergisli pueri religione ac pietate cognouit: mirasque virtutum primitias non sinè admiratione & gaudio de puero audiuit.

Assumit Euergislum puerum.

Quid plura? Exhilaratus iubet ad se adduci puerum; depræhendensque in illo indicia sanctitatis, sua spe & expectatione maiora, inardescit in eius amorem, hortaturque inter paternos complexus & oscula, vt secum proficiscatur. Non recusat sacer Christi tyrunculus, quin spreta ilicò mundana gloriola, fallacibusque diuitijs omninò contemptis, alacriter sese totum in eius disciplinam tradit, vitæque cursum ad eius voluntatem exactè instituit.

Mirè proficit apud S. Seuerinum.

Atque interim bonæ conuersationis successibus vegetatus, & diuturnæ consuetudinis beneficio confirmatus, amore insatiabili cælestis sapientiæ fontibus inhiabat, & instar apis sedulæ, diuinorum eloquiorum floribus insidens, intra pectoris sui aluearium, fidei virtutumque mella condebat.

Fit Diaconus Euergislus.

Cùm autem beatus Episcopus eum ætate & moribus, maioris gratiæ capessendis honoribus idoneum cerneret, prudenti sanè consilio sacri altaris ministerio eum admouit, sicque per singulos gradus ad Diaco-

natum vſque prouexit. Quo in miniſterio dum ſedulus verſatur, & nocte ac die in Dei templo excubaret, quodam dominico, nocturnis horis pro conſuetudine cum ſancto Epiſcopo loca ſacra inuiſens, cæleſtem meruit audire molodiam. Neque tamen, humi pariter cum ſuo Præſule proſtratus, quidnam ea ſibi vellet intellexit: donec ab Epiſcopo edoctus, ſancti Martini animam è vita ad cælos, deducentibus Angelis, migraſſe cognouit.

Audit concentum Angelicum in obitu S. Martini.

Tandem defuncto beato Seuerino, communibus Cleri & totius populi ſuffragijs, quanquàm renitens, ſubrogatus eſt, magnæ tunc virtutis & ſanctitatis vir: qui commiſſum ſibi gregem eleganter inſtituit, calamitoſis & afflictis egregiè ſubuenit, ſtatum Eccleſiæ quotidie in meliùs prouexit: vrbemque ipſam tantis ornamentis decorauit: vt ab incolis aurea Colonia non immeritò appellaretur.

Succedit S. Seuerino in epiſcopatu.

Aurea Colonia cur ſic dicta.

Poſtquàm autem in hiſce alijsque virtutum exercitijs ætatem ferè deduxit, immodico capitis dolore vexatus, ſacra loca, more ſuo orandi ſtudio circuiuit. Cumque ad beati Gereonis ſociorumque eius, templum malè valẽtium refrigerium peruenisſet, flexis genibus in ſanctorum memoriam, vti cõſueuerat, verſum illum dicere cœpit: Exultabunt ſancti in gloria: moxque cælitùs reſponſum eſt, Lætabuntur in cubilibus ſuis. Vndè intellexit cæleſti edoctus ſpiritu, eo ipſo die ſanctos martyres animas ſuas cælo reddidiſſe. Ab eo ergo tempore vſque in præſens, eodem die quotannis,

Pſalm. 149.

Sanatur tactu sacri pulueris.

ipso agente, illorum celebratur solēnitas. Acceptum autem puluerem è sanctorum templo, malè affecto, cum signo Crucis, imponens capiti, sanus recessit.

Inuisit Tungros prædicationis ergò.

Deindè fidei feruore multò magis inflammatus, ad Tungros idololatriæ eliminaturus sordes, profectus est. Ibi magna cum auctoritate, & maiori cum fructu, sacris aliquamdiù habitis concionibus, cæleste pro meritis præmiū à Domino percipere meruit. Nam cùm nocte quadam ex more ad S. Dei genitricis monasterium psallens pergeret, latrones ad iugulandos homines intenti, ex insidijs prosilientes, ingentem sibi ex illo prædam pollicebantur. Vndè certatim irruentes, vnus ex illis teli ictu mortiferum ei vulnus inflixit. Deindè ad prædam cōuersi, cùm omnia illius vestimēta scrutantes, nihil præter simplicem vestem inuenirent, damnata propria temeritate & amentia, corpus eius, nè crimen prodatur, in loco secretiori virgultis opertum reliquerunt: ipsi sibi fuga consulentes, nihilq́ue pręter cruentā conscientiam secum auferentes.

Occiditur à latronibus ibidem.

Manè oriente die, infaustus cædis eius nuncius ad vrbē delatus, luctu & mœrore Clerum populumq́; compleuit. Aduolant properè certatim ad locum omnes: vbi sacrum corpus vili opertum tegmine iacebat. Debita reuerendo funeri persoluunt officia; sacrosq́ue artus in occulto quodā loco monasterij Gloriosæ Virginis eo tempore celeberrimi cōdit loci illius a episcopus; vbi tantæ mox virtutes meritis beati viri coruscarunt, vt incolæ palam testarentur, illum eandem ipsis fidem in cælis coro-

Sic fertur fuisse Candidus vice & loco Episcopi.

coronatum seruare, quam ergà ipsos adhuc in terris degens declarasset. Ceterum anno Domini 937. fuêre sacræ eius reliquiæ per S. Brunonem Archiepiscopum Coloniensem omni veneratione Coloniam translatæ ac magna cũ solennitate in Ecclesia S. Cæciliæ virginis reconditæ.

S. Brunonis huius vita habetur 11. Octobris. Translatio reliquiarum Euergisli Coloniam. Claret miraculis post obitum. Vide Tom. 7 Annal C. Baron.

MARTYRIVM S. ET GLORIOSI ARETHÆ, & sociorum; & historia eorum, quæ tunc facta sunt in regione Homeritide, vel Sabæa: Ex ijs quæ Metaphrastes, exactè ac fidelissimè descripsit.

INSTABAT iam quintus[a] annus, ex quo Iustinus Romani imperij sceptra acceperat; quo quidẽ tempore Elesbaan, vir propter pietatem & iustitiam celeberrimus, AEthiopibus imperabat, & in Auxume ciuitate regiam construxerat. Porrò Arabiam felicem (quæ olim Saba, nunc autem Homeritis vocatur) ditione tenebat Dunaam Hebræus, vir cum impietate insignis, tum Christiano nomini infensissimus: & ea propter totis viribus Christianam è sua ditione religionem pietatemque exterminare conabatur. Cuius quidem conatus impios Elesbaan frequenter bello infregerat, & fuso fugatoque eius exercitu, tributis eũ seruire coêgerat. Interim Hebræus simulato, pro temporis necessitate, ocio & pace, clàm fulas denuò collegit vires, exercitumque instruxit, vt & acceptæ cladis deleret ignominiã, & Christianos omnes vna internecione deleret. Nec frustratus est prospero perfidiæ suæ successu; nam & Christianorum præsidium,

24. Octob. a qui fuit Domini 522. Elesbaan Imperator AEthiopum insigniter pius. Dunaan Hebræus Arabiæ Imp. sceleratus & impius.

ab Elesbaan in ditione ſua relictum, ex inſidijs oppreſſit: & cunctos ferè Chriſtianæ pietatis cultores, animi illius ſæuitiam formidantes, impio edicto parère coëgit. Vna tantum erat ciuitas, Nagran nomine, quæ Hebræi impietati fortiter reſiſtebat: longo iam antè tempore, Conſtantij, magni Conſtantini filio ſtudio & induſtria, ad veritatis agnitionem traducta, & religione ac fide Chriſtiana adeo præclarè imbuta, vt non modò omnes hoſtiles impetus repelleret, ſed ne ad aures quidem aliena dogmata admitteret.

Nagran ciuitas egregiè Chriſtiana.

Ea illorum ciuium virtute & cõſtantia Hebræus irritatus, cinxit obſidione ciuitatem, & vallo foſſaque circundatam, nunc blanditijs, nunc minis in ſuam conatus eſt poteſtatẽ redigere. Ciues autem glorioſo Crucis trophæo egregiè confiſi, cunctas obſidionis moleſtias & extremam etiam dimicationem potius ſubire parati erant, quàm abnegato, per ſummũ ſcelus, Chriſto, impio ſeſe tyranno tradere. Obibãt quotidiè execrandi ſatellites muros ciuitatis, audaci & ſacrilego ore ſacroſanctum Chriſti nomen contumelijs proſcindẽtes, blaſphemanteſque; quòd Ieſus nullam ſuis cultoribus opẽ ferre poſſet. Ipſe quoq; Dunaan Iudaica perfidia inſanus, gloriabundus ſe Chriſti ſacerdotes monachoſq; gladio & igne cõſumpſiſſe iactabat, neq; vllam eis à Chriſto in tantis calamitatibus opem præſtitam eſſe mentiebatur. Cumq; ciues nihil ea impietate mori, ſi Chriſto confidere, & certiſſimã ab eo cõſolationẽ expectare reſponderent, neq; fieri poſſet vt fideles eius, cæleſti ope & auxilio deſtituẽtur,

Summa impietas Dunaan Hebræi, Hæreticis haud abſimilis.

tur, tyrannus furore & amētia vexatus, cūctos qui in agris & suburbijs erant, Christianos collegit, eosque, spectante è muris populo, vel crudeliter interfecit, vel supplicijs varijs affectos post in seruitutem vendidit. Sed cum nec ea res inuictam ciuium virtutem quidquam frangere, imò illorum animos ad aspera quælibet, pro Christi nomine, toleranda magis accenderet, tyrannus omissis belli consilijs, fraude doloque ciuitatem subuertere statuit. Igitur cum neque machinæ neque fames quidquā ad debilitandos ciuium animos promouerēt, Dunaan delendi nominis Christiani, per fas perque nefas, vehementer cupidus, vltrò pacis conditiones fraudulento animo ciuitati obtulit; fingens scilicet, se non sinè maximo animi dolore tam præclaræ ciuitatis ciuiumque interitum, diutius ferre posse. Deindè terribili nimis iureiurando interposito, & cæli terræque conditore in testem vocato, se non exitiū ciuitatis sed, salutem petere dixit: Christianā verò religionem saluam eis & integram relicturum, & nouis insuper ornamentis priuilegijsque decoraturum spopondit.

Hisce conditionibus perfidæ pacis pij ciues persuasi, patentibus portis perfidū Hebræum, tanquam lupum in stabulum, admiserunt. Ille vero lustrato vrbis statu & ciuiū virtute egregiè collaudata, scelerata deindè mēte egressus est, grauia & atrocia in eos versans; iusiurandum, pacta, datamque fidem, puerilem esse deceptionem existimans. *Perfidia Hebræi.*

Igitur cum iam iam eorū internecionem animo ac mente concepisset, plenus perfidia & scele-

ſcelere, primarios quoque per ſpeciem honoris ex vrbe euocauit. Adſunt illi & opibus & gloria inſignes: inter quos Arethas vrbis ipſius moderator, cæteris canitie, ſapientia, & morũ modeſtia præſtantior, conſtitit; qui omnium nomine, Regi impio, & ſimulata pietate adhuc tecto, debitos deferebat honores, eum quibuſcunque poterat obſequijs, ad datam fidem ciuibus ſeruandam, prouocans. At ille totus ex fraude & perfidia compoſitus, conditum diu venenum retinere non valens, protinus iuſſit cunctis inijci vincula, facultates eorum diripi, & Paulum vrbis antiſtitem diligenter inquiri. Cum autem duobus antè annis eum vita functum intelligeret, furore & amentia ſtimulatus, contendit ad puluerem, effoſſoque ſepulchro, corpus illius comburi, cineresque in aëre ventilare iuſſit. Deindè eodem furore agitatus, ingentem iubet accendi rogum; Parẽt miniſtri eius imperio: Accenditur, congeſtis vndique lignis, pyra; fertur in ſublime flamma; expectatur aliud tyranni mandatum. Quidam Chriſtianorum trepidi pauidique in latebris ſe abdunt; quidam fide & Chriſti amore acriter incenſi, certamen cum tyranno ſubire parant. Lambebat intereà cæli ſidera vorax incendij flamma, cùm eccè nefarius & perfidus Rex omnes eius ciuitatis ac regionis ſacerdotes, monachos, & Deo ſacratas virgines, & fœminas inſigni virtute & caſtimonia nitentes, vinctos adduci iubet. Ijs pro magna parte in mediũ adductis, Hebræus, Hi, inquit, ſunt, qui cæteros ſuo exemplo & doctrina ad Chriſti cultum alliciunt. Ocius igitur eos in rogum præci-

Vide immanem barbarum.

Exurit omnes ſacerdotes, monachos, ſacraſque Virgines impius tyrannus.

præcipites date : & præconis voce, cæteris Christianis, eundem, ni resipiscant, interitum nunciate.

Aggreditur Aretham.

His ita constitutis, ipse Rex, caput vrbis Aretham est aggressus ; nunc minis, nunc promissis, nunc argumentis, eum eiusque sequaces à Christi cultu auertere tentans. At egregius planè Christi cultor, tyranni perfidiam impietatemque execratus, Quid, inquit, nos separabit à charitate Christi? Nos Christum Iesum à perfidis Iudæis in Crucem actum, vnum, & verum Deum, Deique filium cõfitemur, & pro vniuersa ciuitate, alijsque Christianis nobis subiectis hanc facimus confessionem : parati nullum non tormenti genus pro illius nomine & honore subire.

Constans Arethæ confessio.

Ingentem multitudinem, mortis damnat Hebræus.

Hebræus, hac loquãdi libertate ægrè adaures admissa, eum quidem cum socijs suis in vinculis detinuit, moxque vindictæ cupidus in aliam multitudinem, ex omni genere, & ætate collectam mortis tulit sententiam: primatum verò vxores liberosque antè oculos eorũ adductos minis pariter ac promissis ad Christi negationem prouocabat. Illæ autem virorum exemplo ad constantiã animatæ perfidi Regis imperium irridebant, & protensis in cælum manibus Christi æterni Regis numẽ ad neglecti iurisiurandi vltionẽ inuocabant. Qua earũ virtute Dunaã prouocatus furoris sui habenas laxauit, matresq; familias cũ monachis & virginibus gladio feriri mandauit. Ibi tunc videre licebat admirandum & iucundum spectaculum earum quæ pro Christi nomine decertabant. Sanctæ enim mulieres simulac senten-

prope-

properabant. Eas verò monachæ impediebant, asserentes, iustum esse, eas quæ dignitate priores erãt etiam martyrij certamine antecedere debere. Itaque magna & præclara erat inter eas contentio, quęnam hostem prius sterneret, & gloriosa martyrij corona redimita ad cælos migraret.

Præclarum facinus matronæ viduæ & duarum filiarũ eius.

Inter ea certamina fortè fœmina quædam inter omnes genere, diuitijs, gloria, & pulchritudine præstantissima vidua, tyrannum insectabatur. Erant ei duæ filiæ eximia pulchritudine virgines, quæ matrem ad martyrium euntem comitabantur. Tyrannus autem eam cum honore ac reuerentia ad se adduci præcepit: adductamque blanditijs ac promissis a Christi confessione abducere conatus. Illa verò constans animi, & promissionum Christi memor, tyranno respondebat egregiè, eiusque impietatem multis arguebat; Deum & creaturas omnes violati iurisiurandi vindictam breui sumpturos asserens. Hæc aliaque martyre dicente, Hebræus diutius loquendi libertatem generosæ fœminæ non ferẽs, ablata fictione eam ilicò discerpi iussit. Prima autem filiarum eius annorum duodecim, cum Regem audiret Christi nomen maledictis insectari, sputum in faciem eius coniecit: vndè ministri, tempori seruientes, ilicò eam sororemque gladijs confoderũt, & profluentem è vulneribus sanguinem matri libandum obtulerunt. Illa verò sublatis ad cælum oculis, Tibi, inquit, ô Christe hoc meum offero sacrificium; tibi castas virgines martyres exhibeo: dignare & me earum sociare consortio, & ostẽde ma-

Admiranda planè matronæ virtus.

Psalm. 131.

de matrem filiarum lætantem. Rex autem grauissimo ægritudinis animi stimulo sauciatus, cum iam nullam victoriæ spem reliquam cerneret, Configite, inquit, & illam gladijs, ne diuti' regio diademati illudat. Hoc ergò beato fine sanctissima martyr, post gloriosum filiarum triumphum, coronata est.

Demum & ipsa trucidatur.

Sequenti autē die Arethas cum socijs numero trecentis & quadraginta ad certamē euocat' fuit. Venit ille incredibili alacritate, deuexa planè ætate vir (annum enim agebat nonagesimum quintum) visu iucundus, & populo, cùm propter pietatem, tum eximiam, qua pollebat, facūdiam valde gratus. Igitur vt antè tribunal Regis adductus fuit, primò immensas Christo gratias egit, quod eū honore martyrij, post tot tantaq;, quę in omni vita perceperat bona, dignaretur: deindè cōuersus ad plebē, quæ pijs lachrymis ducē suum ac tanta grauitate virū, ad certamen prosequebatur, multa ad eā de huius vitę breuitate & ineuitabili mortis in humanū genus imperio luculēter disseruit: cunctosque ardētibus oculis hortat' est, vt libēter corpora sua, breui alioquin interitura, pro Christi nomine & gloria, supplicijs tyranni offerrēt: certi æternam se in cęlis lætitiam & gloriam nullo vnquam tempore finiendam recepturos.

Aetas Arethæ admodum deuexa & præclarū eius pro fide certamen, cum socijs 340.

Hęc aliaq; dicentē & pulchra oratione prosequentē; Hebræus, postquā diu satis sustinuisset, tandem cum asseclis omnibus capitis damnauit: quam illi sententiam certatim ad torrētem, quem Odias appellant, properātes exceperunt. Accidit autē tunc eodem in loco admirandum planè in puero spectaculum: qui præsens

Mulieris cuiusdam & filij eius pueri egregia virtus.

sens cum matre martyrũ certamina contemplabatur. Mater enim cum esset egregiè Christiana, martyrij æmulatione accensa, citissimè accurrens, martyris ipsius Arethæ cruore, sesliumque perunxit. Deindè Regem tyrannidis & perfidiæ incusans magna voce exclamauit: Erit Hebræorum Regi, sicut Pharaoni. Fuit illicò à satellitibus compræhensa & Regi oblata: qui piam fœminam Christum præclarè cõfitentem, Regisque blanditijs ac minis aures occludentẽ ignis incendio condemnauit. Cõgeritur vndique ingens lignorum sarmentorũque materia; pix quoque & fulfur adduntur; subditur ignis, flamma, non sine spectantium horrore, in altum defertur: Puer interim solus relictus matris absentiam magno eiulatu deplorabat, & æger animi huc illuc discurrebat, amicissima lingua matrem iterato requirens. Cumque reflexis in omnem partem oculis Regem in excelso sedentem solio conspiceret, festinus ad ipsum accurrens, prouoluit se ad pedes eius, totusque lachrymis perfusus, balbutiente lingua (quinque enim annorum puer erat) pro matre supplicabat. Rex autem eo accepto, genibusque imposito (erat enim scitus admodum & elegans) rogabat quicum versari mallet, & quem magis diligeret. Ille autem ingeminatis vocibus matrem cum lachrymis inclamabat. Nam propter eam, inquit, ad te veni, vt soluatur, meque simul ad martyrium assumat. Illa enim sæpè ad hoc me hortata est.

Nota quinque annorum pueri admirandam virtutem.

Attendens autem Rex verba pueri, Quid est hoc, inquit, quod dicis martyrium? Respondit puer: Pro Christo mori, & rursus viuere. Et

Rex,

Rex, Quisnam est hic Christus? Puer autem: Veni huc, inquit, ad ecclesiam, & eum tibi ostendam. Inter hæc visa matre, incredibili fletu & eiulatu ad eam se deduci postulauit. Rex autem crepundijs & fructibus visu gustuque suauissimis, eius lachrymas & fletū extinguere nitebatur. Sed non poterat vllis munusculis pueri dolor leniri, nec eiulatus comprimi. Defixis enim in eam obtutibus nihil nisi matrem ingeminabat. Cùm verò cerneret eam in flammas inijci, totis visceribus inflammatus, acri dente Tyranni momordit femur. Rege verò illum abijciente pellenteque, cursu ad matrem contendit, & in medium ignem insiliens eam arctè est complexus, & sic demum in ipso complexu matris, extremum edens spiritum, pariter cū ea martyrij corona redimitus migrauit ad cælos.

Intereà Tyranno magis indies magisque in reliquum Christianorum vulgus sæuiente, eccè tandem offensum Christi numen iram suam cælitus impio ostendit Hebræo, vt vel ad saniorem rediens mentem misericordiam consequeretur, vel in furore persistens iustam scelerum suorum à Deo vindictam perciperet. Ignis enim diebus aliquot per aëra discurrens ingenti exercitum terrore complebat: deindè, Tyranno ea signa parui pendente, pluuiæ instar in terram ruit, & magnam multorum animantium stragem edidit. Sed nec eo quidem terrore ad fidem pietatemque sceleratus impij Regis animus inflecti potuit: quin potius nouo accensus furore Christianis omnibus bellum indixit: & extremum exitium, alijs

Vindicta diuina in impium Hebræum Danaan.

Præclarus exercitus Elesbaan Regis Aethyopũ de 120. millibus armatorum & 130. nauium.

etiam principibus ad communionem nefarij sceleris concitatis, proposuit. Rebus igitur Christianorum hoc modo afflictis, & in vltimũ penè discrimẽ adductis, Elesbaan AEthyopum Rex, paratus vel grassantem impietatem bello profligare, vel gloriosæ morti pro Christi nomine constanter occumbere, nouum cõfestim instruxit exercitum, centum & viginti millium, nauiumque Indicarum 70. & è mercatorum nauigijs, quæ bello aptauit, sexaginta: magnum & præclarum militum robur, quo hostiles impetus facilè profligare posse, pestemque nefariam vno bello opprimere videbatur. Sed ne laudes vni Christo debitæ, ad mortales, viresque humanas transferrẽtur, accidit, vt quædam militum pars per loca arida & transitu difficilia, ad partes magis Occidentales profectura, fame sitique conficeretur, fœdeque periret. Id vero vbi Elesbaan qui tunc copijs naualibus aderat innotuit, re ipsa experiens quàm planè sit incertum atque vanum humano prorsus inniti auxilio, ad solã Christi opem supplex confugit, depositisque imperij insignibus & regio diademate, templum ingreditur, fusoque in conspectu Altissimi copioso lachrymarum imbre, multis corporis animique afflictionibus, quanto propagandæ Christi gloriæ incensus esset ardore, egregiè testatus est.

Elesbaan egregia pietas.

Consulit monachum quẽdam Rex Elesbaan.

Deindè concepta quadam diuinæ clemẽtiæ fiducia, è templo recta ad monachum quendã insigni pietate & prudentia virum, qui annos quinq; & quadraginta in angusta turricula, admiranda vitæ sanctitate, Deo militauerat, de

bello,

bello, prælijq; exitu ſciſcitaturus contẽdit. Ab eo verò egregiè animatus, & de certiſſima hoſtiũ victoria optimè ſperare iuſſus, fidenter reliquas militum copias, in hoſtem duxit; multiſque in locis fuſis fugatiſque hoſtium phalangibus, non ſinè ingenti miraculo vniuerſas copias hoſtiles, ipſumque Regem internecione deleuit: & nubilam Eccleſiæ faciem diuturno mœrore & lachrymis obſcuratam mira ſerenitate illuſtrauit. His ità peractis diuinus Rex Elesbaan, vt dignas meritaſque Chriſto, pro tam inſigni victoria, referret gratias, poſtquam cunctos è ſeruitute Chriſtianos in libertatem aſſeruiſſet; & ſtrata dirutaque templa ac ſacella erexiſſet; ſumptibuſque regia magnificentia ac ſplendore dignis, exornâſſet; ſeipſum quoque Deo in holocauſtum obtulit: ita planè, vt ſpreto diademate, opibuſque contemptis, in monaſticam ſeſe diſciplinam tradiderit; ſolaque ſtorea, & poculo ad ſuppellectilem, pane verò & aqua, atque oleribus ad vitæ ſuſtentationem contentus, rigidam ſanè & egregia virtute ac ſanctitate conſpicuam duxit vitã: mundo deindè ignotus, at ſoli Chriſto cognitus; à quo æternæ retributionis mercedem ſecurus expectabat.

Elesbaã Hebræum & vniuerſas illius copias bello proſternit.

Rex Elesbaã fit monachus & rigidiſſimam ducit vitam.

VITA S. MAGLORII EPISCOPI DOlenſis, in Britannia Minori: ex ea quæ eſt apud V.P. Lar. Surium. Claruit anno à partu virgineo 620. &c.

Vide C. Baron. Notat. ad Martyr. Roman.

SMaglorius natione Anglus, patre Vmbraſelo, matre verò Affrella parẽtibus generis nobilitate admodũ claris prognatus, ab Hel-

24. Octob. Patria & parẽtes eius.

ab Heltuto S. Germani Antissiodorensis Ecclesiæ Episcopi discipulo, & liberalibus disciplinis & sacris literis egregiè est institutus. Vndè processu temporis vitæ integritate puritateque conspicuus, à beato Samsone Episcopo, Diaconus, diuinique verbi minister ordinatus est; qui & eum ob meritum sanctitatis eius reuerenter admodum habuit: eumque secum, cum nonnullis clericis & Laicis in Britanniam minorem prædicandi causa traijciens, assumpsit. Vbi multis vitæ annis, vberrimo cum fructu & miraculorum signis, præclarè exactis, febri tandem correptus sacer Antistes decubuit; sentiensque vicinam imminere mortem, Maglorio ad se vocato, eum post migrationem suam eius gentis futurum præsulem spiritu prophetico prædixit.

Ordinatur diaconus & Concionator.

Samson Britanniæ minoris insignis Episcopus. Eius prophetia & obitus.

Et quidem eo beatissimè defuncto, Maglorius iuxtà sermonem eius, Dolensis Ecclesiæ regimen suscipere coactus, Christo adiuuante, magnarum virtutum de se exempla dabat: cum eccè nocte quadam Angelus Domini assistens ei dormienti, hæc inter alia ait: Hactenus quidem Maglori ad pascendum Domini gregem in huius Episcopatûs publica Luce versatus est; at nunc vt possis liberius vni vacare Deo, & eius laudibus totum te impendere, remotioris loci pete secessum, vitamque viuas solitariam; prouidit siquidem tibi Deus multas oues vitæ monasticæ deditas: quibus te pastorem præficiet innumeris clarificandum virtutibus. Eam visionem vir sanctus valdè admirans, expergiscitur, agit-

Fit Episcopus Dolensis Maglorius.

Ab Angelo monetur solitarius viuere.

agitque Deo gratias, quod id iampridem ardẽti desiderio concupierat, reipsa vt perficeret eum per Angelum suum admonere dignatus esset.

Igitur non multo post Budocum, qui à puero sanctè religiosè cum ipso vixerat, pro se Dolensis Ecclesiæ Antistitem consecrauit; cleroque & populo valedicens abijt ad locum quendam instituto suo opportunum valdè: cunctis interim incredibili quodam animi dolore tabescentibus ob discessum pastoris tam boni. Ibidem verò cum in abscondito ieiunijs, vigilijs, precibusque feruentissimè incumberet, tamen diu latere non potuit, sanctitatis namque eius fama passim increbrescente, ex diuersis regionibus cæci, claudi, leprosi, dęmoniaci, varijsque alijs affecti incommodis ad eum aduolabant, salutem expetentes; Multi quoque animarum suarum remedia percipere cupientes: quos ille benigno mentis affectu excipiens, in vtroque curatos homine lætantes à se dimisit. Plerique autem multa ei offerebant munera auri, argenti, rerumque aliarum, gratos se illi declarare volentes: quæ quidem ille protinus in pauperes viduas, pupillos, captiuos, fameque affectos liberaliter erogauit.

Prouiso sibi in Episcopatu successore adit solitudinem.

Miraculis claret.

Munera vt expenderit.

Cernens autem vir sanctus tam multa sibi offerri, tantamque hominum multitudinem ad se indies confluere, magno animi dolore correptus, iamplanè deliberârat ad desertum aliquem proficisci locum vbi nulla hominis vestigia existerent. Accersito autem primum ad se Budoco Antistite, ei animi sui conceptũ

Eremum petere cogitat.

Mutat quidem optimè sententiam.

patefecit. At ille luculēta sanè ex diuinis scripturis concinnata oratione, viro sancto in consulto meritoque laudabili proximis benefaciendi studio perseuerare persuasit retinuit, confortauitque, Vndè procedente tempore cum permultos ad meliorem frugem sese recipere cupientes in societatem suam admisisset, condidit alio quodam in loco dono sibi dato, Ecclesiam & Collegium monachorum; quos congregauit sexaginta adusque duos: eosque vita & doctrina sua eruditos, Deo & sanctis eius debitæ seruitutis officia præstare docuit, Qualem autem ipse sese præbuerit, quibusque virtutibus enituerit, cum nullus facilè dicendo possit consequi, nobis pauca tantum commemorasse sufficiet.

Condit monasterium.

Benè suis præest.

Compēdium sanctissimæ conuersationis eius.

Et quidem cum ab ipso matris vtero vixisset castissimus, essetque virginitatis conseruādæ studiosissimus pane tantum vescebatur hordeaceo & viliori legumine: eoq; parce. Quarta & Sexta feria prorsus nihil sumebat cibi. Carnem suam perpetuo cilicij vsu macerabat. Vestes exteriores habuit nec admodum viles, nec sanè pretiosas, sed mediocres: vt humanos applausus & gloriolam declinaret. Ab eo tempore quo solitudinem expetijt, nec vinum nec siceram bibit. Diebus solennibus per paucis pisciculis vescebatur. Fratribus noctu quiescentibus, ille insomnis orationes spontaneas precibus Matutinis coniungebat. Hospitalem admodum sese exhibebat ad ipsum aduentantibus: & vt multa paucis expediamus nulla nō virtute exstitit perornatus.

Et quidem ille sic innumeris clarebat virtu-

tibus

cibus & miraculorum signis; cum eccè in S. Paschatis vigilia Angelus Domini eximio splẽdore coruscans, illi in templo more suo nocte vigilanti, adusque tertio apparuit, trãsitum eius ex hoc mundo prędixit: beataq; immortalitate propediem eum participem fore asseuerauit: quin & viaticum ei tanquam breui morituro tradidit. Ab illo igitur die de suo obitu sollicitus, nisi causa ineuitabilis & multis profutura adesset, vsque ad diem vocationis suæ, semper versum hunc ore repetebat: vnam petij à Domino, hanc requiram: vt in habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Sed enim Templum Dei indefessus assiduò frequentabat; alijsque sanctitatis operibus iugiter intendebat: quoadusque tandem expleto labentis vitæ cursu, fratribus valedicens & inter verba sanctæ exhortationis animam expirans, felici migratione peruenit ad Christum omnium Redemptorem.

Cælitus prænoscit obitum.

Ab Angelo viaticum accipit.

Psal. 26.

Vt se ad mortem præparauit.

Felicissimè obit.

EGREGIVM MARTYRIVM SS. Chrysanthi & Dariæ: Ex historia quam Varinus & Armenius presbyteri S. Stephani Papæ scripserunt. Extat apud Metaphrasten. Coronati sunt Anno Christi Ducentesimo quarto vel circiter.

Vide Tom. 7. Annal. C. Baron.

VIR quidã Alexandrinus, illustris in ciuitate sua princeps, ordinisque senatorij, Polemius nomine, cũ vnico filio suo Chrysantho Romã concedens, ibidẽ à Nũeriano Imperatore maximis honoribus decoratus fuit. Hic cũ filiũ suum rerũ maximarum cogni-

25. Octob. *parentes eius.*

tione imbuisset, eoque eruditionis prouexisset, vt philosophorum præceptionibus preclare instructus, ad metaphysicarum rerum disciplinas ardenti cupiditate aspiraret, accidit vt in sacros Euangeliorum codices fortè incideret, eosq; incredibili quadã auiditate veritatis indagandæ deuoraret. Cumque inter legendũ insperata quædam lux, in medijs tenebris mẽti illius oriretur, neq; tamen rectam veritatis semitã per se, suoq; ingenio inuenire posset, statim viæ ducẽ requirere cæpit. Accidit opportunè vt de admirãda Carpophori & virtute, & prudentia, & rerũ diuinarum eruditione, multa audiret: cuius viri fama, adeò eius est amore incensus, vt nullum non moueret lapidem quo ad eius notitiã peruenire mereretur. Degebat is Carpophorus in horrida quadam & inuia spelunca: vbi persecutionis declinans sæuitiam cælestium rerum contemplationi sedulus vacabat. Ad eum igitur Chrysanthus veniens fuit peramanter exceptus, & paucis mensibus diuinas scripturas tam excellẽter ab eo edoctus, vt septimo à percepto baptismate mense, Christũ Iesum palã cunctis prædicaret.

Vide quid præstet lectio piorum codicum.

Carpophorus in spelunca degens Chrysanthum instituit.

Ea res cùm diu occulta in tanti principis filio esse non posset, celebri sermone ad aures Polemij patris eius delata est: qui vehementer stupefactus eum confestim obscuro fœdoque carcere includendum curauit: vt eo squalore fractus à fidei constantia resiliret. Sed illa corporis afflictio animũ iuuenis magis roborabat, confirmabatq;: adeò vt famem sitimque, & cunctas molestias, summas reputaret delicias. Quid enim iucundius, quidve glorio-

Chrysanthus à parente in carcerem conijcitur.

gloriosius homini Christiano accidere potest, quàm pro Christi nomine molestijs ac supplicijs afflictari? Itaque cum pater filium asperis & duris rebus indies magis magisque in Christi fide & amore roborari cerneret, cuiusdam instinctu persuasus statuit eius animum puellarum blanditijs, carnisque delicijs ac voluptatibus eneruare. Igitur triclinium peristromate ornari, & eò filium è tenebroso carcere preciosis indutum vestibus deduci iubet; deindè speciosissimas virgines è numero ancillarũ selectas, eleganter comptas & ornatu mirifico fulgentes immittit, quę castissimi adolescentis animum ad fœdas & impuras carnis voluptates alliceant. Degebat igitur inter impudicos puellarum greges vir Dei; sed adeò constanter in proposito perstabat, vt & ciborum delicias contemneret, & virginum, tanquàm aspidum, contactus euitaret: Humi assiduò stratus, Christi gratiam, contra dæmones & carnis insidias, cum lachrymis implorabat; puellarum blãditias tanquàm sagittas, fidei clypeo repellebat: clamabatque ad Dominum: Quis, ô Domine, sæuum hoc & immane bellum, ab aduersario excitatum, sustineat, nisi præstò adsit victrix dextera tua? Scio, Domine, scio, neminem virtute propria œstrum libidinis superare, & insitam nobis cupiditatem extinguere posse, nisi tuæ imbre misericordiæ, bullientia carnis incendia extinguantur. Voluptas enim titillat animum, quæ instar improbæ feræ, in vitæ nemore latitans, animas deuorat. Cuius si quis morsus effugerit, est quòd tibi soli Saluatori nostro, ex animo gratias agat. Tuum enim est,

Conatur eum pater puellarum blanditijs à Christo auertere.

Egregiè dimicat cõtra puellarũ blãditias & carnis voluptates.

Nemo potest esse cõtinens nisi Deus det.

nos ab eiusmodi periculis liberare. Et nunc Domine, supplex gratiam tuam deposco, vt aduersus immanes istas belluas opituleris, vt quemadmodum serpentes suaui incantantium voce sopore grauantur, sic & ipsæ, me precante, somno opprimantur: ne mihi bellum libidinis inferre queãt. Hæc illo orante & lachrymis pectorisque tunsionibus carnis pruritum, vt poterat, extinguente, virgines omnes graui adeò sopore oppressæ sunt, vt non nisi ex triclinio exportatæ, excitari possent. Foris igitur cepêre cibum. Verùm cùm tricliniu ingressæ, bella castissimo iuueni mouere vellent, altus eas rursum somnus complexus est.

Ex potentem vim precum eius.

Hæc vt fuêre patri nunciata, cœpit is filium vt mortuum deplorare. Quidam autem amicorum eius vt aliquam afflicto principi consolationẽ præberet, Magicam, inquit, ô virorum illustrissime Polemi, à Christianis edoctus artem Chrysanthus, facilè simpliciores puellas incantatione deuincit; sed accedat erudita aliqua & prudentiæ opinione insignis; qualis inter Mineruæ virgines, vna omnium præstantissima, est Daria; quæ vultu admodùm venusto, ingenij acumine, & prudentia atque eloquentia singulari, facilè adolescentis animum superabit, & quocunque libet, nubilis iam ætate, impellet. Placet consiliũ patri. Vocatur Daria à patre & ab amicis cognatisq; ad fraudẽ insidiasque egregiè instruitur; ornatur; componitur: Ingreditur deindè ad Chrysanthum audacter, blandisque sermonibus, & dulci atq; ornata oratione, conatur adolescentem à proposito remouere. Verùm Chrysanthus Dei præsidio mu-

Daria mittitur ad Chrysanthum vt eum à Christo auertat.

dio munitus, diaboli iacula scuto fidei reiecit, & Christi numen ardenti spiritu precatus, sic ferè eam est allocutus.

Si temporariæ coniunctionis, causa, ô virgo præclara, tam elegantem ornatũ & dulcem orationis copiam adhibuisti, vt me hominem mortalem, alterius amore inflammatũ, ab animi proposito abducerens, mentemque immutares, quanto magis debes operã dare, vt immortalis Regis filij Dei tibi amorem concilies? quod quidem si volueris, nõ erit difficile. Nam si animam simul cum corpore mundam, & ab omni macula puram integramque seruaris, & cor tuum, æquè ac corpus, exornaueris, & quemadmodũ extrinsecùs splendes, sic mores tuos intrinsecus cõposueris, mox Angelos fautores habebis; Apostolos & martyres tui amore inflãmabis: qui operam dabunt vt ipse Christus thalamum tibi incorruptis lapidibus & margaritis in cælo constructum adornet; delicias, quas nulla mẽs creata capere potest, præbeat: denique iuuentutis florem largiatur immortalẽ. His Daria verbis cõmota, nulla me, inquit, amoris causa hoc modo ornatam huc adduxit; sed patris tui lachrymis impulsa veni, vt te parenti, restituerem, & ad deorũ cultum reuocarem. Si aliqua, respõdit Chrysanth°, tenes argumenta, quib. id mihi verè persuadeas; & consilium mutabo, & te diligenter audiam. Itaque pro cõmuni vtilitate de his disseramus. Nihil inquit, Daria, magis vtile aut necessariũ est hominibus, quàm religionem colere; & diligenter cauere, nè ea neglecta, maximum deorum numen ad iram concitemus.

Insignis oratio Chrysanthij ad Dariam.

Dariam ad Christum cõuertit Chrysanthus.

His ità constitutis cùm virgo eximia prudẽtia, & moribus ac ingenio facillimis, attentas Chrysanto aures præberet, non fuit difficile animum æternæ salutis desiderio inflammatum, ab inanium deorum & simulachrorum cultu, ad veri æterniq́ue Dei cognitionem adducere. Itaque Chrysantho disserente, credidit Daria: & communi sententia inter eos constitutum est, vt, simulato coniugio, virginitatem in Dei timore ad extremum vitæ spiritum seruarent.

Baptizatur Daria.

Cùm igitur sub matrimonij nomine Chrysanthus summa patris voluntate & gaudio, in pristinam libertatem dignitatemq́ue restitutus esset, antè omnia Dariam domi suæ sacro fonte lustrandam curauit: lustratamq; exiguo temporis spatio eximia diuinarum rerum cognitione instruxit. Quæ, suscepto virginitatis velo, admiranda sanctitate & castimonia enituit. Et quemadmodùm per Chrysanthum innumerabilis virorum multitudo, sic per Dariam incredibilis fœminarũ numerus ad Christi gratiam concurrebat: & multæ virgines, dimissis sponsis, se Christo dicabant. Multi item adolescentes, spretis mundi delicijs ac voluptatibus superatis, castitatemq́ue complexi, eidem Christo se consecrabant. Cęterùm seditio in ciuitate repentè exorta est, publiceq́ue populus Celerinum prętorem adit. Clamant adolescentes, se desponsatas sibi mulieres propter Dariam amisisse. Vociferantur fœminæ, sibi Chrysanthum maritos eripuisse, atque ita suscipiendæ prolis spem omnem amissam esse. Odiosa igitur crimina obijciebãtur, & ingens tumul-

Chrysanthus & Dario simulato inter se coniugio multos ad Christum cõuertunt.

tumultus ac perturbatio magis magisque populum concitabat. Itaque Prætor statim eos corripi,& varijs tormentis,nisi dijs immolent, affici iubet. Traditur Chrysãthus Claudio Tribuno. Tribunus eum militum permittit furori: qui madefactis eum vinciunt neruis;vt illis arescentibus,& ad ossa vsq; penetrantibus, angeretur. Verùm cum vincientium manus quieuissent, dicto citiùs vincula disrupta impios militum conatus eluserunt. Qua propter indignati triplicibus eum strinxêre cõpedibus,fœdoque incluso carceri illudere cœperunt: sed illis illudentibus, compedes in puluerem redacti sunt. Tunc impij satellites furore,& amẽtia pleni,sublatum lotio consperserunt: vt maleficia,quibus eum vti calumniabantur,opprimerent. Sed fœtoris loco,mira odoris,suauitas est consecuta;non aliter, quam si roseus liquor diffusus esset.

Capiuntur martyres.

Crudeliter vinciturChrysanthus.

Variè torquetur.

Quid igitur? ô immanes hominum mentes. Excoriato vitulo, ipsum in eius pelle nudum incluserunt,ardentissimisque solis radijs tota die expositum torrere voluerunt. Sed vir Dei nullum ex vehementi calore incommodũ percipiens ostendit,docuitque egregiè, se nõ magicis artibus,sed summi & omnipotentis Dei protectione illæsum & saluum contra omnia tormenta permanere. Catenis igitur vinctum obscuro denuò carcere concluserunt. Sed fractis ilicò catenis, cælestis quidam splendor in medijs tenebris eluxit,qui haud mediocri milites admiratione affecit. Cuncta igitur renunciant Claudio:qui festinus ad carcerẽ veniens, Chrysanthum foras prodire, & prodeuntem

Immane supplicium.

palis

palis alligari, virgisque atrociter cædi iubet. Allatæ sunt virgæ sanè durissimæ; quæ tamen sanctissimi viri corpori admotæ, instar papyri, molles factæ sunt. Quod quidem animaduertens Tribunus, eum solui, atque erigi, vestimentisq; indui imperauit. Et ad milites conuersus, Nostis, inquit, ô milites omnes magorum & incantatorum fraudes à me deprehensas, & ad nihilum redactas esse: hic autem non maleficium humanum, sed diuinæ virtutis potentiam esse comperio. Nam & neruorũ vincula spontè dissoluta sunt, & compedes cõfracti, & corij humiditas in solis ardore per totũ diem non exaruit, & tenebricosus carceris locus luce illustratus est; & virgæ in manib. militum asperrimæ, inter verberandũ, veluti papyrus molles effectæ sũt. Quarè cùm luce meridiana clariùs veritas & iustitia nobis appareat, quid reliquum est, nisi vt omnes ad huius viri genua prostrati, veniam eorum petamus, quæ summam per iniquitatem in eum patrauimus? precemurque, vt nos huic Deo conciliet, qui cultores suos in omni bello victores facit. Etenim quemadmodum nos vicit, sic omnes principes & Imperatores superabit.

Claudius Tribunus visis mirabilibus credit in Christum.

His dictis Claudius vnà cum militibus: Hilaria vxore sua, & duobus filijs, Iasone & Mauro, & tota denique familia, supplex ad Chrysanthum abijt, eiusq; pedib. prouolutus Christi lauacrũ humiliter flagitauit. Chrysanthus ea re vehementer gauisus cunctos catechesi instruxit, expiatosque salutari lauacro ad mortem pro Christi gloria cõstanter oppetendã hortatus est. Rumor rei gestę ilicò ad aures Numeriani Impe-

Baptizatur Claudius cũ omnib. suis.

Imperatoris peruenit, qui milites in Christi cófessione cõstantes capitis dãnauit. Et primò quidem Claudius ligato ad collum lapide in mare præcipitatus glorioso fine triumphũ de hoste peregit: quem pari virtute filij sequuti, copias militares ad eandem martyrij gloriam suo exemplo pertraxerunt. Fuêre eorum corpora à Christianis haud procul ab Vrbe, in via quæ Mauri nuncupatur, honorificè condita. Quem locum Hilaria cùm frequentiùs venerabunda obiret; à militibus quibusdam comprehensa est. Cumque per vim abstraheretur, Sinite me, inquit, precationem meam absoluere; qua absoluta, sequar quocunque vocatis. Ea facultate haud grauatè concessa, pia matrona flexis genibus, manibusque insita pietate in cælum protensis, tacitæ precationi se totam dedit, atque inter precandũ Deo spiritum tradidit.

Fit martyr cum suis omnibus.

Hilaria Claudij vxoris ob. eius.

Intereà noua in Chrysanthum, Dariamque à Numeriano excogitantur supplicia. Et quidẽ illo in carcerem Tullianum profundissimum ac teterrimum coniecto; hęc in lupanar detrusa fuit. Quibus vario tormentorum genere affectis, varia Dominus gratia opitulatus est. Chrysantho enim odoris suauitatem & lumen attulit. Dariæ verò leo, qui è stadio fugerat, auxilio fuit. Lupanar enim ingressus in medio sese extendit. Quod cùm ciues lateret, fuit ab eis salacissimus quidam iuuenis, multis coopertus flagitijs, immissus, vt virgini vitium inferret, & volentem nolentemque ad scelus impelleret. Sed simulac pedem in cubiculum intulit, leo in eum impetum fecit, pro-

Chrysanthus & Daria contra supplicia mirabiliter defenduntur.

prostratumque pedibus conculcans, intétis in virginem oculis, quid ab ea fieri vellet, petere videbatur. At virgo, re cognita, Adiuro te, inquit, per filium Dei, ne ei facultatem nostros audiendi sermones præcludas. Leo confestim eo relicto ad fores aduolauit, & cũctis introitum diligenti custodia præclusit.

Vide rem miram.

Tunc Daria ad iuuenem: Ecce, inquit, immanis fera Christi nomine audito, Deum colit: & tu tot flagitijs sceleribusque opertus, homo tamen ratione præditus, in dementia tua ad extremum cum certa pernicie persistes? At ille humi prostratus veniam & salutem deprecari, spondens si incolumis egrederetur, omnibus se Christum annunciaturum. Imperauit igitur leoni Daria, vt abeundi ei potestatem faceret. Paruit rursus Leo; egressusque iuuenis per omnes vicos plateasq; cursitans, magna voce Dariam esse deam clamauit.

Dum hæc fiunt, audacissimi quique ad leonem vinculis coercendum è stadio adueniunt; qui primo ingressu à fera deiecti, eiusque pedibus, spectante Daria, calcati sunt. Quibus Daria: Si, inquit, in Christum credideritis, incolumes abire poteritis: sin minùs, dij vestri liberent vos. At illi vna omnes voce clamare: Qui Christum, verum viuumque Deum non credit, continuò intereat. Hæc clamantes, & Christum vna voce confitentes illæsi discessêre: ac paulò pòst salutari lauacro mundati haud pœnitendos fidei suæ fructus dedêre.

Hæc omnia Imperatori vt nunciata sunt, iussit is Pontio prætori, vt Chrysanthum Dariamque

que varijs excruciatos tormentis morte acerbissima afficeret. Fuit sinè mora constans athleta in armamentario suspensus, sed mox fracto ligno, & vinculis solutis, facibusq; extinctis, martyr in medio satellitum agmine illæsus constitit: Daria verò simili virtute ab omni militum petulantia immunis permansit. Nam qui sacrilegas in eam manus mittere conabantur, ilicò stupefactis neruis, ingēti dolore cruciabantur. Quo cognito Imperator diuinam virtutem magicis non veritus artibus ascribere, iussit eos extra Vrbem abduci, & in via Salaria, effossa terra, viuos obrui. Illuc igitur sancti perducti, in foueam canentes & precantes descenderunt; & terra lapidibusque obruti, præclaram martyrij coronam simulque sepulturam perceperunt.

Viui terra & lapidibus SS. martyres obruuntur.

Porrò cum Dei gratia multæ ibidem virtutes coruscarent, accidit vt incredibilis virorum, & fœminarum, puerorumque multitudo ad solennem martyrij ipsorum diem celebrandam in specu quodam conueniret. Id Numerianus vt intellexit, speluncæ os atque aditum obstrui iussit Quod quidem summa celeritate cùm factum esset, terra vndique decedente, omnes diuinorum mysteriorum participes facti, martyrij coronam incredibili cum gaudio adepti sunt: inter quos presbyter Diodorus, Martianus diaconus, & alij non pauci eximia pietate & doctrina clerici, cæteris Christi fidelibus sua virtute atque constantia ad mortem viriliter pro Christo oppetendam animos addidêre.

Tumulus eorum miraculis celebris.

Martyrium Diodori presbyteri, Martiani diaconi & aliorum plurimorum.

Vide C. Baron Notat. in Martyrol. Roman.

MARTYRIVM S. MINIATIS MILITIS Florentini: *Ex eo quod extat apud V.P. Laurent. Surium.*

25. Octob. a *Anno Christi* 253. *& seq.*

QVo a tempore Decius Imperator tormentorum immanitate in Christianos sæuiebat, fortiaque credentium pectora fœlici cruore exornabat, miles quidam pietate nõ minùs quàm bellicę rei gloria insignis, in suburbio Florẽtinæ ciuitatis à ministris Decij cõpræhensus fuit. Qui conditionem ac nomen interrogatus: Intrepidè, Christianæ, inquit, professionis sum: Minias autem mihi nomen est. Ea tam constans Dei cultus assertio, magnum sciscitantibus accẽdit furorem, gaudentque scelerati satellites se inuenisse, cuius supplicijs Imperatoris crudelitas oblectari posset. Retractum igitur ex itinere, ac statutũ pro tribunali Decius vultu & voce minaci cõpellans: Tunè es, inquit, Minias, qui Christianæ nescio quàm inepta, religione, totam cõturbas prouinciam? Tum ille: Minias, inquit, ego sum seruus ac vinctus Iesu Christi, viui ac veri omnipotentis Dei, qui te perpetuum gehennæ tortionem supplicijs destinabit sempiternis, nisi ab istorum discesseris cultura, quibus spiritu vitæ vacuis, tu profana cæcus dementia, preces fundis ac genua curuas.

Cõstans eius confessio.

Egregiè respondet Decio.

Tum Tyrannus primò blandimentorum armis succinctus, fixam adolescentiæ & immobilem cõstantiam expugnaturus, sic eum adorsus est. Annos viuidæ iuuentutis tuæ abrumpere horremus, floremque decoris tui pœnis afficere indignum iudicamus, sed deorum iniuriam,

Blanditur ei Decius.

riam, ouibus tu pertinaciter ac blasphemo ore obloqueris, inultam relinquere, sacrilegum arbitramur. In medium igitur ocyùs consule, vt & læso deorũ honori, quibus vniuersus subiectus est orbis, satis facias; & inuisa nobis de te sumendi exempla necessitatem auferas. Si resipiscere libet, diuitiarum tibi affluẽtiam & gloriæ apponemus splendorem, omniq́ue te gaudio & lætitia cumulatum dimittemus. Et quale, inquit, Minias, tu gaudium præstabis, qui continua impietatis siti laborans, sanguine sanctorum ebrius, æterni miseriam luctus euadere non potes.

Respondet præclarè martyr.

Tunc Decius effera correptus ira, præcipit horribilem, cui deuorandus obijciatur, adduci feram. Paretur continuò, immanisq́ue adducitur pardus: quem Christi seruus, apprẹhenso orationis scuto irruentem excepit, dicens: Domine Deus adiutor meus esto, nè derelinquas me Domine Deus salutis meæ. Vix verba hæc finierat; & fera diuino saucia telo expirauit. Arguitur vir sanctus maleficiorum: diciturq́ue immundorum spirituum prẹsidio confisus, cõtra deos præsumpsisse. Sicq́ue fidei & virtutis meritum fẹdæ fit existimationis ac sẹuitiæ argumentum; & quod incredulos ad fidem vocare, animosq́ue à ferocitate mitigare debuit, errorem adauxit, rabiemq́ue exacuit.

Pardus eius oratione interimitur.

Itaq́ue fornax succẽdi iubetur, in quam, nisi dijs sacrificet, protrudatur. Veruntamen Decius rursùs ad blanditias conuersus, spondet se cuncta, quæ mortales prima putant, si cõsenserit, liberaliter daturum. At Minias contrà exclamans, negat se perituras opes habere

Rursus blanditur Tyrannus.

velle;adijciens mercedem se ab eo, pro omni tormentorum genere expectare, qui pro caducis æternam largitur: afferitque se in tribulationibus non deserendum ab eo, qui filios Israel de terra egressos AEgypti, sicco per mare rubrum pede duxit, & Susannam de falso crimine absoluit, Danielemque de lacu leonum, ac tres pueros de medio eripuit ignis incendio. Inter hæc caminus maiori lignorum strue exæstuat, & ministri Regis frementes sanctum denudant, oleoque perunctum in ignem præcipitant. Sed adest confestim angelus Domini; qui excusso flammarum incendio, Christi seruo refrigerium præstitit: & suauissima consolatione ad percipiendam iustitiæ coronam inuitauit. Procubuit ilicò in genua martyr, fusisque pijs, cum gratiarum actione, ad Christum precibus, signo sanctæ Crucis se muniens liber è camino incendij egressus est.

Exod 14. Daniel. 13. 14 6. & 3.

Mittitur in fornacem martyr.

Imperator dolens gemensque se à martyre vinci, horribilem iubet adduci belluã, quæ sanctum deglutiens, finem altercationi imponere posset. Adducitur leo sæuissimus, & paratur ad certum beati viri interitum: qui & ipse, signo Crucis contrà posito, in ictu oculi extinctus est. Augetur sæuientis Regis ira & furor, multiplicatur aduersus sanctũ fremitus & terror: sed ille cælestia contemplans perstat immobilis. Placet ergò crudeli Tyranno martyrem in eculeo torqueri, dicitq; se experiri velle, num Deus in quem credit ille, se fortior sit aut tandem de suis eum manibus pœnisque liberare queat. Non trepidauit quidquã Minias athle-

Leo iteme ius oratione repente expirat.

athleta inuictus; quin potiùs, astrictus patibulo, interrogatusque quænam eius, quem prędicat, fuerit potentia, præclarè disseruit: Iesus, cuius ego me seruum confiteor, cæcos illuminauit; paralyticos curauit; claudorũ reformauit gressus; leprosos mundauit; dæmones eiecit; mortuos suscitauit: & quid multis immoror? eius beneficia hominibus collata, nullis verbis explicari, imò nec humanæ mentis cogitatio pro dignitate concipere potest.

Virtutes & miracula Christi ex Euangelio breuiter pandit martyr.

Non tulit vltrà crudelis spectator gloriosum militem magnifica Christi testimonia libero ore proferentẽ: sed deposito de eculeo ligneis verubus sub vngues eius infixis, omnes eius digitos pręcepit pertundi. Gaudet pręliator Domini in tanto cruciatu, sciens passiones huius temporis futura gloria non esse condignas. Neque tamen cælestis rursus consolatio defuit. Nam vox angelica cęlitùs ad aures eius delata: Constans esto, ait, Minias: quia Dominus te suo in tãtis supplicijs non destituet auxilio. Fremit interim clamatque Decius: Hic magica arte, qua suus eum instruit Deus, nostra debilitat tormenta: Feruens igitur plumbum auribus eius infundite, ne vocem Dei sui maleficia docentis admittere possit. Suspendite eum, & pedibus illius, grauissimi ponderis lapidem alligate, vt vel sic disruptus, lacessere nos desinat.

Crudele supplicium.

Roman. 8.

Inter ea supplicia visus est ei adstare angelus vultu habituque splendidissimis; qui eum hortans ad fiduciã, leuia deinceps tentamenta futura promittebat. Nunciãtur hæc Regi; qui ira pariter & pudore affectus, ferro præacuto au-

res eius perforari iubet. Sed cùm nulla tormentorum genera fortissimum martyrem expauescere cerneret, capitis in eum sententiam tulit: quam subiens lætabundus, de huius vitæ ærumnoso carcere VIII. Kalend. Nouem. feliciter emigrauit.

Capite plexus migrat ad Dominũ.

MARTYRIVM SS. CRISPINI ET

Vide Tomo 2. Annal. C. Baron.

Crispiniani: Ex eo quod extat apud V.P. Laurent. Sur. Passi sunt anno Christi 303. Marcel. Papæ 7. Dioclet. & Maxim. 20.

25. Octob. QVO tempore Quintinus, Lucianus, Rufinus, Valerius & Eugenius Romæ claris orti natalibus in Gallias Christum annunciaturi se contulerunt, feliciqué martyrio cursum cõsummãtes, ad beatam immortalitatem commigrarunt: Crispinus & Crispinianus pari fidei deuotione & generis splẽdore, Suessiones venerunt. Ea tempestate cũ Dioclerianus & Maximianus vna animi impietate Christi Ecclesiam acriter oppugnarent, cùm alijs summi Dei cultoribus, tum hisce etiam athletis hospitij & humanitatis officia erãt interdicta. Itaq; quanquàm generis dignitate & natalium splendore essent insignes, tamẽ vt in omnibus vitam Apostolico præscripto ducerẽt conformem, manuum labore victum sibi parare voluerunt: artemque potissimùm sutrinæ (quòd quieta & cælestiũ rerum cõtemplationi nõ ingrata esset) discere placuit: in qua, Dei beneficio, ita excelluêre; vt cunctis admirationi, & multis chari essent: maximè quod nullum laboris sui à quoquam exigerẽt precium, Itaque

SS. Crispinus & Crispinianus veniunt in Gallias.

1. Thess. 4.

Discunt artẽ Sutrinam, nobiles viri Crispinus & Crispinian.

Itaque morũ suauitate, & artis elegantia nonnullos ad suam allexêre familiaritatem; non tam artificij necessitate vel opera, quàm verbi Dei audiendi studio inuitatos: quos tanquàm felices operum suorum primitias Christo genuerunt. Eorum vestigijs alij deinde non pauci insistentes, simili ratione, Christique virtute & gratia: ab infelici dæmonum cultu ad veri DEI cognitionem perducti sunt.

Conuertunt quosdam ad Christum.

Non potuit ea res diu latere Maximianum: qui misso cõfestim Rictiouaro crudelitatis suę administro, eos ad se vinctos adduci iussit. Is iam antè in corripiendis & afflictandis Christianis egregiè exercitatus, apud Suessiones pauperum consuentes calceos, eos reperit: statimque iniectis catenis, ad Maximianum vinctos perduxit. Illi nullo terrore cõmoti, cùm genus & religionem edicere iuberẽtur, intrepidè satis & sinè vllis ambagibus responderũt: Romę non obscura familia orti, in Gallias pro Christi amore venimus; qui cum patre & spiritu Sancto vnus est Deus: cui fideles serui prõpta animi deuotione seruimus, cupimusque, dum spiritus hos reget artus, in eius cultu & famulatu permanere. His auditis, ira permotus Maximianus: Per deorum, inquit, virtutem, si in hac stultitia permanseritis, multis vos tormentis excruciatos, malè perdam. Si verò dijs obedientes sacrificaueritis, multis vos opibus auctos, magnis curabo affici honoribus. Ad ea sancti martyres: Minis, inquiũt, non terremur, quib. viuere Christus est, & mori lucrum. Opes verò & honores, quos polliceris,

Rictiouarus mittitur ad eos comprehendendos.

Sistuntur vincti corã Maximiano.

Præclara & constans eorum confessio.

Philip. 1.

ceris, nos olim Christi causa contempsimus, & contempsisse lætamur.

Tunc Maximianus furore accensus tradit eos Rictiouaro, obtestaturque vt dirè eos excruciandos, teterrimaq; morte perdendos curet. Mox crudelis immanis tyrāni administer, iubet sanctos viros ad trochleam extensos fustibus cædi. Illi verò animis cælestia contemplantes, Christi opem & auxilium implorant. Audiens Rictiouarus eos preces Christo offerētes, quos putabat pre doloris acerbitate eiulaturos, fert indignissimè; mādatque sudes inter digitorum vngues & carnem defigi, & ex pelle dorsi corrigias excindi. Parent satellites; acriter in digitos adigunt acutas sudes: martyres inter horrendos cruciatus spe gaudentes, in tribulatione patientes orant Dominum, vt ab homine doloso & iniquo ipsos liberare dignetur. Non cūctatur bonus Dominus: exiliūt è digitis sudes tāta vi, vt quosdā è ministris interfecisse, alios vulnerasse ferantur. At Rictiouarus præ furore insaniēs, aliud protinùs supplicium excogitat. Molares lapides ad martyrum colla ligantur, vt in flumen Axonam demersi glacie crucientur. Martyres læti & alacres, diuinæ virtutis scuto protecti, nec aquis merguntur; imò potius ceu æstiuis quibusdam lauacris recreati, abiecto molari pondere ad vltiorem fluminis ripam incolumes enatant.

Eo conspecto miraculo Rictiouarus à malo dæmone ira inflammatus, iubet eis vincula inijci, vinctosque in bullientem plumbi liquorem deponi. Sed martyribus inuicta Christi dextera protectis, & numen diuinum vno ore inuo-

Observa quid Extensio ad Trochleas, & eleuatio ad Trochleas admodū diuersa sint. Trochlea propriè rota est, rotam continens volubilem, per quam funis tractorius immissus ligatum brachijs retinctum reū sursum trahit, vel remissus deorsum relaxat. Eiusmodi itaque tormentum dictum reperitur, eleuatio ad trochleas. Extensio autem ad trochleas, virgis ac fustibus cædebatur, dorisque

duplicibus &c Hæc Baronius in Notat. 7. Decembrii.

inuocantibus, feruentis plumbi guttula in oculum exilit Iudicis, magnoque excrutiatum dolore occæcat. Tum miser ille furore percitus, picem, adipem, oleumque feruefieri & martyres in ea præcipitari iubet. Paretur dicto citius; sed multo celerius angeli ministerio ab igne liberantur: ita vt auri instar per ignem purgati, nouo quodam splendore coruscare viderentur.

Impius verò Rictiouarus cùm omnes suos conatus irritos esse cerneret, furibunda mente in ignem se precipitem dat; iusto profecto Dei iudicio: vt qui multos Christi martyres ad cælestia regna properantes, ignibus excruciatos interemerat, ipse quoque igne extinctus, ad æterni ignis flammas inextinguibiles proficisceretur. Id conspicati victores martyres, pijs animis supplices Deo offerunt preces, vt ipsos de certaminis conflictatione ereptos, iubeat propitius ad se peruenire. Annuit eorum votis precibusque Iesus. Nam Maximianus statim, vt Rictiouari cognouit interitum, sanctos martyres capitis damnauit. Quod certamen læti alacresque Octauo Kalendas Nouembris peregerunt.

Capite plexi migrant ad Christum.

Corpora eorum canibus auibusque deuorãda relicta, sed Christo custode nihil læsa, à pio quodam sene, eiusque sorore vetula sepulturæ tradita sunt, in proprio eorum domicilio: quo Clerus populusque fidelis piæ deuotionis affectu confluere, eorumque celebritatem festiuo gaudio celebrare cœpit: communicatoque inter se concilio indè ea transferentes in duobus honorificis tumulis condiderunt, Vbi posteà

Tumuli eorum miraculis celebres.

magnam ædificarunt ecclesiam: in qua eorum meritis cælitus largitur infirmis sanctas.

Vide 2. Tom. C Baron & Not. ad Martyr. Roman.

MARTYRIVM SANCTORVM ROGatiani & Felicissimi: Ex Epistola B. Cypriani, 81. Passi sunt anno salutis 260. Valeriani & Gallieni Impp. 6.

26. Octob.

QVANTA horum Martyrum sæuissima hac persecutione in perferendis multiplicibus pro Christiana religione supplicijs enituerit animi fortitudo & inuictum robur, ipsa B. Cypriani testificatione satis manifestum euadit. Eorum siquidem virtutes & constantiam haud immeritò collaudans; cæteros confessores pro Christi nomine decertantes, hisce fere verbis ad eorum imitationem hortatur. Sequamini in omnibus Rogatianum presbyterum, gloriosum senem, viam vobis ad gloriā temporis nostri religiosa virtute & diuina dignatione facientem, qui cum Felicissimo fratre nostro, quieto semper & sobrio, excipiens ferocientis populi impetum, primum hospitium vobis in carcere præparauit: & metator quodam modo vester, nūc quoque vos antecedit. Quod vt consummetur in vobis, assiduis orationibus Dominum deprecamur: vt initijs ad summa pergentibus, quos confiteri fecit, faciat & coronari.

MAR-

MARTYRIVM SS. VINCENTII, SABINÆ, & Christetæ: Ex Flore Sanctorum Hispaniæ auctore Io. Maldonato Hispano. Errant qui putant hunc eundem esse Vincentium Cæsaraugustanum, Diaconum S. Valerij Episcopi: hoc eodem quidem tempore passum.

Vide Not. Ca. Baron in Martyr. Rom.

27. Octob.

CVM Dacianus præses Diocletiani & Maximiani iussu sæua per Hispaniam edicta [a] dimitteret, pioque sanguine cuncta tribunalia respergeret, apud Eboram ciuitatem Vincentius adolescens comprehensus est. Quem blandè primò Dacianus compellans, interrogare cæpit, cur florentis immemor ætatis principum iussa contemneret; Cur Christum à Iudæis ob flagitia crucifixum, Deũ crederet. Cui Vincentius; Ego, inquit, Deum cæli & terræ conditorem colo: tu potius deliros flagitiososque sectaris deos. Nonne tibi notum est, Dacianus intulit, Iouem omnia quæ videntur, condidisse? Compertissimum mihi est, dixit Vincentius, & vestri libri non obscurè loquuntur, Iouem virum adulteriis flagitijsque quamplurimis contaminatum fuisse.

a Contigère ea anno Christi 303. Iuxtà Baron. Tom. 2. Annal.

Vbi comprehensus Vincentius.

Non tulit hæc Dacianus; sed amouete, clamat, hominem nefarium; scelestum; impium propellite; & si sacrificare renuerit altaribus admotus, morte mulctate. Rapitur indè Vincentius, & ad Iouis templum deducitur; sed in media platea durissimo pedem imprimens lapidi, cunctos in admirationem vertit. Demirati certè carnifices pedis vestigium in silice, verum esse Deum, quem prædicabat Vincẽtius repu-

Nota miraculum quo carnifices conuertũtur.

reputantes, tres velut induciarum dies, à Daciano extorserunt. Interim illo in custodiam dato, firmiterque detento, sorores eius Sabina & Christeta in carcerem venientes, peruicerunt, vt cum eis frater fugam capesseret, hac lege; vt si denuò vincirentur, ipsæ simul cum eo martyrium subirent. Vincentius salutis sororum suarum desiderio inflammatus, fugam cum eis arripuit, Abilamque peruenit. Dacianus vbi de fuga cognouit; immissa post tergum equitum turma omnes simul trucidari præcepit. Qui Abilæ reperti membratim in eculeo diuaricantur, ac conciduntur; nouissimè capitibus fuste lapideque illisis, martyres efficiuntur.

Fugit è carcere cum sororibus suis & posteà cũ ijs martyrio coronatur.

MARTYRIVM SS. APOSTOLORVM Simonis Chananæi: & Thaddæi, qui & Iudas dicitur: Ex Ioachimo Perionio de rebus gestis Apostolorum. Eos vno eodemq; tempore & eodem in loco martyrio occubuisse confirmat quoq; Baronius.

In Notat. ad Martyrol. Rom. & Tom. 1. Annal. anno Domini 68.

28. Octob.

SIMON & Iudas fratres, Alphæo patre & Maria matre nati, gloriosam pro Christo mortem eodem in loco oppetierunt. Nam Simon quanquam in AEgypto, Thaddæus verò in Mesopotamia Euangelium prædicauerit, postremò tamen pariter conuenientes, in Perfide martyrio coronati meruerunt. Porrò cum mater eorum, Maria Cleophæ, scilicet filia, modò Iosephi, modò Iacobi, scilicet mater dicatur: dubium non est hos quatuor vno patre & vna matre genitos, fratres fuisse. Et quidem Iosephus fuit discipulorum Christi vnus: Iacobus

cobus autem æquè Apostolus, post Christi in cælos ascensum, Hierosolymas profectus pōtificiam ibidem dignitatem, martyrij corona postremò redimitus, administrauit. Hi verò, quo tempore se in Christi disciplinam tradiderint, sanctarum monumentis literarum proditum non est. Apostolos autem eos delectos esse, aut potius selectos ex communi discipulorum numero, Matthęus, Marcus & Lucas docent. Eos verò ex Galilææ oppido, quod Cana dicitur oriundos esse, indè facilè colligi potest, quod Simon hic interdum Cananæus, interdum Zelotes nuncupatur. Quoniam enim Cana Zelus ab Hebræis appellatur; duo eorum qui Euangelia scripserunt, Cananæum, Lucas verò Zelotem eum nominat; illi verbum Hebraicum secuti: hic Græcam interpretationē. Ceterum de varijs eorum laboribus & certaminibus & glorioso agone certi aliquid affirmare nolumus: quandoquidem scriptores Ecclesiastici aliter atque aliter sentientes inter se conflictantur. Hoc tamen communi ferè omnium traditione confirmatur, eos pariter post multos in Mesopotamia & AEgypto exantlatos labores, in Persidem conuenisse, ibidemque innumerabiles Iesu Christo filios genuisse; fidemque, qua nunc omnes meritò gloriamur, in vastissimis illis regionibus & efferatis gentibus disseminasse: sanctissimumque Iesu Christi nomen doctrina & miraculis, ac glorioso denique martyrio illustrasse.

Matth. 10. Marci 16. Luc. 6.

Simon & Iudas vnde oriundi.

Vbinā Christi fidem annunciauerint & martyrio coronati sint.

VITA

VITA S. FARONIS EPISCOPI

Meldensis: Ex ea quæ est apud V. P. Laur. Sur. Fuit vicesimus eius sedis episcopus; Ordinatus anno Domini 620. Seditq; annis 66:

Vide. C. Baron in Not. ad Martyr. Rom. & Tom. 8. Annal.

28. Octob.

Patria & parētes eius.

* *Landegunda.*

BEATVS Faro patre Hagnerico Burgundione natus est, Theodoberto Austrasianorum Regi mtantum charo, vt propter præstantes animi dotes in aulam ab eo accitus fuerit; vbi ducta in matrimonium* Leodegunda, generis præstantia haudquaquam impari sibi coniuge, tres ex ea suscepit liberos, Faronem, de quo nobis sermo; VValbertum & Chalnoaldum; itemque Faram filiam, multa probitate conspicuam. Et quidem Chalnoaldus B. Columbano illustri sanctitate Abbati in disciplinam à patre traditus, postmodum vnà cum VValberto fratre, & B. Agilo cognato, Agnoaldi (qui fuit Hagnerici frater) filio, Eustachio magnæ doctrinæ & sanctitatis viro, ipsius Columbani discipulo, cōmissi sunt instituendi; quibus plerique alij adiuncti fuêre; qui postea Ecclesiarum præsules eximij extiterūt. Et Vvalbertus quidē nonus decimus à B. Dionysio pro vitæ suæ meritis creatus est Meldensium antistes.

Fratres eius & Sorores.

S. Columbani vita habetur 21. Nouemb.

S. Eustachij vita habetur 29. Martij.

VValbertus eius frater 19 Meldēsis Episcopus.

Faro in aula Regum clarus.

Cæterum Faro in aulam Theodoberti Regis, à patre adductus, militari habitu ornatus fuit: interque regiæ primarios honoratæ militiæ stipendia fecit. Cùm autem Theoberti & Theodorici Regum ditiones Clotario cessissent, apud eum quoque Faro præcipuum gratię & amicitiæ locum obtinuit: adeò vt Regi subindè, ea fidutia fretus, æternæ salutis monita daret,

daret,eumque ad mundanæ gloriæ contemptũ sedulò prouocaret. Comis & amabilis omnibus,humanitatis & misericordiæ officijs operibusque pręclarã nauabat operam;ita vt capitis reos frequenter è præsenti mortis eriperet discrimine:eosdemque salutaribus monitis egregiè instructos, à flagitiosis actibus ad optimam deindè frugem adduceret.

Eius virtutes eximiæ adhuc in aula existentis.

Missi eo tempore à Saxonum gẽte ad Clotarium venêre legati; qui verbis iniuriosis adeò Regis animum exacerbârunt, vt præcipite ira stimulante,confestim eos capitis damnaret. Et quanquam proceres à tali eũ facinore dehortarentur,dicerentq; eo facto ius gentium, quo nullũ scelus excogitari potest immanius, violatum iri,nihil tamen apud iratum Regis animũ efficere potuére;ita vt omninò, ruptis moderationis habenis,suo potius furori quam sano consilio parere statueret. Dum Faro magna vsus prudentia,Regis mandatũ, cæteris reclamantibus,visus est approbare: ita tamen vt in posterum diem legatorum cædes differretur. itaq; legati militum custodiæ traditi fuêre: ad quos accedẽs Faro,præstanti sua eloquẽtia effecit,vt Christianis sacris,de æterna salute soliciti,initiari voluerint. Quod simulac Regi indicauit,non modò eos vita donauit Rex, sed muneribus insuper affectos,cũ honore ad suos & gaudio remisit: quanquam posteà eadem Saxonum gens à Clotario bello superata & ferro penitus concisa fuerit.

Faronis prudentia in lenienda Regis ira.

Intereà,cum multis magnisq; honoribus apud Clotarium Regem clarus, sororem Faram virginem sanctissimam magno ipsius videndi desi-

desiderio teneri cognouit, eam accessit; adeoq; familiari eius colloquio & sapienti oratione delectatus est, vt amplissimos palatij honores, Regisque singularem amicitiam sibi negligendam putârit, ipsiusque coniugij oblectamenta, adhuc vigente iuuentutis flore, respuerit; & consentiente vxore Blidechilde, Ecclesiastico ordini se adiunxerit; Ecclesiam beati Stephani Meldensis, quæ tum magna premebatur paupertate, multis villarum opibus ditârit; sanctæ quoque Faræ cœnobium magnificè sublimârit; & non ciues modò, sed etiam peregrinos & exules suis facultatibus sustentârit. Crescẽte autem fama sanctitatis eius, gens Anglorum magno eius amore incensa, puellas virgines ad eum mittebat, quæ eius opera in monasterio Faræ, Christo militarent.

Renunciat cunctis honoribus & fit Ecclesiasticus.

Succedit fratri in Episcopatu Meldensi.

Porrò vt Walbertus frater eius Meldensis antistes è vita excessit, Faro in eius locum subrogatus est. Ad quam dignitatem euectus, quãta vitæ sanctitate, virtutumque splendore claruerit, satis declarant miracula, quæ per eum Christus efficere dignatus est. Cùm aliquando ouiculas suas domesticatim visitaret, casu carcerem, in quo vincti quidam detinebantur; præterijt. Illis autem lachrymabili voce facinorum veniam & vinculorum solutionem petentibus, mox pietate commotus, Abite, inquit, liberi, quandoquidem vos factorum pœniteat. Ad eam vocem vincula confestim soluta sunt; non ausa imperium sancti antistitis detrectare, in quo Christi virtutem sentirent.

Vincula captiuorum ad eius vocem soluuntur.

Non est autem silentio prætereundum, qua virtute animi & prudentia, coniunx eius Christo iam

sto iam sacro velamine consecrata, beatissimi viri tentationem ab inuido & maligno dæmone illi iniectam extinxerit. Cum enim die quodá amoris eius & pulchritudinis recordaretur, misso confestim nuncio eam accersiri curauit, vt cupitis eius amplexibus frueretur. At illa semel iterũq; vocata venire renuit: tertio verò accita cum sancti viri animum pertinacem sentiret, vt & suæ & illius pudicitiæ consuleret, depositis vestibus, quæ cultiores videri poterant, & tonsis capillis, horrido se cilicio induit, eaque deformitate viro sè visendam obtulit. Ille verò tali eam habitu & specie contemplatus, vehementer exhorruit, dolensque se eatenus tentationi cessisse, ab illicito sese opere reuocauit. Fuit autem vir beatus in ea dignitatis administratione à Clotario Rege ad Childericum vsque annis 66: sicque post multos labores migrauit ad Dominũ lugente Meldensi ecclesia, Angelis verò lætantibus, eiusque virtutibus in gloria miraculorum præclarè coruscantibus.

En vt tentationem sancti viri eius quondam vxor extinxerit.

Felix obitus eius.

Tumulus eius miraculis clarus.

Vide Tom. 2. Annal. C. Baron. & Notat. ad Martyr. Roman.

HISTORIA BREVIS S. NARCISCI Episcopi Hierosolymitani: Ex Ecclesiasticæ Historiæ Eusebij Cæsareensis lib. 6: cap. 8. & 9. Fuit hic tricesimus eius Sedis Episcopus: Claruit sub Seuero & Succeß. Impp. anno Christi 198, & sequentibus.

29. Octob.

PRAETER multas alias res admirabiles in Ecclesia gestas à Narcisco, referũt hoc ab eo editum miraculum. In magna & solenni Paschatis vigilia, cum oleum diaconis & Ecclesiæ ministris deesset, & grauis quæ-

Præclarum Miraculum.

dam ægritudo & animi demissio vniuersam multitudinẽ occuparet; ferunt Narcissum his, qui luminaria aptabant, præcepisse; vt aquã è proximo puteo haustam ad ipsum perferrent. Quo absq; mora peracto, fusa super aqua oratione, mandauit, vt cum vera & constanti in Dominum fide, eam in luminariũ vasa infunderent. Quod vbi fecerant, contrà omnem rationẽ, incredibili quadã & diuina virtute, naturam aquæ in olei repẽtè commutatam viderunt. Pleraque item alia memoria quidem digna, de vita istius viri commemorant, in quibus eiusmodi quiddam traditum est.

Entrium virorum execrandam peruersitatẽ.

Cum quidã perditi homunciones grauem & seuerã eam rationẽ, qua in hominibus, tum admonendis, tũ in eorũ vitijs corrigendis vti cõsueuit, neutiquã ferre possent; præ metu, ne tãdem debitas scelerum suorũ, quibus obstricti erãt, pœnas luerent, cœperunt contra eũ consutis dolis conspirare, & turpẽ quandam criminationis calumniam in eum conijcere; deindè quo magis auditoribus criminationis falso obiectæ fidem facerent, eam iureiurando confirmare: atque hoc modo deierare. Primus, si, inquit, non verè dixerim, opto vt ignis incendio miserè dispeream: Alter: Si non verè dixerim, opto, vt fœdo ac sæuo morbo corpus absumatur. Tertius verò: Opto, inquit, si falsa dixerim, vt luminib⁹ penitus orbatus sim. Verũ quãuis nemo fideliũ propter nobilitatem & testatã inter omnes omninò Narcisci castimoniam, illis vel grauissimo iureiurando se obstringentibus, animum aut fidem adhibuerit, illeipse tamen partim præ indignatione obiectæ cri-

ctæ criminationis, partim præ cupiditate vitæ in sapientiæ ac virtutis studio degendæ, quam iamdiu optauerat, ab oculis vniuersæ multitudinis se penitus remouit, & in solitudine locisque desertis ad multorum annorum spatiũ vitam transegit. Verùm sublimis ille diuinæ iustitiæ vltionisque obtutus, his sceleribus patratis, minimè acquieuit: sed quam celerrimè impios illos & nequam homines grauibus calamitatibus oppressit.

Fugit in eremum S. Narcissus.

Primus enim illorũ, perexigua scintilla in ædes eius subitò ruente, cum tota familia & stirpe rapido flammarum ardore omninò conflagrauit. Alterius corpus eodem morbo, quam sibi tanquam mulctam fore imprecatus esset, ab extremis pedum digitis ad caput vsque infectum, contabuit. Tertius, ærumnosis priorũ euentibus admonitus, ineuitabilem Dei vltionem admodum reformidans, palam malefica sua sociorumque contrà Narcissum admissa, confessus est; ac tantis deindè tamque acerbis se lamentis afflictauit, & vsque eò lachrymas effundere non destitit, quoad vtrumque oculũ sibi penitus extinxisset. Atque hi pro ea criminatione, falsò contra Narcissum conficta, tales pœnas persoluerunt.

Periurorum terribilis vindicta.

Porrò cũ incognitũ esset vbinã Narcissus in abditis siluarũ recessibus delitesceret, his, qui finitimis Ecclesijs præerant, visum fuit alium in eius locum antistitẽ subrogare. Dius igitur (hoc enim ei nomen erat) delectus est; cui non longo tẽpore Ecclesiã gubernãti successit Germanion: quo mortuo Gordius episcopatũ occupat. Cuius temporibus Narcissus, tanquam ex mor-

Redit ad episcopatum.

ex mortuis ad vitam denuò reuocatus, à fratribus ad intermissa Ecclesiæ gubernacula suscipienda rogatus est. Et cum nõ amplius propter ingrauescentem ætatẽ ministerio præesse posset, Alexander vt cum ipso in fungendo ecclesiæ ministerio coniungeretur, accersitus est. Vixit autem S. Narcissus annos centum, & amplius sedecim; multisque virtutibus clarus migrauit ad Dominum.

Ætas admodum grãdæua.

*VITA S. ERMELENDIS VIRGINIS, in *Villa Meldariensi quiescentis, in finibus Brabantiæ: Ex ea quæ est apud V. P. Lanr. Sur.*

** Insula Vide Iohan. Molan. in Indic. SS. Belgij.*

29. Octob.

Parẽtes eius.

BEATA virgo Ermelendis patre Ermenoldo & Ermensende matre, tam genere quàm diuitijs spectabilibus, nata; primos adolescentiæ suæ annos Christo consecrasse memoratur. Cum siquidem parentes eam ad suscipienda matrimonij vincula importunius vrgerent, illa iam duodensiis se virginitatem suam cælesti sponso deuouisse asserens, arre pro ferro capillos per lacteâ ceruicẽ dependẽtes præscidit, relictoq; sæculo, omnibus pompis eius cõstantissima animi virtute calcatis, Christum per arctam & angustam viam secuta est. Tradiderant illi parentes redditus cuiusdã villæ, [a] Odenca nomine; sed illa, relicta domo, rebusq; parentũ postpositis, solitaria ad quandã peruenit [b] villam, cui duo germani præerant, fratres, primo iuuentutis flore vernantes, & sæculi vanitatibus atq; illecebris studiosè seruientes. Ibi venerabilis virgo cũ diebus ac noctibus sedulò nudis pedibus ecclesiam frequẽtaret, totamque sese Domino in holocaustum offer-

Renunciat mundo capillis præcisis.

a *Odenca propè Louanium, vulgò Ter Dunck.*
b *Beuecum.*

Insidiantur eius pudicitiæ duo fratres.

offerret, duo illi fratres facibus parum honesti amoris inflāmati, eius pudicitiæ insidiari cœperunt. Ignorabat alter alterius vulnus, quod amor vtriq; inflixerat. Vterq; tamē & tempus & locum obseruabat, quibus eius decore suam possent satiare libidinem. Sed cum tempus malitiæ suæ congruum non inuenirent, vnus quē flamma libidinis amplius exurebat, ecclesiæ custodem adijt; per quem singulis noctibus sanctissimæ virgini ad adita tēpli introitus patebat. Custos donis muneribusque ad sceleris communionem facilè inductus, cum de virginis consensu omninò desperaret, rapiendam potius iuueni suadebat.

*Monita ab Angelo vt vitet insidias impudici iuuenis, in * Meldricem commigrat.*

Igitur, vbi nox sceleri destinata aduenit, virgo imminentis periculi ignara, angelica voce monita fuit, vt indè ocius recederet, & virginitatem, quam Deo consecrauerat, inuiolatam custodiret. Eo oraculo valdè perterrita, mox iussioni obediens iter cæpit; ductuque angelico ad * villam Meldricem quæ in Brabantia Hugardiæ adiacet, peruenit: vbi miræ parsimonia abstinentiædiu vixit. Alebatur herbis agrestibus, non inferior summis eremi cultoribus: puellares quoque artus teneros diris cruciabat iniurijs.

Vitæ eius austeritas.

Mortua sepelitur ab Angelis.

Tandem post multa certamina ad cælestem gloriam à Domino euocata fuit; ad cuius exequias, nō hominum resonabat turba, sed hymnidici Angelorū chori: quorū ministerio corpusculum eius sepulturæ mandatum est. Latuit deindè totis annis octo & quadraginta, aliena à cultu sęculi; sed cęli ciuibus mirificè venerata, coruscabat miraculorum gloria; Quibus

Claret miraculis post obitum.

permotus Dux Pipinus parens B. Gertrudis sacrum corpus è tumulo leuauit, locumque maxima prædiorum multitudine ditauit, sanctarum virginum monasterium illic instituens: quibus Presbyteri ex monasterio S. Bauonis, quod in vicino monte Calfmont dicto situm erat, diuina mysteria administrabant. Sed hoc tempore neutrum subsistit monasterium: Virginumque bona in Leodiènses S. Bartholomæi sunt translata canonicos.

Vide Tom. 2 Annal C. Baron. & Not. ad Mar. tyr. Rom.

MARTYRIVM S. MARCELLI CENturionis, qui coronatus est anno Christi 298. Marcellini Pap. 2. Dioclet. & Maxi. Imp. 15.

30. Octob.

IN ciuitate Tingitana cum adueniente natali Imperatoris, solennibus de more epulis vacarent, & omnia immodica lætitia perstreperent, Marcellus quidam ex centurionibus, Christiana pietate egregiè imbutus, profana refutãs cõuiuia, huiusmodi cõfessionẽ, reiecto cingulo militari, clara voce corã ipsis legionis signis edidit: Iesu Christo æterno Regi milito; amodò Imperatoribus vestris militare recuso: sed & deos vestros ligneos lapideosque adorare cõtẽno. Milites ea cõfessione stupefacti, cõfestim iniectis ei vinculis, in carcerẽ abduxerũt: remq; quæ cõtigerat, Præsidi nũciarunt. Is erat Fortunatus, qui finitis epulis, eũ ad se introduci præcepit. Introducto, quid, inquit, tibi visum est, vt contrà militarem disciplinam te discingeres, & balteũ ac vitem proijceres? Respõdit Marcellus: Iam die duodecimo Kalendarũ Augustarum publicè me Christianum esse clara voce testatus sum; & huic deim-

Præclara S. Marcelli confessio.

Vitis gestamen est Centurionis: quo in delinquẽ-

deinceps sacramento militare non posse, nisi Iesu Christo filio Dei Patris omnipotētis. Fortunatus Præses, Tuam, inquit, temeritatem istam dissimulare nequeo, ideoque ad dominum meum Aurelianum Agricolaum transmitteris.

tes milites animaduertebant.

Igitur die tertia Kalendarum Nouembrium Agricolao præfecto prætorij oblatus est: & ex officio recitatū: Miles hic, reiecto cingulo militari, Christianū se esse testatus, coram omni populo in deos & Cæsarē multa blasphema locutus est. Tum Agricolaus, Quo furore, inquit, tu sacramēta proijcere, & talia loqui ausus es? Respōdit Marcellus: Furor nullus est in eis, qui timent Dominum. Agricolaus dixit; Singula hæc locutus es, quæ actis præsidialibus cōtinētur? Marcellus respōdit: Locutus sum. Et Agricolaus; Proiecisti arma? Proieci, inquit, Marcellus: Non enim oportet Christianum hominē molestijs militare sæcularibus, qui Christo militat. Tunc Agricolaus mortis eum reum esse dictauit: quòd abiecto publicè sacramento, insuper apud acta præsidis, verba furoris plena deposuisset. His dictis: gloriosus athleta Christi, capite cæsus occubuit.

Ducitur vinctus ad Agricolaum præfectum.

Hæc dicit secūdum illud Apostoli 2. Timot. 2. Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus.

MARTYRIVM SS. ZENOBII ET ZEnobiæ sororis eius: Ex eo quod est apud Metaphrasten. Passi sunt anno Christi 285. Caij Pap. 2. Dioclet. Imp. 2:

Vide Baron. Annal. Tom. 2. 30. Octob.

AEGAE ciuitas est in sinu Ionico sita, à Cilicib. culta; in qua Zenobius, eximia virtute ac pietate vir, ducta in matrimoniū Tecla patrui sui affine, Zenobium filium,

Patria & parentes eorum.

filiamque Zenobiam genuit: vtramque prolem præclaris à Deo animi corporisq dotibus ornatam: multisque naturæ adiumentis ad arduú virtutis iter egregiè instructam. Defuncto autem vtroque parente, Zenobius iunior protinus ad benignè faciendi disciplinam se accinxit; facultates in pauperes distribuit, languidis & infirmis ministrauit, & omnium calamitosorum curam insito animi ardore suscepit. Cũ hæc charitatis pietatisque officia sedulus exerceret, & in tantis virtutibus diu vitam egisset, fuit ad Christi gregem pascendum Ciliciæ electus antistes, vt in posterum non modo corporibus, sed & animis mederetur: & illa quidem à morbis, has verò ab impietate liberaret. Hinc cùm Indi cuiusdam præfecti coniunx in morbum incidisset immedicabilem, cancerem dico, qui interiorẽ thoracis partẽ depascebat, & supplex ad eum Aegas veniret, vir diuinus præfectũ coniugemq; benignè excepit: optatã quidẽ salutẽ spondens, si debitã tamẽ curationis mercedẽ persoluere velint. Offerũt illi immane auri & argẽti pondus, promittuntq; maiora, si desiderata sanitate potiatur. Tũc Zenobius, Mercedẽ, inquit, hãc & nõ aliam postulo, vt ocyus à patrio discedẽtes, errore, ad veritatis agnitionẽ transeatis: vosque Christo Iesu omnium Saluatori pura & integra fide sanandos committatis. Quod quidem prompto & alacri animo eis promittẽtibus, Zenobius, In nomine, inquit, Iesu Christi, qui sanauit mulierẽ profluuio sanguinis laborantẽ, sana esto mulier; statimq; morbus illi grauissimus tanquam flagello fugatus cessit; & præfectus cum cõiuge & libe-

Virtutes Zenobij.

Zenobius fit episcopus Aegarum.

Vide quam mercedem postulet Zenobius pro curationis beneficio.

Matth 9.

& liberis sacro latice expiati, summo cum gaudio domum redière.

His alijsque quamplurimis clarus virtutibus & miraculis Zenobius, Imperatorem diù latere non potuit; qui studia pietatis & Christi cultores flamma ferroque persequebatur. Erat is Diocletianus, qui Christi confessorem vinctum ad se perductum hoc modo cōpellauit: Multa quidem de te ad nostras sæpè aures delata sunt: sed hactenus soli famæ difficulter fidem præbens, cupio nūc oculos ipse meos eorum quæ audiui, testes habere. Et vt paucis absoluam, hæc duo tibi propono hodie; vt vel edicto Imperatorum parens, maximos honores & opes vitæque splendorem assequaris: vel parere recusans, plagas, vincula, cruciatus & cætera tormenta subeas. Ad quæ Zenobius: Mihi, inquit, Christus IESVS cunctis tuis opibus & honoribus longè charior est: mortem verò & tormenta, quæ minaris, lucri loco reputanda arbitror.

Diocletianus vinctum eum peruertere conatur.

Egregiè respondet sanctus.

Hoc Martyris accepto responso, Lysias præses eum in ligno sublimè sustulit, & diros cruciatus eius corpori inflixit. Quæ cùm fierent, fortè Zenobia soror eius alicundè accurrens, exclamauit: Quidnam, inquit, Tyranne sceleris admisit frater, quòd tanta crudelitate in eū desæuias? Hæc dicentem, & Lysiæ blanditias minasque contemnentem ministri pariter arripiunt, & vnà cum fratre in lectum ferreum igne candentem prosternunt. Cumque Tyrannus martyribus insultando clamaret, Veniat Christus, & opem vobis ferat, pro ipso patientibus: contrà exclamans Zenobius: En, inquit,

Cruciatur.

Zenobia cōprahēditur: & cum fratre torretur igni.

adest, & rore cælesti flammas mitigat, licèt tu, tanta impietatis circundatus caligine, hoc videre non possis. Tum Lysias rabie quadam & furore acrior factus, in lebetes vehementer accensos dimitti eos præcepit; sed bulliente liquore nihil eis detrimēti afferente, capitis in eos sententiam dictauit; quam extra muros ciuitatis AEgæorū pari alacritate subiērūt: quorum corpora Hermogenes & Caius presbyteri in vicina spelunca condiderunt.

In lebetes bullientes coniecti manent illæsi.

Demùm capite plectuntur.

VITA ET MARTYRIVM S. EPIMachi: Ex ea quæ est apud Metaphrasten. Forsan passus est anno Christi 235. sub Decio Imperatore: quo tempore potissimum viguit persecutio in AEgyptios & Alexandrinos Christianos, tuxtà Baron. Tom. 2. Annal.

31. Octob.

AEGYPTVS cum plurimorum hominū altrix, ex eorum numero, qui admirāda sanctitate in hac vita claruerunt; tum Epimachi quoque eximia virtute viri educatrix fuit. Sola enim illa regio & ætatis & virtutis ipsius progressum & incrementa perspexit. Vt enim olim eremus Ioannem Baptistam, & carmelus Eliam habuit, ita hunc mons Pelusius incolam suscepit, & cælestis vitæ dulcedine incredibili refecit. Exercebat se ibi iugiter in philosophia diuina, facileq; asperaque & laboriosa non modò Christi amore superabat, sed præ suauitate rerum cælestium, summas etiam delicias reputabat.

Patria eius.

Epimachus in monte Pelusio habitat.

Intereà Iudex quidam sæuitia & ferocitate terribilis Alexandriam venit; tota mente & indu-

industria intentus, quomodò quibusve artib. Christianũ nomen interneciõe deleret. Quam ob rem Christiani omnes minas illius extimiscentes alij in solitudinem fugiebãt, alij simulata impietate, fidem pietatemque occultabant: pauci fidei constantes atrocia supplicorum certamina subibant. Quod simulac cognouit Epimachus, mox solitudinis pertæsus, ab eremo in mediam vrbem cum Tyranno cõflicturus descendit. Itaque Alexandriam ingressurus admirabili animi fortitudine idolorum aram euertit, & impetum in ipsum Iudicem fecit; iustoque quodam furore stimulatus Tyrannum, nisi à satellitibus repressus fuisset, humi strauisset.

E solitudine Alexandriã venit: vt pro fidei defensione contra immanem Tyrannum deceret.

Quæ omnia Iudex indignè ferens, ira & furore vehemẽter excanduit. quòd homo externa specie vilis planè & abiectus, coma squalidus, toga miser, tanto impetu in eum ruere ausus esset. Fremens itaque frendensque vinculis & conuicijs oneratum in carcerem detrusit, & de alijs qui eodem carcere conclusi tenebãtur, atrox inprimis supplicium sumpsit: vt & ea vindicta suum dolorem leniret, & Epimacho pariter terrorem incuteret. Postquam verò ingentem stragem martyrum edidisset, & cũctis præcisis priùs linguis, capita amputasset, postremus ad certamẽ euocatus fuit Epimachus: qui admiranda animi virtute & constantia Tyranni impietatem redarguit, & de cælesti gloria, qua martyres coronantur, stupente Iudice, luculenter disseruit.

Mittitur in carcerem.

Vndè Tyrannus abiecta victoriæ spe, quam sibi de Martyre facilem pollicebatur, eum in cru-

Dirè cruciatur.

crucem ſublatum ferreis lacerari vnguib. præcepit. Cumque ea tormenta nullam omninò vim ad infringendam eius conſtantiam haberent, acuti fuêre adhibiti lapides, vt eius non modò carnes, ſed ipſa etiam oſſa laniarent. Sed accidit vt ea tormenta martyri maiorem apud Deum fidutiam conciliarent, & apud homines multò illuſtriorem redderent. Nam cùm hinc indè precioſus illius ſanguis diffluereret, & fruſta carnium per aëra volitarent, puella altero orbata lumine, ſanguinis fortè guttam in oculum excepit; quam abſtergere volens, repentè ſe lumen recepiſſe gauiſa eſt. Itaque cùm ex eo miraculo clamor populi oriretur, & martyris inuicta virtus miris præconijs extolleretur, Iudex furoris impatiens, capitis eum ſententia damnauit.

Præclarum miraculum.

Capite plectitur Epimachus.

ILLVSTRE MARTYRIVM S. AC glorioſi Martyris Quintini: quod ſubijt Auguſtæ Veromandorum, Anno Chriſti 303. Marcellini Papæ 7. Diocletian. & Maximian. 20. Ex eo quod eſt apud V. P. Laurentium Surium.

Vide C. Baron. Annal. Tom. 2. & Notat. in Martyr. Rom.

31. Octob.

SANCTVS Quintinus Romæ ſenatoria ſtirpe progenitus, pro Chriſti amore, quo acriter incenſus erat, primò patriam, gentem, parentesque reliquit; & vnà cum Luciano, Ambianos in Gallijs, ſpe potiundi martyrij, ſeſe contulit. Itaque Luciano Bellouacenſium vrbem adeunte, ipſe Ambianis agonis ſui tempus expectabat: nequaquàm otio interim inerti deditus, ſed Chriſti nomen cunctis annun-

Quintini patria & nobilis proſapia.

Venit cum Luciano in Gallias.

annuncians; virtutumque eius insignia, nō solùm documentis verborum, sed miraculorum etiam testimonijs propalans. Commendabant pariter ieiunijs & orationibus assiduis, agonū suorum certamina Domino, & cunctis nisibus hanc laborum suorum mercedem postulabāt. Cernebant enim quotidiè præclaras fulgētesque martyrum coronas, quas Diocletianus & Maximianus Christi cultoribus furore æstuantes contexebant: timebantque nè fortè ipsi, cæteris glorioso triumpho ad cælos tendētibus, ea gloria fraudarentur. Sed Christus Dominus militibus suis, eam pugnam cōtra satanam eiusque satellites auidè expetentibus, egregium profectò certamen obtulit, & victoria insignes mirificè exaltauit.

Claret miraculis.

Ea tempestate Rictiouarus Galliarum præfectus, insana crudelitate aduersus Christianos exardescebat; eorumque sanguine rabiem suam vix vnquàm satiari posse credebat. Comprehendebat quotidiè alios atque alios Christi milites; inter quos tandem (cum Ambianū deuenisset) quoque Quintinum catenis vinctū in carcerem misit. Ibat is lætabundus & exultans, quòd desiderata diu gloria potitus esset. Sequenti autem die tribunali oblatus, quo nomine appellaretur, quo sanguine cretus, & qua patria oriundus esset, quæsitus fuit. Ad quæ martyr responsum sua virtute dignum dedit dicens: Christianus ego à parentibus Quintinus vocatus sum: Ciuis Romanus, patre Zenone senatore natus. Tum præfectus: Quid est, inquit, quòd persona tam nobilis & tanti viri filius, tam impiæ superstitioni se tradiderit, vt homi-

Comprehenditur à Rictiouaro.

Egregiè respondit præfecto.

hominem à Iudæis in Crucem actum pro Deo colere non vereatur? Respondit Quintinus: Nobilitas summa est Deum cognoscere, eiusque mãdatis salutaribus obsequi: qui suos cultores ad summum beatitudinis gradũ euectat. Hæc aliaque cum martyr eximia pietate differeret, Præfectus ait: Nisi accesseris, & dijs nostris sacrificaueris, per deos deasque nostras iuro, quia diuersis te cruciatibus ad ipsam vsq; mortem torquebo. Ad ea Quintinus: Et ego, inquit, per Dominum meũ tibi promitto, quia neque iussa tua facio, neque minas extimesco. Corpori pęnas inferre potes: animę verò Christus miserebitur.

Flagellatur acerrimè.

His auditis, Tyrannus immani furore commotus, dirissimis eũ flagellis subdidit. Cumq; eo tormento acrius Christi martyr vrgeretur, sublatis ad cælum oculis Christi numen cum gratiarum actione inuocauit: & protinus vox cælitus ad aures eius delata insonuit: Cõstans esto Quintine, ego adsum tibi. Ea voce satellites humi ruentes, opem præfecti magnis vocibus inclamabant. Præfectus verò truculentiori ira permotus, à supplicijs ad caliginosissima ergastuli loca eum deduci pręcepit: quo abductus solatio quidem humano est destitutus, sed solamine diuini spiritus abũdè refectus. Nam sequẽti nocte angelica præsentia recreatus atque è vinculis ereptus per medias carceris custodias transiuit illæsus, rectaq; ad vrbis forũ contendens, aduocata cõcione de Christianæ religionis fideique mysterijs luculenter disseruit, & ingentem populi multitudinem è tenebris in admirabile Christi lumen traduxit.

Cælitus confortatur.

Multos conuertit ad Christum.

Inter-

Intereà custodes carceris è somno excitati, cum clauso carcere Quintinum deesse cognoscerent, animis turbati, ad inquirendum eum foras proruperunt. Quem vbi in medio populi consistentem, & verba salutis facientem cõspicati sunt, magna admiratione perculsi, insanam idolorum culturam protinus abiecerunt, Christumque amplexati sunt. His auditis Rictiouarus immani furore turbatus, varia cum animo suo agitare consilia; incertus, blanditijsnè an minis atque supplicijs martyrem aggredi expediret. Tãdem ad callida versutæ fraudis conuersus commenta, blãdis eum compellans sermonibus ait: Quintine, fateor, pudet me tui, quòd relictis tantis diuitiarum opibus, & clarissima generis nobilitate contempta, hic vilissimi instar mendici nobis assistis. Audi ergò me, & sanis consilijs festinè te accõmoda. Vnum est, quod te in amissas opes, & maiorem insuper gloriæ splendorem, restituere potest. Tantùm dijs sacrifica: & ego tibi tanquàm deorum & Cæsarum amico amplissimas conferam dignitates. Purpura bissoq; vestitus, & aurea circundatus torque, inter honoratos Imperatorum milites primas tenebis. Tunc Quintinus commenta fraudis in sæuissimo præfecto intelligens, ô lupe rapax, inquit & canis versutia plene, quam insipienter tibi inquam de me promittis victoriam, munerum promissione & infelici opum congerie. An ignoras quia pauper non est, qui in Deo diues est? Nam mihi sufficit Christus, qui mihi viuere est, & mori lucrum. Illius ego diuitias concupisco; illius opes amplector; pro eo

Carceris custodes credunt in Christum.

Rictiouarus martyri blãditur.

At ille fraudes eius contundit.

Philip. 1.

non

non solùm acriter affligi, sed & mori paratus sum.

Tunc Rictiouarus insuperabilem martyris constantiam animaduertens, trochleis eũ torqueri præcepit, tanta crudelitate, vt membra suis soluta iuncturis, ingentem spectantibus horrorem incuterent. Martyre verò in eadem animi fortitudine permanente, præfectus tyrannico furore agitatus, resticulis ferreis eum cædi, oleo candenti, pice, & adipe feruentissimo perfundi, faces denique ardentes applicari iussit, vt vel flammis crematus assensum aliquando præberet. Sed Christi martyr cunctis supplicijs & blandimentis superior, corporeos exteriùs cruciatus contemnens: An tu, inquit ad Iudicem ignoras fraudis diabolicæ fili, hæc omnia non tam supplicio mihi, quàm refrigerio esse? Patior hæc pro nomine Domini mei Iesu Christi, ideoque rorem consolationis diuinæ de cælis percipio. Hanc dicendi libertatem in martyre Rictiouarus nõ ferens, Afferte, inquit, calcem, acetum, & sinapi, eiusque ori infundite, vt vel sic tacendo, à nostra deorumque nostrorum iniuria resipiscat. Constitit immobilis martyr, pœnasq; imminentes securè expectans: Domine Deus, inquit, quamuis hæc amarissima & exitialia sint, ori tamen meo pro mellis dulcedine, & faui reputo suauitate. Hæc dicens, truci præfecti iussione, grauissimis fuit ilicò catenarum circundatus nexibus, & à militibus in locum quendam, Augustam Veromandorum crudeliter ductus.

Horrendi sanè cruciatus.

Inuicta animi martyris virtus.

Cernens autem Rictiouarus constantiam eius magis semper magisque roborari, statuit extre-

extrema eum suppliciorum atrocitate aggredi. Itaque duobus sudibus ferreis à ceruice ad crura vsque transfigi eum mandauit; & simili modo clauis decem digitos oēs, inter vngues, & carnem, terebrari; vt vel sic toto corpore confosso, membrisque terebratis, aut deficeret, aut cederet superatus. Post quæ, inuictus Christi martyr, capitis à præfecto damnatus, precibus tota mente intentus, martyrij certamen fœliciter peregit: pridiè Kalen. Nouemb. Sacrum verò corpus eius, iussu tyranni Sombræ fluentis immersum est. Vndè post annos quinquaginta quinq; à matrona quadam nobili Romana, Eusebia nomine, cælitùs admonita eleuatum: integerrimum, incorruptum, fulgidum & inæstimabili odore fragrans est inuentum: ac in loco passionis reuerenter admodum iuxta loci ac temporis opportunitatem humatum. Beata verò Eusebia mox pro sepulturæ beneficio amicum lumen olim amissum virtute diuina fugatis tenebris lætabunda recepit. Trecentis porrò & sexaginta plus minus annis post, beatus Eligius Nouiomensis Ecclesiæ Antistes post sedulam indagationem sacras beati Martyris reliquias ibidem repertas, suauissimè redolentes, eximijsque miraculis celebres summa cum diligentia retro altare ædiculæ transposuit. Tumbam denique ex auro, argentoque & gemmis miro opere desuper fabricauit: Ecclesiam quoque, quod exigua conuenientibus populis videretur, eximio opificio ampliatam decorauit.

Alia inaudita tormenta adhibentur.

Postremò capite cæditur.

Somna fluuius.

Prima eleuatio corporis eius.

Secunda: ambæ miraculis celebres.

Eupiam deuotionem in sacras reliquias, S. Eligij: cuius vita extat 1. Decemb.

Vide Tom. 10. Annal. & Notat. C. Baron. ad Martyr. Rom. 31. Octob.

VITA S. VVOLFGANGI RATISPONENSIS Episcopi: Ex eo quod est apud V. P. Laurent. Sur. Migrauit ex humanis anno Domini 999. Sedit annis 22.

Patria & parẽtes eius.

BEATVS VVolfgangus è Sueuia oriundus parentes habuit, nec opibus nimium affluentes, nec inopia pressos, sed honestate conspicuos, & mediocri sorte prudenter cõtentos. Hic vt primùm per ætatem disciplinis idoneus, triuialibus scholis adhibitus fuit, ijs, quanquàm puer, excelso animo repudiatis, ad Angiense monasteriũ se contulit: vbi libenter & comiter, propter ingenij magnitudinem, exceptus, breui tẽpore tantos in doctrina fecit progressus, vt ipsis etiam præceptoribus, qui acumen illius iam præsentirent, admirationi esset.

Fœlicitas ingenij eius & acumen.

Venit Herbipolim.

Indè verò non multo pòst tempore Herbipolim commigrans, Henrico cõtubernali maximè ad id iter hortatore, Stephano Italo cuidam in disciplinam se tradidit: vbi diuinarum rerum cognitionem admirabilem, non ab homine, sed à patre luminum & veritatis accepit. Porrò cum Henricus eodem tempore ad Treuirensem Episcopatum ab Othone Magno Imperatore, ea dignitate minimè indignus eueheretur, & VVolfgangus ad magnos pariter honores à præsule Henrico, qui eum secum assumpserat, vrgeretur, ipse cælestis disciplinæ amantissimus, reiectis honoribus, ad iuueniles animos optimis morib. & doctrinis informandos totum se contulit; & adolescentes quosq; gratis imbuendos suscepit.

Instituit iuuentutem gratis.

Cùm

Cùm verò ad ſacerdotij dignitatem, viam ſibi apertam cerneret, ilicò & eſu carnium & preciosis veſtibus ſibi interdixit; vt rebelles carnis motus ſpiritui ſubderet, & animum cæleſtibus rebus totum egregiè inſtrueret. Vigiliarum & inediæ patientiſſimus, precibus die noctéque ſedulus incumbebat; ſæcularia negotia, vbi res poſcebat, ita tractans, vt corpore, non animo eis implicitus eſſet. Præcipuum illius ſtudium in adoleſcentum animis, liberalibus diſciplinis, moribusque informandis verſabatur; quos, inſita quadã humanitate paterni affectus fouebat, erudiebatque: & eos qui tenuiori fortuna & humanis exilijs deſtituti erant, non literis ſolùm, ſed corporeis etiam alimentis promouebat. Hac eius viuendi ratione Henricus antiſtes ſummoperè delectatus, Decanum eum clericorum vel inuitum creauit. Eo honore ſuſcepto, mox ad collapſos clericorum mores priſtina diſciplinæ ſeueritate aſtringendos animum adiecit; effecitque vt communi deinceps menſa & cubili vterentur, clauſtroque reuincti, lectioni incumberent. In ijs verò omnibus ſeipſum tam exactum innocẽtiæ & ſanctitatis præbebat exemplum, vt ab omnibus, non clericus ſed monachus diceretur.

Mores & vita eius antè ſacerdotium.

Fit Decanus licet inuitus.

Vt in Decanatu vixerit.

Interea Henricus Romã profectus, ibidemque aduerſa valetudine correptus, vitam hanc mortalem cum immortali permutauit: qua occaſione vir beatus relicta ciuitate Treuirenſi ad ſolitarios Hercyniæ ſiluæ incolas abijt: ſuſceptoq; monaſticæ profeſſionis habitu, ſub Gregorio Anglico Abbate ſanctiora ſpiritalis

Fit monachus.

militiæ fecit ſtipendia. Exacto autem tyrocinij ſui tempore, multi è vicinis monaſterijs, probitatis eius fama illecti, ad eum venerunt; quos omnes ille, permiſſu Abbatis, bonis literis & honeſtis moribus inſtituebat. Cumque totus in eo eſſet, vt percepta diuinitùs talenta in aliorũ ſalutem duplicaret, diuino oraculo admonitus, & cum bona venia Abbatis ſui, monaſterium non monachum deſerens, cum aliquot comitibus prædicandi cauſa per Alemaniam peregrinus in Noricum venit; ſicque lęta vbiq; ſpargẽs Euãgelij ſemina, Pannoniæ fines petijt. Vbi cùm veterum errorum frutices doctrina pariter & exemplo extirparet, Piligrinus Patauienſis antiſtes, qui eum tanquàm peregrinum permanter excepit, & omni humanitatis officio proſecutus eſt, apud Imperatorem Othonem ſecundùm per legatos egit, vt eum Ratiſponenſi eccleſiæ Epiſcopum præficeret. Nec mora: Otho diuino permotus inſtinctu, reiectis omnibus qui dignitatem illam ambiebãt, VVolfgangum, hominem (vt apparebat) peregrinum quidem & inopem, ſed monaſticæ diſciplinæ tota mente deditum, ea dignitate ornandum curauit.

Pergit in Pannoniam Chriſtũ prædicans.

Fit Epiſcopus Ratiſponenſis.

Tantum igitur adeptus miniſterium, nihil à priſtino vitæ inſtituto vel habitu immutauit; ſed qua erat intrinſecùs animi humilitate, eadem quoque foris bonorum operum cultu & ſtudio præ ſe tulit. Perſpectis autem & cognitis Epiſcopatus ſui rebus, cùm beati Emmerammi cœnobium Abbate carere, & fratres veluti oues paſtore deſtitutas errare cerneret, ilicet Treuirenſi monaſterio ſancti Maximini, Ramuol-

In Epiſcopatu monachũ non mutat.

Reformat monaſteriũ Emmerammi: cuius vita habetur 22. Septemb.

muoldum acciuit; eumque primò Prepositum, indè Abbatē Emmerammi præfecit. Iam ante enim illud monasterium ad episcopum (nescio quo iure, quave iniuria) deuolutum erat; ita vt Ratisponensis antistes, & Episcopi & Abbatis simul munere fungeretur.

Cùm autem magna pars eorum, qui ei à consilijs erant, hortarentur & vrgerent, vt eodem iure vteretur, & emolumenta monasterij sanè amplissima nequaquam negligeret, vir sanctus constanter recusauit, dicēs: Nunquàm ego in humeros meos sarcinam conijciam, cui ferendæ par non sum. Sicut enim, teste Gregorio, indecorum est, vt in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio: ita nimirum noxium, simulque turpissimum est, si singula rerum ministeria, personis totidem non fuerint distributa. Hisce alijsque rationibus refutato suorum cōsilio, Ramuoldum Abbatem constituit; & prædia omnia, ab eius antecessoribus per vim monasterio ablata, sancto Emmerammo, solis monachorum, pauperum, & hospitum vsibus deinceps seruitura restituit.

Non vult VVolfgangus Episcopus simul & Abbas esse.

Ecclesiasticum statum collapsum egregiè restaurat.

Post hæc vt alia quoque duo virginum monasteria ad regularis vitæ & disciplinæ normam reuocaret, tertium in quodam suæ ditionis loco virginum condidit monasterium: in quo virgines cælestibus disciplinis insignes, religiosa vitæ conuersatione, bonisque exemplis, alias similiter ad piam virtutum maximarum æmulationem prouocabant. Nec minor eius fuit industria in Canonicorum moribus reformandis; quos sagaci lenitate ad tam ex-

excellentem vitæ integritatem reduxit, vt nihil à summæ perfectionis monachis distare viderentur.

Benignitatis eius studiũ in pauperes præcipuum.

Cæterùm ipse in quotidiana vitæ suæ consuetudine ne latum quidém vnguem à monastica seueritate recedẽs, præcipuo quodam studio mendicos & inopes fouebat, prudenter cunctos & exemplo & doctrina admonens, illa piacula omnium sanctissima esse, quæ hominum charitate & beneuolentia continentur.

Obitus eius miraculis celebris.

Itaque post multa pietatis & iustitiæ opera, miraculis pariter & virtutibus etiam post obitum clarus, è corpore in cælos pridiè Kalend. Nouembris migrauit. Funus verò fuit ingenti omnium luctu in Cœnobium S. Emmerammi, quem præcipuo in vita honore habuérat, illatum: Ibidemque post Missarum solennia & exequiarum officia ritè peracta, præclarè atque honorificè tumulatum.

VITA S. NOITBVRGIS VIRGINIS: Ex ea quæ est apud V. P. Laurent. Surium. Floruit sacra virgo anno Christi plus minus septingentesimo.

31. Octob.

PIPINVS Ansigisi Ducis filius apud Francorum gentem equitũ magister, siue Maior domûs, ducta in matrimonium nobilissima fœmina *a* Plectrude duos ex ea suscepit filios Drogonem & Grimoaldum; quorum prior Campanorum Dux, alter regiæ aulæ præfectus fuit. Cùm autem animum ad Alpaidem pellicem adiecisset Pipinus, Plectrudis legitima eius coniunx cum multis opibus Co-

a Vide de ea Tom 8 Annal. C. Baro. anno Domini 714.

Plectrudis Pipini vxor,

loniam

loniam Agrippinam se contulit: vbi constructo in honorem sanctissimæ Dei genitricis, insigni virginum monasterio, cum nepte, sua Noitburge piè deinceps & religiosè vitam instituit. Cumque neptem suam sanctissimis disciplinis imbueret, & in virginitatis proposito ad vltimum vitę spiritum retinendo educaret, filij eius Drogo & Grimoaldus, ad ineunda matrimonij fœdera puellam allexerunt; impulissentque, nisi morte præuenti eam curam cognatis reliquissent. Itaque illis è vita sublatis, cognati pari pertinacia virginis animum tentare. Illa verò mortales sponsos planè fastidiens, totam se ad deprecandum Dominum contulit: orans obtestansque vt prius ipsam è vita tolleret, quàm vim à cognatis perpeti sineret. Magna sanè & eximia in tam delicata & nobili puella virtus; vt florente ætate, Christo immortali sponso, cuius ardebat amore, regnum mundi & cuncta vitæ oblectamenta longè posthaberet: malletq; iucundam abrumpere lucem, quàm spiritum suum vel leui etiam peccati nubecula obscurare.

fundatrix B. Mariæ apud Coloniam Agrippinam.

S. Noitburgis recusat constanter nuptias.

Nec deprecanti defuit Christus; sed incontaminatam eius animam ex huius vitæ laboribus & angustijs in suũ regnum celeriter euocauit: & defunctæ corpusculum insigni miraculo, duobus videlicet luminaribus, altero ad caput, altero ad pedes eius diuinitus collocatis, cohonestauit. Ad tam diuinum & inusitatum miraculum cum ingens populi multitudo cõflueret, & ciues Colonienses sacrum virginis corpus vigilijs & precibus honorarent,

Imperat à Deo salutarem obitum.

Insigne miraculum.

Item aliud illustre.

accidit sanè res admiratione dignissima. Cùm enim inter sacri funeris exequias alterius defuncti cadauer in templum inferretur, & iuxta virginis feretrũ deponeretur, mox defunctus ad vitam redijt: palàm affirmans se sanctæ Noitburgis meritis precibus à mortuis excitatum. Quæ res non immeritò summæ omnibus admirationi fuit, coegitque certatim oēs

Psalm 67.

præpotentẽ Deum debitis celebrare laudibus, qui est mirabilis in sanctis suis. Peractis autem exequijs & corpore coram summo altari in beati Petri Ecclesia humato, nomen eius, crebrescentibus ad tumulum miraculis, adeò celebre effectum est, vt Ecclesia illa à sancta Noitburge vocabulum acciperet. Fuit verò postea virgineum eius corpus in Confluentinam translatum Carthusiam; vbi hodieque reuerenter asseruatur in laudem & gloriam Christi sponsi virginum & Virginis filij; qui cum patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula benedictus: Amen.

Claret miraculis post obitum

Transfertur corpus eius in Carthusiam Confluentinam.

(∴)

NOVEM-

NOVEMBER.

VITA S. MARCELLI PARISIENSIS Episcopi: Ex ea quæ est per Fortunatum episcopum. Ponitur nonus eius Sedis Episcopus.

Vide Not. C. Baron in Martyr. Rom.

BEATVS Marcellus antistes, Parisiensi ciuitate oriundus, mediocribus quidem parentibus sed meritis celsus in vita præclarè eluxit. Cui hoc fuit præcipuum nobilitatis insigne, Christo sinè culpa seruire. Postquã in omni innocentia & vitæ puritate transmissis pueritiæ annis ad pubertatem peruenit, Lector in ecclesia constitutus mox miraculis & signis cælestibus diuinitus illustratur. Quadã enim vice cum ad officinam fabrilem diuertisset, (incertum qua de causa) despectus ab inhumano artifice cogitur candẽtem ferri massam manu sua de ardenti extrahere camino, eamque librare, vt quanti ponderis esset probaret. Non recusauit pius adolescens, quin Christi virtuti egregiè confisus ferrum arriperet, & manu libraret. Duplex ibi tunc miraculum sanctitatem eius prodidit: cum neque focici calor eum exureret, neque ferri pondera fallerent.

1. Nouem.

Patria eius.

Insigne miraculum.

Deinde vbi in religionis ordine subdiaconus effectus, B. Prudentio episcopo haustam de fluuio Sequanæ aquam abluendis offerret manibus, mutatis elementis, vini sapor inuentus est. Quo viso obstupescens pontifex, iussit ex vrceo in sacrum fundi calicem, & cælestem liquorem vniuerso populo ad communionem

Item aliud.

præberi. Cumq́ue multido plebis ex eo libasset vas ipsum ad sũmum æquè abundans, nouũ rursus admirandum cunctis fidelibus exhibuit spectaculum. Sed & mystico ei⁹ vini beneficio multi postea à varijs languoribus salutem perceperunt. Alia verò vice cum ex officio venerabilis antistitis manibus aquam infunderet mox inde balsama cœperũt fragrare; ita vt pōtifex vngere magis quam lauare se crederet, & alteras aquas quæreret, vt priores vndas ablueret.

Illud quoque mysterium, ad extinguendam in nobis inuidię pestem, referre fortassis abs re non erit. Quidam clericus, Mintucius nomine, annorũ circiter decem, melliflua vocis suauitate aures & animos populi cantando mirabiliter delectabat: iussusq́ue ab Archidiacono decantare, mira quadã dulcedinis teneritudine id præstitit. Eam verò ob rẽ episcopus animo parũ iustè commotus, puerum virgis cædi præcepit. Cuumq́; vox vapulãtis in aures episcopi sonaret, qui vocibus inuidebat, protinus iusto Dei iudicio vocis dispendia pertulit. Itaque toto triduo per compita ambulans vocem in verba formare nequibat, cunctos iã non ore, sed exemplo docens, quam detestanda esset pestis, inuidiæ malũ. Tunc verò beatus Marcellus hisce verbis pontificẽ compellans, amissa vocis organa reformauit: Licet intelligam, pastor bone, tua hunc casum tibi culpa accidisse, tamẽ quidquid libet, in nomine Domini, sermone profunde. O admirandũ subdiaconi meritum, qui vocem restituit sacerdoti, & debiles fauces eloquio reformauit.

En inuidiæ emolumentum.

Hisce

Marcellus fit Episcopus.

Hisce admirandis virtutum indicijs ad pontificiam dignitatem à Deo haud obscurè designatus cum iam Prudentius ab humanis desijsset, à populo pari consensu electus est. Administrauit autem eam illo ordine & modo, vt oneris magis quam honoris eã sibi reputaret. Inter alias autẽ res cum magna sanctitatis opinione ab eo in episcopatu gestas, illud de nobili quadã matrona narratur: Quæ per omnẽ ferè vitam nefariẹ libidinis contagione turpiter polluta, tandem obnoxia crimini è vita excessit. Cuius cadauer in tumulum illatum serpens immanissimus frequentare cœpit: credo vt quam viuentem in crimẽ pertraxerat, mortuam etiã sua sæuitia penitus depasceret. Hoc cognito beatus Marcellus cum serpẽte pugnaturus ad locum accessit. Cumque coluber de silua ad tumulum, obuio Marcello, rediret, cœpit supplici capite & blandiente cauda veniam precari. Tunc vir sanctus caput eius baculo ter percutiens belluam recedere iussit. Illa sanctissimi viri imperio nequaquam resistere ausa fugam cœpit; quam populus, præcedente põtifice, tribus ferè millibus prosecutus est. Deindè acriori increpatione adhibita: Ab hac, inquit, die, aut deserta tene, aut in mare te demergito; moxque dimissa bellua euanuit, & populum incredibili gaudio exultantem & Domino laudes concinentem reliquit. Hisce alijsque penè infinitis clarus operibus sanctissimus Marcellus, cum Domino perpetuò regnaturus, vincens mundi contagium, mundus migrauit ad Christum.

Horrenda Dei vindicta in adultera.

Immanis serpens profligatur à S. Marcello.

Felix obitus viri sancti.

MAR-

Vide Not. C. Baron in ad Martyr. Rom.

MARTYRIVM S. CAESARII DIACONI & aliorum: Ex eo quod est apud V. P. Laurent. Sur.

1. Nouem.

TEMPORE illo quo* Claudius acerrimi aduersus Christianos persecutione cõmouebat, Taracinis Campaniæ ciuitate, Firminus idolorum pontifex, satanico impulsus spiritu, multos veri Dei notitia destitutos, vt audacia & crudelitate immortale sibi nomen compararent, hortabatur. Proponebat eis delicias & ornamenta; vt ijs inescati cum equis phaleratis & armis militaribus, è monte se in mare præcipites darent, tãquam hoc crudelitatis genere patriam expiaturi. Et id quidẽ faciebat quotannis Kalendis Ianuarijs, in laudem eorum qui Taracinis morabantur. Erat autem in vrbe illa egregia corporis specie iuuenis, Lucianus nomine; qui delicijs & lasciuijs diffluens, ad Kalendas Ianuarias huic præcipitio destinabatur.

** Traianus, Iuxtà C. Baron. nisi hic alius sit Cæsarius ab eo, de quo fit mentio in actis SS. Nerei & Achillei 12. Maij*

En execrandam idololatræ pontificis impietatem.

Eum iuuenem conspicatus Cæsarius Diaconus, qui tum ex Africa reuertebatur, scisitatus est ex ciuibus quid sibi vellet ille ornatus. Responderunt illi: Sic ille ornatus est in suum exitium. Et Cæsarius; Per Deum, inquit, omnipotentem vos adiuro, vt huius rei mihi ratione explicetis. Responderunt ciues: Ad sex vel octo menses, genio hic quisquam pro libitu indulget; Ijs exactis mensibus, ornatus & armatus montem cõscendit; ex eoque pro salute totius Reipublicæ cum equo se præcipitem agit. Eius verò cadauer honorificè collectum ignibus concrematur, & cinis in Apollinis templo pro princi-

En infidelium insaniam.

principum ciuiumque salute reconditur. Hæc audiens Cæsarius, O vos, infœlices, inquit, qui hominum innoxiorum animas dæmonibus offertis, neque hic, neque in futuro seculo vera vita potituri. Delitnit deindè in ea vrbe ad Kalendas vsque Ianuarias vir Dei, precibus & ieiunijs die nocteque sedulò intentus.

Vbi autem Kalendæ illuxêre, Lucianus magno cum apparatu & mira ciuium gratulatione in templo Apollinis obtulit in sacrificium, porcam, pro ciuitatis ciuiumque salute; & sic furoris quodam œstro percitus è monte se precipitem dedit. Cernens hæc Cæsarius diaconus exclamans ait: Væ Reipublicæ & principibus eius, qui lætantur alienis cruciatibus & sanguine fundendo pascuntur. Hæc dicentem Firminus Pontifex summo studio comprehendi, & in custodiam publicam abduci præcepit. Indè post dies octo Christi athletam è custodia eductum & triduana inedia maceratum Leontio consulari obtulit: qui post multa verba vltrò citroque habita, ad templum Apollinis vinctum eum nudumque perduxit. Cumq; templo appropinquaret; in medio militum, sublatis ad cælũ oculis, Domine Deus, inquit, respice in seruũ tuũ sperantem in te. Hoc cum dixisset, subitò fanum corruit, & Firminum pontificem ruina oppressit.

Miserandus Luciani inuenis cuiusdam interitus.

S. Cæsarius comprehenditur & in carcerem traditur.

Ad preces martyris templum Apollinis ruit.

Tum Luxurius eius ciuitatis primarius, in carcerem eum recepit; vbi anno integro & mense vno dirum squalorem in victa animi virtute sustinuit. Deindè è carcere productum, missa ad Leontium legatione, quo genere supplicij, necandum censeret, consuluit. Prodijt autem

Mancipatur custodiæ.

è custo-

è custodia vir diuinus, tetra quidē macie confectus, & nudus; sed capillis suis egregiè rectus. Adductus autem in forum à militibus catenis vinctus, satellites rogauit, vt aliquid ei lumēti cōcederēt, quo Deo suo gratias ageret. Eo beneficio potitus, humi se abijciens, immensas Christo Iesu gratias egit; & eccè eadem hora, coruſca lux cælitus emicuit, eumq; protexit. Id cernens Leontius Cōsularis voce magna exclamans ait: Verè, inquit, Dominus Deus est, quem prædicat Cæsarius: mittensq́ue se ad pedes beati viri, chlamyde se sua expoliauit, eaque Cæsarium induit; orans atque obtestans vt fonte salutari confestim expiaretur. Hortatus est eum ad fidem pura & sincera mente amplectendam vir sanctus, acceptaq; aqua eū lustrauit: Aduenienſq; Iulianus presbyter Dominica sacramenta nouo Christi militi porrexit, & in percepta cælitus gratia roborauit, Ijs perceptis, Leontius, orāte Iuliano, mox beatum & immaculatum Deo spiritum reddidit.

Lux cælestis eum circundat, & Leōtius Consularis credit baptizatur-q́ue.

Iulianus presbyter. Leontius reddit Deo spiritum perceptis sacramentis.

Luxurius eo spectaculo ad iram & furorem commotus Iulianū pariter & Cæsarium mortis sententia damnauit, vt ambo sacco inclusi, in mare præcipitarentur. Ea sentētia lata, cum post triduū ad supplicium ducerentur, beatus Cæsarius ad Luxurium conuersus: Nos quidē, inquit, aqua tanquam filios ex se renatos suscipiet: Te verò, Luxuri, hodie coluber inuadet, deuorabitq́ue, vt omnib. huius regionis incolis innotescat, Dominum sanguinis seruorum suorum vindicem esse. Deindè missi in saccum Iulianus & Cæsarius fœlici agone certamen peregerunt: Luxurius verò iuxta Diaconi vati-

Cæsarius diaconus & Iulianus presbyter culeo insuti mittuntur in mare, & Luxurius vindicta cælestipœnas luit.

ticinium eodem die iustas scelerum suorum pœnas luit. Cùm enim eques ad villam suam solus properaret, & arborem quandam præteriret, serpens quidam ex ea inter collum & tunicam eius prolapsus, protinus morsu venenato ventrem disrupit, & ad præcordia vsque penetrauit. Totus igitur intumescens humi voluebatur miser; & prius quam animam efflaret, vidit Angelos psallentes & corpora sanctorum ex vndis exportantes: quæ Eusebius Christi seruus deindè collegit, noctuque sepeliuit apud Taracinas. Porrò cum tumulum eorum ieiunijs & orationibus frequentaret, & complures ibidem conuenientes ad Christi fidem ab eodem conuersi à beato felice presbytero baptizarētur, Leontius Leontij Consularis filius vbi id comperit, furibundus ob mortem patris, ambos protinus comprehensos, noctu capite obtruncari iussit, ac corpora eorum in flumen iactari. Ceterum corpus B. Cæsarij Romam translatum, hactenus in Basilica Heleniana, dicta alio nomine S. Crucis ad Hierusalem in Atrio Sessoriano religiosissimè asseruatur. Porrò vnum eius brachium S. Anno Coloniensis Episcopus Coloniam transtulit.

Eusebius capitis damnatur vna cum felice presbytero: ob Christi fidē. Corpus S. Cæsarij Romæ asseruatur. Vnum Brachium Coloniæ. Vide Tom. 2. Annal. & Not. in Martyr. Roman. C. Baron.

MARTYRIVM S. BENIGNI PRESbyteri: discipuli S. Polycarpi: quo coronatus est apud Diuionem, circà Annum Domini 169. sub Marco Aurelio & Lucio vero Imp. Ex eo quod est per V. P. Laur. Sur.

CVM

1. Nouem.

Prædicat Dei verbũ.

CVM sanctus Benignus in villa (cui Spaniaco nomen) gẽtibus Dei verbum prædicaret, Terentius Comes iussu Aurelij, vinctum eum ac cæsum ad quæstiones & supplicia abripuit. Eum in conspectu suo ductum Aurelius sanguine Christianorum ebrius; Dic, inquit, tu qua regione oriundus es, & quo nomine appellaris? Ad ea vultu animoque imperterritus Christi seruus respõdit; Ab Oriente venimus, ego & fratres mei: quos tu purpurea redimitos corona ad cælos præmisisti, missi à S. Polycarpo, vt miseras gentes sempiternis ignorantiæ & peccatorum tenebris inuolutas, cælesti face Euangelij illustraremus. Tunc Aurelius, Si, inquit, meis obtemperaueris cõsilijs, ego te summum deorum meorum sacerdotem constituam, & donis muneribusque affectum primis in regia mea honoribus extollam. Respondit Benignus; Aurum & argentum tuum tecum confletur in perditionem; primatum verò aut sacerdotium non admitto: quæ æternam mihi perditionem parerẽt. Me profecto à Christo viuorum ac mortuorum Iudice abduces nunquam; qui tuam quandoque insaniam, qua in Christi seruos debaccharis, deteget: & volentem te nolentemque Deum omnium gentium, quem negas, cõfiteri compellet.

Sistitur Aurelio.

Aurelius ei blanditur.

Benignus blanditiis contemnit.

His auditis Aurelius durissimis neruis martyrẽ cędi, cæsumque teteri imo carceri mancipari iussit. Sed mox angelus Domini illi astans plagas omnes ita abstersit, vt ne vestigium quidem in corpore appareret. Insequenti verò luce Aurelius eductũ è carcere, & dijs sacri-

Missus in carcerem & cæsus recreatur & sanatur ab Angelo.

sacrificare nolentem, ad fanum quoddam adduci præcepit. Cumque homo nefarius nihil se vel blanditijs vel minis in martyre promouere cerneret, æstro quodam furoris agitatus: Ingerite, inquit, ori illius carnes immolatas, vt vel inuitus dijs nostris seruire cogatur. Id cùm dicto citi' fieret, martyr oculis manibusque insita pietate ad cælũ sublatis propitium Christi numẽ inuocauit: & eccè, expresso Crucis signo, cuncta idola lignea lapideaque, & ipsa quoque vasa sacrificiorum, instar fumi euanuerunt. Tum verò sanctus incredibili gaudio affectus: Agnosce, inquit Aureli, ô miser, potentem Christi virtutem & deorum tuorũ inanitatem: Vbi nunc effigies eorum, qui ad Crucis signum protinus euanuerunt?

Subuertit omnia idola oratione sua martyr.

His verbis commotus iniquissimus Imperator, in carcerem eum recludi, pedesq; eius ingenti saxo perforato inseri, & plumbo liquefacto firmari iussit: Deindè ignitas subulas in manuum digitos defigi, & diebus cõtinuò sex omni cibo potuque destitutum torqueri. Et nè qua salutis spes ei relicta videretur, canes ferocissimos duodecim extrema fame vexatos simul includi præcepit. Sed cuncti illi terrores & horrendi cruciatus fuêre protinùs à martyre per Angelum Domini excussi: ità vt rabidi canes ouibus mansuetiores redditi martyris se defensores præberẽt. Sexta verò die cùm aperta custodia missi ab Aurelio satellites martyrem planè illæsum inuenirent, tandẽ iussu Aurelij lancea militis transfossus preciosam Deo animam reddidit. Cuius corpus Leonilla insigni pietate matrona aromatibus condi-

Immanissimi cruciatus.

Lancea trãsfossus migrat ad Christum.

Sepulchrum eius miraculis celebre.

tum, haud procul ab ipso carcere in sepulchrum cōdidit: vbi multis sese virtutibus beatus martyr & miraculis minifestè declarauit.

DE SOLENNITATE OMNIVM *Sanctorum: Ex D. Augustino & Lodouico Granatensi.*

1. Nouem. *D. August. serm 37. de Sanctis.*

HODIE, dilectissimi, omnium Sanctorum sub vna solennitatis lætitia celebramus festiuitatem; quorum societate cælum exultat, quorum patrocinijs terra lætatur, quorum triumphis Ecclesia sancta coronatur: quorum confessio quāto in passione fortior, tanto est clarior in honore. O verè beata mater Ecclesia, quam sic honor diuinæ dignationis illuminat, quam vincentium gloriosa Martyrum sanguis exornat, quam inuiolata Confessionis candida induit virginitas. Ergo agite nunc fratres, aggrediamur iter vitæ, reuertamur ad ciuitatem cælestem, in qua scripti sumus, & ciues decreti. Consideremus inclytam vrbis illius fœlicitatem, inquantum considerare possibile est: vt enim verè est, comprehendere nullus sermo sufficiet. Dicitur de ea in quodam loco sic: Quod aufugiet ibi dolor & tristitia & gemitus. Quid hac vita beatius, vbi non est paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas? Nemo læditur, irascitur nemo: nemo inuidet. Cupiditas nulla exardescit, nullum cibi desideriū, nulla honoris petsatio: aut potestatis ambitio. Nullus ibi diaboli metus, insidiæ dæmonum nullæ: terror gehennæ procul. Mors ibi, neque corporis neque

Ephes. 2.

Gloria æternæ beatitudinis inperscrutabilis.

Esaiæ 35. & 51.

neque animæ erit: ſed immortalitatis munere vita iucunda. Nulla erit tunc vſquam diſcordia, ſed cuncta conſona; cuncta conuenientia; quia omnium Sanctorum vna concordia, pax cuncta & lætitia continet: tranquilla ſunt omnia & quieta. Iugis ſplendor: non iſte qui nunc eſt: ſed quanto felicior, tanto clarior: quia ciuitas illa, vt legitur, non egebit lumine Solis, ſed Dominus omnipotens illuminabit eam: & lucerna eius eſt Agnus. Vbi Sancti fulgebunt vt ſtellæ in perpetuas æternitates; & ſicut ſplendor firmamenti, qui ad iuſtitiam erudiunt multos. Verùm ſuper omnia hæc, conſociari Angelorum & Archangelorũ cętibus, Thronis etiã & Dominationibus, Principatibus & Poteſtatibus, omniumque cæleſtium ſupernarumque virtutum contubernijs perfrui, & intueri agmina Sanctorum ſplendidius ſideribus micantia: Patriarcharum, fide fulgentia: Prophetarum, ſpe lætantia: Apoſtolorum, in duodecim tribubus Iſrael orbem iudicantia: Martyrum, purpureis victoriæ coronis lucentia: Virginum quoq; choros candentia ſerta geſtantes, quanta erit gloria, quanta lætitia?

Apoc. 21.

Daniel. 12.

Vndè quidem haud immerito inter feſtos dies quos Eccleſia quotannis ſolenni religione celebrandos ſuſcepit, hic dies vel ſummum vel maximum certè locum obtinere videtur. Cætera ſiquidem feſta aut ſingulorum Sanctorum, aut ſingularium myſteriorum ſunt; hoc autem ſub vnius diei ſolennitate Sanctorum omnium feſta complectitur. Sed enim magno Spiritus ſancti conſilio Eccleſia hoc inſtituiſſe

Lodouicus Granat. Concio. 1 de Solen. Omnium Sanctorum.

Quanta hodierna Solennitas.

Quanta hodierna Solennitas.

videtur. Primùm quidẽ, vt quæ per socordiam & iniuriam in cæteris Sanctorum festis deliquimus, aut minus plenè præstitimus, huius saltem diei ampliori deuotione pensaremus: & vnus dies ritè celebratus, aliorum omnium negligentias resarciret. Deindè vt hoc vno die, Sanctorum plurimis, quib. singulares dies festos decernere non vacat, debitam eorũ meritis laudem & honorem hac saltem ratione impenderemus, quando aliter non possumus; cum omnes anni dies intra angusta spatia contineãtur: Sanctorum autem numerus vix comprehendi possit. Quam rem oculatissimus testis Ioannes Euangelista in Apocalypsi confirmat; qui vbi centum octoginta quatuor millia Sanctorum enumerasset, quos ex singulis tribubus Israel, Dominus ad æternam vitam cooptarat, subdit protinus.

Quare instituta.

Apocal. 7.

Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & populis, & linguis stantes ante thronum, & in conspectu agni; amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum; & clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum & agno. Ex quo planè loco illud colligere licet, quod quamuis incomparabiliter multo plures sint qui pereunt, comparatione eorum qui saluantur (est enim teste Saluatore, arcta via quæ ducit ad vitam: lata autem & spatiosa quæ ducit ad perditionem) nihilominus tamen electorum turbam adeo esse magnam, vt à nemine numerari possit, Ioannes hoc in loco asserit. Quin et

Matth. 7.

Innumerabilis beatorum numerus.

solis

solis tantùm martyrib. tam ingens multitudo in cælis coronata triumphat, vt si Ecclesia omnibus illis festos dies instituere decreuisset, supra quinque millia martyrum (vt D. Hieronymus testatur) ad vnumquemque diem assignare potuisset. Horum igitur laudibus, quibus dies singulos Ecclesia destinare non potuit, hunc vnum diem voluit esse dicatum. Est & alia non inferior huius solennitatis causa; nempè quod hac ratione multos nobis aduocatos in cælo comparare voluit: cum ab illis pro impensis precibus & laudibus opem & patrocinium suppliciter implorat.

Sanctorum suffragia implorandæ.

Sunt quidem Sancti ad hoc officium præstandum propensi; qui (vt diuus Augustinus ait) de sua salute securi, de nostra soliciti sunt. Eos namque & germana charitas, qua nos conciues suos futuros prosequuntur, & huius vitæ pericula quę illi euaserunt, ad nos omni ratione iuuandos solicitant: nostris tamen precibus & laudibus propensiores ad hoc officium redduntur. Et quidem appropinquante hora mortis, quando post extremum illum halitum de tota æternitate nostra ferenda sententia est, vltimum nobis Ecclesia præcipit adhiberi remedium, nempe Vnctionis Sacramentum: quod iam migraturis exhibetur. Quo etiam tempore Sanctorum omnium auxilium implorat; omnesque illos velut antè superni iudicis conspectum aduocatos mittit: quo periclitanti filio, & in summum discrimen adducto opem ferant. Quod quidem illi patrocinium eò lubentius suscipiunt, quo frequentiùs homines citra mortis etiã & extremę

necessitatis periculum illos hoc religionis officio venerati sunt. Nota enim illa Publij sententia est: Habet in aduersis auxilia, qui in secundis commodat. Vndè colligimus, obsequia illa esse gratissima, non quæ necessitas violenter extorsit, sed quæ spontanea pietas libenter impendit. Hac ergò de causa non hoc die solum, sed in omni vita præcipua deuotione Sanctos colere & venerari debemus: vt eos, dum extrema illa necessitas incubuerit, propitios ac fideles habere mereamur. Ex multis sanè Sanctorum historijs discimus, fuisse nonullos, qui ad extremam horam venientes, ac de salute sua, propter malè actæ vitæ cōscientiam desperantes, sanctorum hominum, qui præsentes aderant, pijs lachrymis & precibus vel spatiū pœnitentiæ, vel erratorum veniam consecuti sunt. Quod si hoc animo viri sancti in alios homines exstiterunt cum in hoc corpore degerent, multomagis charitate viæ in patriæ charitatem commutata, eundem erga nos benignitatis & misericordiæ affectum gerent.

Quale obsequium gratissimum.

DE COMMEMORATIONE FIDELIUM *Defunctorum: Ex oratione D. Ioannis Damasceni.*

2. Nouem.

TORTVOSVS ille coluber ac humani generis infestissimus hostis, qui circa præclaras ac Deo gratas actiones omnes & cogitationes serpit ac iugulatur, nonnullum quoddam & absurdum, sacrisque sanctionibus omninò contrarium dogma quorundam instabilium mentibus iniecit: nimirum pia omnia opera

Satan hæresum sator.

opera, quæ post mortem fiunt, nullam omninò defunctis vtilitatem conferre. Conclusit enim (inquit scriptura) Deus aduersus eos. Et, Reportabit vnusquisq; per corpus, iuxta id quod fecit, siuè bonum, siuè malum. Et, In inferno quis confitebitur tibi? Et rursus, Quia tu reddes vnicuiq; iuxtà opera sua Ac denique, quod quisque seminauerit, hoc & metet.

Iob. 16.
2. Corin. 5.
Psalm. 6. 68.
Galat. 6.

Atô sapiẽtes viri (sic enim eos alloquamur) perueſtigate quæso atque istud discite, magnũ quidem Dei omnium Domini metum esse, verùm multo maiorem bonitatem: & horrendas quidem ac pertimescendas ipsius minas esse, ceterùm ipsius benignitatem nulla coniectura percipi posse: ac denique in ipsius sententijs ac supplicijs quanquàm terroris multum insit, rursus tamen miserationum ipsius pelagus omnem orationis facultatem superare. Animaduertite enim quod scriptura sacra de Iuda Machabæo memoriæ prodiderit, quippè eum in Sion Regis magni ciuitate, cum populum, cui præerat, ab exteris hostibus cæsum & obtruncatum vidisset, sinusque eorum excutiens, condita in ipsis idola comperisset, ilicò expiandi huius sceleris causa Domino ad misericordiam, prompto ac propenso pro vnoquoque eorum munera obtulisse: in eaque re summæ pietatis & charitatis munere perfunctum fuisse: vndè etiam factum est, vt diuina scriptura, quemadmodum omnibus alijs nominibus, ita hoc quoque nomine summis eum laudibus euexerit ac mirificè commendarit.

Dei misericordia eius iustitiam superat.
2. Mach. 12.

Porrò Christi Saluatoris discipuli ac diuini

Mortuorum memoriam in Missis agere, Apostolica traditio.

Apostoli, post eius gloriosam in cælos ascensionem à Spiritu sancto abundantius de omnibus edocti, inter cetera etiam, vt in tremendis ac puris vitamque afferentibus mysterijs, eorum qui cum fide diem vitæ extremum clausissent, memoria fieret instituerunt. Quod quidem firmè atque constanter, ac sinè vlla controuersia Catholica & Apostolica Ecclesia, ab extremis finibus ad extremos vsq; fines, ab eo tempore ad hunc vsque diem semper retinuit, ac tantisper dum mundus hic erit, retinebit.

Christiana religio nihil habet quod vtile non sit.

Non siquidem inconsideratè ac temerè & sinè ratione hoc ab illis est institutum. Neq; enim quicquã, quod vtilitate careat, Christianorum religio, quæ ab omni errore aliena est, suscepit, fixumq; semper ac stabile retinuit: sed frugifera omnia, Deoque grata & accepta, maioremque in modum vtilia, atque ita comparata, vt maxima ex ijs salus oriatur.

Dionys. Areopag Hierarch. ecclesiast. cap. 7.

Quocirca eruditissimus ille atque in explicandis rebus diuinis exercitatissimus Dionysius, in mystica sua de ijs qui mortem obierũt contemplatione, disertè hoc asserit; *sanctorum preces in hac quoque vita, nedum post mortem, in ijs qui sanctis precibus digni sunt, hoc est pijs ac fide præditis efficaces esse.* Non est autem dubium, quin hoc loco per voculam hanc, *Nedum*, nihil aliud intelligendum sit, quam, *quanto magis.* Et post pauca: *Hoc* (inquit) *supplex à diuina bonitate petit Pontifex, vt errata per humanam imbecillitatem admissa ei qui è viuis excessit remittat, eumque in viuentium regione collocet, in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob; in lo-*

in loco vndè profugit dolor & tristitia & gemitus: dissimulante nimirum pro sua bonitate diuina clementia maculas eas, quas is, qui vita abijt, ex humana fragilitate contraxit.

Sed enim post hunc Gregorius ille, qui à Theologia cognomentum traxit, in ea Oratione, quam in Cæsarij fratris funere habuit, de matre sua in hunc modum loquitur: *Auditũ est* (inquit) *præconium dignum quod ad omnium aures perueniat. Ac matris mæror per egregiam ac sanctam pollicitationem, qua se filio, quicquid opum ipse habebat, ipsius nomine in parentale munus oblaturam recepit, exhauritur.* Et alijs quibusdam interiectis; *Quædam iam persoluimus, quædam rursus persoluemus: anniuersarios nimirum honores ac commemorationes offerentes.* Cernisne vt præclara & pia ea munera esse asserat, quæ eorum, qui vita functi sunt nomine Deo offeruntur, anniuersariasque commemorationes ab eo lubenter admitti?

Gregor Nazianzenus.

Anniuersariæ exequiæ & alia pia exercitia pro defunctis Deo grata.

Denique ille verè aurea loquens, atque ab auro cognomentum adeptus Ioannes: ille inquam amoris erga pauperes ac pœnitentiæ dux & magister, in luculentissima sua enarratione in Epistolas ad Philippenses & Galatas his verbis vtitur: *Nam cum gentiles simul cum ijs, qui mortem obiêrunt, bona sua comburant, quanto tandem æquius est te, qui fide præditus es, operam dare, vt eius, qui fide præditus erat, bona eum prosequantur? non vt ea in cinerem, velut illa dilabantur:*

Ioannes Chrysostomus.

sed vt maiorem ipsi gloriam concilies, ac, si peccator erat is qui fatis concessit, eius peccata deleas; si autem probus ac iustus, ea illi mercedis ac remunerationis cumulum augeant. Et rursus alterius Oratione: *Excogitemus quemadmodum de ijs qui obierunt benè mereamur: Auxilium quod nobis in promptu est ipsis offeramus, hoc est, eleemosynas & oblationes. Id enim vberem fructum atq; ingentem vtilitatem ipsis accersit. Non enim hæc frustrà ac temerè instituta, Ecclesiæq; Dei à sapientissimis ipsius discipulis tradita sunt, nimirum vt Sacerdos pro ijs qui in fide obdormierunt in tremendis mysterijs vota faciat: probè siquidem norant hinc ingentem quæstum & vtilitatem ad eos redire.* His etiam adstipulatur doctissimus Gregorius Nyssenus ad huncmodum loquens: *Nihil inconsultò atq; incassum à Christi præconibus & discipulis proditum est, & in omnibus Dei Ecclesijs obtinuit; verum id vtile ac Deo gratum est: nimirum vt in diuino ac splendido sacro, eorum qui è vita in recta fide discesserunt, memoriam agamus.*

Homil. 3 ad Philippēses. Eleemosynæ & oblationes pro defunctis faciendæ.

Nos itaque pro virili nostra prouideamus, ne in horrendo illo & extimescendo die, hoc est in secundo Iudicis aduentu à propinquis necessarijsque nostris eo nomine accusemur, quod eorum saluti consulere neglexerimus, ijque præsertim quibus id ab illis mandatum fuit, velutque fidei nostræ commissum. Neque enim hoc quisquam exstimet, nos in formidabili illo cætu ignotos inter nos fore. Nam pro-

Proximum quisque suũ in resurrectione mortuorum agnoscit.

profectò proximum quisq; suum agnoscet, nó quidem ex corporis figura, verum perspicaci animæ oculo.

Vide Not. C. Baron. in ad Martyr. Rom.

CERTAMEN SS. ET GLORIOSORVM *Martyrum Acindyni, Pegasij, Anempodisti, Aphthonij & Elpidephori: Ex eo quod est apud Metaphrasten.*

2. Nouem.

TEMPORE illo quo Sapores Persarum Rex immanem Christi Ecclesię persecutionis offundebat caliginem, Acindynus, Pegasius, & Anempodistus sua confessione constanti planè atque diuina, obortas tenebras egregiè dispulerunt. Cum enim spectante populo, minis iam antè æquè ac blanditijs superatis, extensi à viris quatuor virgis crudeliter cæsi, & subiectis ignibus per totum corpus cremati essent, & illi quouis adamante fortiores cuncta illa supplicia perferrent, suppliceſque ad Deum preces funderent, fuêre cælesti virtute à vinculis soluti, & integra repentè sanitate donati.

Vixit Sapores Anno Christi 338. &c. teste C. Baron. Tom. 3 Annal.

Egregia eorũ constantia in supplicijs horribilibus.

Eo tam stupendo miraculo non ad mentem saniorem, sed nouum conuersus furorẽ Sapores, iussit ferreos grabatos adipe, pice, resina, & igne candẽtes parari; inque eos nudis prorsus corporibus martyres reclinari. At illi, impio satellitũ ministerio non exspectato, vltrò in eos insilierunt: & plena fide Christi opẽ implorantes cruciatus superarunt. Eo spectaculo multi paganorum, abiurato idolorum cultu, Christo nomina dederunt: fueruntque omnes fulgore quodam cælesti decorati.

Crudele tormentum.

Multi conuertuntur ad Christum.

Porrò

Iouis statua ad preces sanctorum corruit.

Porrò Rex insano deorum suorum cultu laborãs, martyres ad fanum Iouis deduci præcepit: inani quadam spe pulsatus, eos Ioui supplices futuros. Et illi quidem templum ingressi, mox vt fixis humi genibus, preces votaque Summo Deo persoluerunt, templum terribili est terræmotu concussum; & aurea Iouis statua repentino casu confracta, Regem tanto perculit terrore, vt in sola fuga spem salutis repositam haberet. Posteà quàm verò ab illo tremore se collegit, iussit martyres in lebetes feruenti plumbo bulliẽtes collotenus immergi, rursusque extrahi: sed illis, assiduo precandi studio, cõtra immane illud supplicij genus decertantibus, omnes Tyranni conatus in nihilum reciderunt. Inter ea vnus è ministris Aphthonius nomine, admirabili obstupefactus spectaculo, exclamauit: Magnus est Deus Christianorum. Deindè conuersus ad Regem; Notum tibi sit, inquit, quod deinceps vnum Deum cæli terræque conditorem adorem: eique soli seruiam. Tu verò crudelissime, quousque tandem in Christi seruos canina rabie desæuies? Hæc dicentem Rex immani furore exagitatus capitis damnauit: quam ille sentẽtiam plenus in Deum fidei ac spei lætabundus excepit.

Alij horrendi cruciatus.

Aphthonius vnus è ministris credit in Christum.

Plectitur capite.

Petit vindictam delictoribus impius Rex.

Post hæc martyres bubulis insuti culeis in mare præcipitati sunt: sed culeis, diuina virtute, ilicò disruptis, illæsi euaserunt. Quos simulac Tyrannus conspicatus est, amentia plenus & furore, lictores quatuor, quos precio corruptos martyribus peperciſſe existimabat, præcisis manibus eodem illo supplicij genere con-

condemnauit. Martyres verò singulos in singulas foueas, recens effossas bestijs in ijsdem & serpentibus immissis inijci iussit, vt venenato eorum morsu interirent. Sed fuêre angelico rursus ministerio è lacubus educti, & fremente nequidquam Sapore recreati. Id cernens Tyrannus vix mentis compos vltimam in eos tulit sententiam, vt virgis crudelissimè cæsi, membratimque laniati capite plecterẽtur. Itaque cùm ad vltimum hoc certamen à lictoribus raperentur; Elpidephorus, qui primas in Senatu tenebat, vir occulta in Christum fide ac religione insignis, cũ alijs tribus eiusdẽ auctoritatis ac pietatis viris, & sanctos martyres sequentibus ac plangentibus militibus trecentis, eadem martyrij gloria coronati sunt: cæsisque capitibus, antè ipsos agonethetas, triumphum de hoste peregerunt.

Elpidephorus Senator cum alijs tribus & 300. militibus pro Christo capite plectitur.

Cæterũ martyres ferro vincti, vtpotè aliorum incẽtores & antesignani, ideoque maiori supplicio reseruati, illa quidẽ nocte, in custodiam recepti fuêre: Primo autẽ mane Rex fornacem vehementissimè accendi mandat: productisque martyribus minitabundus eam manu ipsis ostendens, Eccè, inquit, præmia vestræ inobedientiæ: quibus propediem remunerãdi estis. Acindynus verò cernens Tyrannum malitiæ & furoris sui stimulis vehemẽtissimè cõcitatum; Fortè, inquit, prophetico tibi spiritu nomen impoluit mater: Sapores enim haud absurdè dæmonum pater interpretari poterit. Tu autem non pater dæmonum, sed apertè eius es filius, qui homicida fuit ab initio, quoniam hominum sanguine, sicut ille delectaris.

Interpretatio nominis Saporis. Ioann. 8.

His

Vide quæso miseriam tãti Regis qui dum iræ & furori paret, de calamitate in calamitatem ruit.

His auditis, adeò ardentibus furoris facibus miser est accensus Tyrannus, vt accita matre, nominis sui interpretationem ex ea scire vellet. Illa verò respondens: Equidem, inquit, scio hoc tibi nomen esse paternũ: significationem autem eius planè ignoro. Tum Tyrannus: Isti, inquit, cacodæmones asserunt significare patrem dæmonum. Quod si veritatem in hoc sibi suffragantem habeant, ego te prius quàm illos acerbæ morti tradam. Illa verò subridẽs: Omninò, inquit, suffragantem habent: si enim non haberent, quo modò tanta audacia tam multis præsentibus confirmare præsumerent. Tum verò Tyrannus ab impotenti animi sui furore victus, matri repentè alapam inflixit. Illa autẽ confestim pedibus prouoluta sanctorum, profusis lachrymis ait: Seruate senectutem meam. Ipsum enim, vt video, satanam, illum ipsum ego genui. Deindè exclamans: inquit, Ego iuro, me ab hac martyrũ trinitate non auellendam, sed gloriosam pariter cum eis mortem oppetituram.

Ecquid tunc animi Tyranno fuisse putandũ est, cùm cerneret vndique se à suis derelictum, & matrem tam gloriosa confessione execrabilem eius impietatem damnantem? Stabat mente prorsus attonita; ac tandem, ne suis aperto pateret ludibrio: Sinite, inquit, hanc imbecilla mente nulloque consilio, more fœminarum agere: impios autem hos, (loquebatur autem de martyribus) in flammas inijcite.

Hoc mandato accepto, milites qui erant octo & viginti, fornaci appropinquantes, protinùs diuino quodam timore ac terrore corre-

pti

pti constitere: & nunc flammarum incendia, nunc inuictam martyrum constantiam admirantes, quid agerent, prorsus ignorabant. Tum verò martyres ad eos: Quid, inquiunt, statis: quid iussa vestri Imperatoris implere formidatis? Si hic ignis humano studio excitatus, adeò vobis terribilis apparet: ecquid de gehenna, iusto Dei iudicio impijs omnibus & idolorum cultoribus, in omni seculorum ęternitate, constituta existimandum erit? Nisi igitur abnegato idolorũ cultu, Christo vero Deo verè credideritis, nunquam illam gehennæ atrocitatem effugietis.

Milites ad supplicia martyribus inferēda parati, credunt in Christum: & vna pariter fornacem ingressi martyrium consummant.

Adea milites lachrymabũdi exclamarunt; se propter multiplicem impietatem ex animo dolere, & Christo IESV Dei filio credere: orareque atque obtestari sanctissimos martyres vt præteritorum criminum veniam à Deo consequi mereantur. Illi milites bono animo esse iussos, ad Christi cõfessionem constanter perficiendam hortantur: nihil dubitantes se mox cælestem æternæ vitæ coronam recepturos. Igitur Christi signaculo muniti, simul cum sanctis Acindyno, Pegasio & Anempodisto fornacem ingressi sunt, nè ipsa quidem Tyranni matre relicta; quæ pari virtute & constantia flammas subijt: & clarissimam de cunctis hostibus pariter victoriam egerunt.

Similiter & mater Saporis.

Quorum sacræ & pretiosæ reliquiæ depositæ sunt in loco, qui dicitur Ireneſsus: ibidem miraculorum signis admodum celebres.

Vide Tom. 8 Annal C. Baron. & Not. ad Martyr. Rom.

VITA S. HVBERTI EPISCOPI LEOdiensis: Ex ea quæ à quodam eius discipulo conscripta habetur. Ordinatus est à Sergio Pap. anno Domini 699. Diem obijt anno 730. Numeratur eius sedis episcopus ordine tricesimus.

3. Nouem.

POST gloriosum beatissimi antistitis Lamberti excessum, Hubertus virtute illi nequaquam secundus, eius sedi Episcopus subrogatur. Hic filius Bertrandi Ducis Aquitaniæ, cum Ebroini formidans tyrannidem in Austrasiam ad Pipinum paganus adhuc se trãstulisset, fuit mirabili prorsus Dei benignitate ac prouidentia è profunda errorum caligine, ad admirabile Christi lumen vocatus. Cum enim in Tungrensi parochia adhuc paganus, vt diximus versaretur; venanti quandoque inter cerui cornua apparuit Christus, eumq; timore ac tremore correptum, Lambertum antistitem adire iussit, certissimam ab eo salutis percepturus rationem. Paruit ilicò cælesti visioni reuerenter Hubertus; audiensque antistitem & peramãter ac benignè ab eo susceptus, & catechesi imbutus, postremò fonte salutari lustratus est. Deindè verò totus cælestis patriæ desiderio incensus, Romam sacra Apostolorum limina visurus accessit: vbi à Sergio papa, Angelica monitione permoto, (B. Lamberto iam martyrio coronato) volens nolensque episcopus consecratur. Tum verò rebus suis ilicò distractis, inopum indigentiam larga manu subleuare; iniuria oppressis patrocinio subuenire; calamitosis & tribulationum turbine circumuentis consolationem præbere: viduas deni-

Genus eius. Debis vide Ioan. Molan. in Indic. SS. Belgij.

Huberto adhuc pagano inter cornua cerui apparet Christus.

Baptizatur à S. Lamberto.

Romæ consecratur successor Lamberti.

denique, pupillos, & orphanos præcipua quadam cura ac studio fouere.

Qualis in Episcopatu.

In hisce alijsque veri pastoris officijs cum se cũctis admirandum & mirificè charum exhiberet, tandem anno Ordinationis suę tertiodecimo sanctissimi Martyris Lamberti reliquias ad locum, qui martyrij eius gloria celebre habebatur, transtulit; ijsdemque insigni & visendo inprimis opere condidit basilicam. Deindè toto nisu ad nefarium idolorum cultum, qui adhuc in ijs partibus vigebat, penitus extirpandum conuersus, opportunè importunè prædicando, monendo, obsecrando ac increpãdo effecit, vt non modò è vicinis, verùm etiam è longinquis & à se valdè remotis locis populi ad eum cõfluerent, ac de potestate faucibusque diaboli se erui, atque in regnũ Christi, gremiumque sanctæ Ecclesiæ per baptismi gratiam transferri gauderent. Omnis Arduenna sacrilegæ dæmonum seruituti mancipata, eius studio & vigilantia in Christi libertatem translata est. Nullis parcebat laboribꝰ, nullis sumptibus; vt populos atra cæcitate miserè inuolutos, lumine cælestis doctrinæ redderet conspicuos: totamque illam patriam Euangelica face illustraret. Nec defuit miraculorũ gloria, quibus rebelles etiam animos & in superstitione nefaria penitus obduratos expugnauit; eoque tandem deduxit, vt veneranda olim sibi templa terræ coæquarent, pulueremque eorum velut immunditiam detestantes, per diuersa dispergerẽt. Itaque detestabili dæmonum cultu funditùs sublato & delubris solo adæquatis, Hubertus plurimas per diuersa

Transfert reliquias S. Lamberti, & in eius honorem cõdit Ecclesiã.

Multos ad Christi fidẽ conuertit.

Item totam Arduennam.

Claret miraculis.

Multas condit Ecclesias.

loca Christo Domino in honorem sanctorum martyrum condidit basilicas, cultumque diuinum tam egregiè disposuit, vt in Christianorum istorum moribus, verissima quædam apostolicę religionis facies relucere videretur.

Brabantiam quoque multis adhuc erroribus gentilium irretitam, ex parte correxit. Vt autem sibi subditos in Catholicæ fidei obseruantia, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ obediēntia, à qua sanctum Euangelium accepissent, cultu perpetuo firmiter contineret, & posteros eodem vinculo obligaret, tradidit publicum sigillum vrbi Leodiensi, S. Lamberti martyris imagine sculptum, atque huiusmodi inscriptione notatum: SANCTA LEGIA: Romanæ Ecclesiæ filia. Et reuera quidē quod ad fidē Catholicā attinet, fuit ea casta & pudica semper; fideliter sanctæ matris assiduè sectata vestigia; nulloque vnquam hęreseon fœdata contagio.

Euconimum Leodij.

Igitur statu Ecclesiæ istius optimè constituto, vir diuinus obitûs sui multo antè tempore præscius, beatum spiritum, in loco cui *Furanomen, Christo tradidit: è quo sacrum eius corpus lugubri multorum concursu Leodium transiatum, & in basilica beati Petri ab ipso constructa, iuxtà altare S. Albini honorificè conditum est. Anno verò ab eius sepultura sextodecimo, cum crebris tumulus eius eniteret miraculis, è vase sepulchri sublatum & ad altare Petri transiatum, ab omni dissolutione & putredine prorsus illęsum inuentum est. Vndè postmodum anno 825. pridiè Kalend. Octob. *Vulcandus Episcopus cum magna Ecclesiastici gradûs frequentia corpus sanctissimum ad

Felicissimè obit.

** Inter Louanium & Bruxellam Locus sepulchri eius miraculis celebris.*

** Valcandus.*

ad[t] Andainum suæ diœcesis monasterium in Arduennam transtulit: vbi frequenti fidelium cõcursu eius memoria propter gloriam miraculorum magna deuotione celebratur. Porrò Hugonotæ ex Gasconia Belgium inuolantes Anno 1568. memoratum Cænobium exusserũt; dumq; eorum vesana rabie omnia effracta forent, hoc solum intactum supererat, quo huius gloriosi Antistitis corpus asseruabatur: vndè in media luce obcæcati, aorasia videntur diuinitùs percussi.

[t] Andagium.
Translatio reliquiarum ei[o] Andainũ in Arduennam.
Ibidem miraculis claret.
Insigne miraculum.

VITA S. VVENEFRIDAE VIRGINIS & Martyris: Ex ea quæ est per Ropertũ Abbatẽ Salopiensem. Claruit circà annum Domini 660.

Vide Not. C. Baron. in ad Martyr. Rom. & Ioan. Molan. in Addit. Mart. Vsuardi.

BEVNOVS vir multis virtutib. in Occidẽtali maioris Britannię regione clarus, cõtempto paterno solio pauper aufugit, factusq; monach[o] eò perfectionis breui euasit, vt multa diuersis in locis cõderet monasteria, fratresq; cælesti disciplina præclarè informaret. Diuinitus verò quadã nocte admonitus, vt alio migraret, destinatã sibi à Domino quęsituras habitationẽ, tandẽ ad prædiũ Teuithi hominis potẽtissimi peruenit: à quo benignè susceptus quandam possessionum eius insuper (vti ab eo petierat) accepit portionem, vt in ea Ecclesiam extrueret, & purum Deo pro eius salute famulatum exhiberet. Igitur cùm vir Dei spectata vitæ & morum integritate clarissimè eniteret, Teuithus vnicam filiam suã, VVenefridam nomine, optimis moribus imbuenduam ei commendauit: quam ille suscipiẽs ad pedes suos sedere, & sacras conciones, quas ad populum habebat, attenta mente au-

3. Nouem.

Instituitur à Beunoo presbytero.

dire iussit. Vndè factum est, vt virgo indies in studio sapientiæ mirificè proficiens, se ab omni viri toro prorsus seiungeret: quò liberius dulcedine cælestis disciplinæ iam inescata, Christo vacaret.

Accidit autem quodam Dominico die, vt parentibus eius, qui filiæ suæ puritate & sanctimonia magnoperè delectabantur, in Ecclesia pietatis studio incumbentibus, illa domi necessariò sola resideret. Quod cùm Cadocum Alani Regis filium minimè lateret, eò protinus aduolauit, eamque ad focum solam sedentem inueniens, ita compellauit: Scis me esse Regis filium, multis opibus & honoribus conspicuum; qui te, si modò voluntati meæ parere velis, magis opibus augere possum. Sentiens autem virgo suę pudicitiæ insidias strui, demisso paululum vultu, & rubore suffusa, primò quidem grauem præ se tulit dolorem, quòd adeò incultam ipsam inuenisset, aitque ad eum: Cùm sis regio ortus stemmate, & Deo volente, regni gubernacula susceptur us, non dubito me diuitem & beatam posse fieri, si tuo coniugio assentiar. Sed quæso te sustine parumper aduentum parentis mei. Interim ego cubiculum ingrediar; moxque ad te reuertar. Dixit hoc, vt posset ab illo se subducere; quem flamma libidinis incensum, haud parum ab amentia distare videbat. Itaque cubiculum iuuenis permissu (quòd eam benè comptam ilicò rediturum putaret) ingressa, per aliud cubiculi ostium præpeti cursu ad ecclesiam contendit. Quo vbi sensit iuuenis, magno furoris æstro percitus, districto ense eā celeriter insequitur, tortuisque

Cadocus Regis filius eā ad concubitum prouocat.

uisque luminibus intuens, Olim, inquit, te amaui, mihique te coniungere volui, & tu nunc ad te venientem fugis, & habes contemptui? Per ego hanc dexteram iuro, nisi mihi sponte tui modò copiam feceris, confestim hoc mucrone caput tibi auferam. Ad ea cõstanti & infracto animo virgo respondit; Ego Regi æterno matrimonio iuncta, in eius contumeliam alium admittere non possum: Quare quidquid erit libitum exequere. Me enim neque terrores tui; neque blanditiæ; nec promissa; nec munera; ab illius amore suauissimo poterũt separare: cuius castis amplexibus astricta sum. Tũc verò incestus iuuenis, cernens se à virgine cõtemni, libidinis impotentia victus, caput ei cruenta manu præcidit. Simul autem atq; corpus virginis humi collapsum est, fons illic mirè perspicuus & ingens confestim erupit; qui hodieque manare nõ desinens multis morbidis admodum salutaris existit.

Egregia virginis pro tuenda pudicitia, constantia.

Caput ei amputatur à Regis filio.

De hoc perenni fonte, & miraculis illic fieri solitis, Baron. maiora his à fidelissimo teste oculato Reuerendiss. D. Thoma Episcopo Asaphensi Romani Pontificis Suffraganeo accepisse testatur. In Not. hoc die.

Diuina vltione repentè perit Cadocus.

Perpetrato tam immani facinore, cũ cruentus homicida, vt potè Regis filius, nullã timeret vindictam; Beunon⁹ animi eius superbiam non ferens, accepto in manibus capite, ad eum accessit, aitque: ò te scelestũ, qui regiæ dignitatis puellam crudeliter iugulâsti; cur te tãti flagitij non pœnitet? Quandò ergò nec ecclesiæ pepercisti, quã fuso eo virginis sanguine profanasti, nec diei Dominico reuerentiam exhibuisti, oro Deum meum, vt in præsentia tibi pro meritis reddat. His dictis iuuenis repentè corruens expirauit, corpusque eius colliquescens disparuit; multis asserentibus, illud in tartara cum anima descendisse.

Porrò vir Dei caput virginis crebrò deosculãs, à lachrymis sibi tẽperare nõ poterat. Deindè corpori illud apponens suoq; pallio contegẽs, ad altare Missã celebraturus accessit. Eafinita, redit ad corpus virginis, & cõcione luculenter ad populũ habita, sanctã virginẽ votũ Deo nuncupasse annunciat: quod vt reddere possit, prolixis admodũ precibus cũ vniuersa plebe pro eius resuscitatione incubuit. Quibus tandẽ expletis, puella, quasi è graui somno euigilans, puluerem & sudorẽ à facie detergit, omnesq; illic adstantes gaudio & admiratione afficit. Mansit autem in collo eius quoad vixit, tanquã candidi fili species, locũ sectionis obtegẽs: aiuntq; viri regionis illius, indè eã VVenefridam dictam; cùm anteà, vt ipsi affirmant, Breuna appellaretur. VVen enim Britannica lingua, idem est, quod Latinè candidum: Porrò Euphoniæ causa, prioris vocabuli duabus literis mutatis, dictam VVenefridam.

VVenefrida à morte suscitatur.

Locus autem ille vbi sanguis eius fusus est, nõ longè à monasterio Basinguuercko in Nouallia, anteà quidè Sicauallis dictus est: post eius verò obitum vsque in præsens, Fons VVenefridæ appellatur. Lapides quoque tam in fontis scaturigine quam in riuo illius, seu vtriusque margine, sacro eius adspersi cruore, & sanguinis eius tãquam congelati manifesta retinent vestigia; & neque temporis diuturnitate, neque aquæ præterfluentis alluuione aboleri queunt. Muscus autem lapidibus illis inhærens, thus redolet. Homines regionis illius, qui Euangelicæ veritatis lumen nondum receperant, virginem rediuiuam, fontem aquas manan-

Fons VVenefridæ.

En mira quædam.

Multi visis mirabilibus credunt in Christum.

manantem, & petras sanguine adspersas videntes, ad pedes beati Beunoi se abiecerunt, & sacro latice expiati sunt. Tandem autē sanctissima virgo accepto ab eodem viro Dei sacro velamine nobilium virgines cōgregauit, easque castissimis moribus diligenter imbuit, & sanctioris disciplinæ amore incensas, Christi seruitio mancipauit. Defuncto autem beato Beunoo, VVenefrida diuinitus admonita, ad locū, quem VVitheriacum vocant, accessit; vbi ab Abbate Elerio, multis virtutibus ornato, & cælestibus rebus tota mente intento, reuerenter excepta, & in virginum monasterium introducta fuit: quarum deinceps curam habuit. Ibi sanè quisquis ad illam æger accessisset, incolumis ab ea recessit: mœrentes omnes animi lætitiam reportârunt. Tandem nocte quadam oranti Iesus Christus apparuit, indicauitque propediem ipsam è corpore decessuram. Itaque quarto Nonas Nouemb. plena virtutibus & operibus bonis, spiritum Deo reddidit: sepultaque est iuxta sanctum Chebeum & Senanum: vbi, inter alia miracula, fabri cuiusdam filia ab ipso ortu cæca, lumen recepisse memoratur. Ceterùm anno Christi 1138. sacræ eius reliquiæ Solopiam in monachorum monasterium translatæ sunt.

Instituit monasterium S. VVenefrida.

S. VVenefrida præficitur virginibus, & claret miraculis.

Feliciter migrat ad Dominum.

Tumulus eius miraculis celebris.

Translatio reliquiarum eius.

MARTYRIVM SS. AGRICOLAE ET Vitalis: Ex D. Ambrosii Adhortatione ad Virgines. a Passi sunt Anno Christi 303. Marcel. Pap. 7. Dioclet. & Max. Imp. 20.

a Teste C. Baron. Tom. 2. Annal. Vide & Notat. ad Martyr. Roman.

4. Nouēb. *Vitalis seruus Agricolæ, omne genus tormentorum expertus moritur.*

AGRICOLA, cui Vitalis ante seruus, posteà consors & collega martyrij fuit, apud Bononiā Italiæ vrbem pro Christi nomine egregiè decertârunt. Vitalis enim cum à persequutoribus, vt Christum negaret, vehementiùs vrgeretur, ille in confessione fortior factus, omnia tormentorum genera ità in corpore suo expertus est, vt ne minimus quidem locus sanitati relictus esset. Totus itaque vulneribus concisus; fusa ad Christū oratione emisit spiritum.

Quanta S. Agricolæ morum integritas.

Sanctum verò Agricolā, quòd moribus mitissimus esset, non continuò ad cruciatus abripuerunt; sed serui supplicio terrere voluerūt: erat enim tantis tamque preclaris ornatus virtutibus, vt ab ipsis etiam inimicis diligeretur. Sed hæc persequutorum honorificentia, omni erat immanitate acerbior; vtpotè quæ martyrium inuidebat. Deniq; cum vir sanctus fraudulentis eorum blanditijs non acquiesceret, sed serui sui constantia & virtute animatus eādem martyrij gloriam sitiret: in crucem sublatus glorioso triumpho è corpore ad cælos migrauit. Horum reliquias multo post tempore Namatius Aruernorum Episcopus in Gallias transtulit.

S. Agricola crucifigitur.

Translatio reliquiarum eorundem.

Vide Not. C. Baron in Martyr. Rom.

VITA S. EMERICI B. STEPHANI Hungarorum Regis filij: Ex ea quam V. P. Laurent. Sur. descripsit. Obijt Anno Domini 1032. Consentit Bonfinius de rebus Hungaricis, Dec. 2. Lib. 2. Relatus est inter sanctos vna cum S. Stephano Rege eius Patre, à Benedicto Papa octauo, qui dictus est nonus.

Beatus

BEATVS Emericus nobilissima prosapia, Stephano Hungarorum Rege & apostolo: & *Gysela S. Henrici Imperatoris sorore ortus est. Qui parentibus sanctitatis studio nequaquàm inferior, somni parcissimus, alijs dormientibus, à secunda ferè noctis vigilia, ad lucem vsque Dauidicos psalmos lectitare solebat: ad finem cuiusque psalmi corde contrito à Deo veniam postulans. Quod sanctus eius parens per rimam parietis sæpiùs cõtemplatus, apud se tacitum habuit: magna interim de filio spe concepta.

4. Nouem. *Patria & parẽtes eius.* * *Gysla.*

Qualis in pueritia.

Cùm autem aliquandò sanctus Rex beati Martini monasterium in monte Pannoniæ ingenti sumptu à se fundatum orandi causa vellet inuisere, Emericum filium suum eius itineris comitem sibi adhibuit; non ignorans, quanta Dei gratia puer ille polleret. Vbi autem ad monasterium propius accessit, monachi honoris causa obuiam processêre, vt Regem, qua parerat, reuerentia exciperent. Sed Rex sciẽs præclara filij sui merita, eum antecedere iussit, fratresque illos salutare; tum vt ea ratione illos honestaret, tum vt filio honor, ipsi paratus, impenderetur. Veniens igitur ad fratres Emericus, osculatur singulos; nõ tamen, eodem modo omnes, sed pro ratione meritorum quæ reuelante Dei spiritu, cognouerat; alijs duo, alijs tria, plerisque quatuor vel quinque, vni Mauro septem oscula dedit. Quod cum cerneret pater eius, etsi filium nihil ea in re temerè fecisse existimaret, non potuit tamen non ob rei nouitatem non admirari. Itaque peracto sacrificio, familiariter & accuratè ex eo percuncta-

Huius S. Stephani Regis vita habetur 20. August.

tur, cur non ijsdem omnes patres osculis impertijsset. Respondet ille, se, pro ratione temporis, quo singuli continenter vixissent, alijs plura, alijs pauciora oscula destribuisse. Eum autem quem septies osculatus esset, virginem permansisse ait: atque ex eo septenario numero virginitatis præstantiam intelligi debere.

Bonfinius nõ de vno: sed de pluribus hoc eum dixisse scribit.

Procedente dein ætate cum virtutum & meritorum simul incrementa caperet, nocte quadam, Vesprinij, in basilica beati Gregorij martyris vetustissima, cũ vnico famulo ante aram precibus incumbens, apud se disquirere cœpit, quodnam posset Deo munus offerre gratissimum. Et eccè tota ecclesia immenso repentè lumine completa vox cælitùs eiusmodi auditur: Præclara res est virginitas. Itaque mentis & corporis integritatem Deo offerto, & constanti animi proposito in ea perseuerato: Hac voce mirificè exhilaratus nõ suis, sed Dei præsidens viribus; virgineam statuit puritatem extremum adusque vitæ spiritum conseruare. Pater autem eius regno consulere volens, virginẽ & forma corporis, & morum integritate spectatissimã, stirpe regia ortam, ei despondit. Id etsi illi principio multũ recusaret, tandem tamen paternis victus precibus, assensit quidẽ, sed ità tamen, vt sponsam ad eãdem vitæ castimoniam perduceret. Malebat enim pius adolescens virtutum illam, quàm liberorum fœcunditate pollere. Intereà ne corpus lasciuiret, & spiritui forsitan rebellionem excitaret, assiduis illud ieiunijs alijsque afflictionibus domabat: sponsamque non alio, quàm soro-

Eu quid cælitùs illi mãdetur.

Seruat virginitatem cũ desponsata sibi virgine.

ris loco habens, in ipso iuuentutis flore ad beatam immortalitatem fœliciter migrauit. Triceſimo autem ab obitu eius die, tot tantiſque miraculis DEVS ſanctum ſuum illuſtrauit, vt cunctis in vrbe regia, quam Albam regalem vocant, vbi ſacrum eius corpus tumulatum eſt, non mœroris ille, ſed gaudij dies videretur.

Migrat ad Dominum, & miraculis coruſcat.

Porrò Ladiſlao religioſo Rege poſteà regnãte, Conradus quidam natione Germanus, homo multis flagitijs contaminatus, ac tandem magno Dei munere cõpunctus Romam adijt, & Pontifici peccata ſua cum ingenti cordis cõtritione confeſſus, ſalutarem ab eo animæ ſuæ petijt medicinam. Pontifex ad immanitatem criminũ eius obſtupeſcens, hac eum mulctauit pœna, vt loricam ferream ad nudum corpus quinis catenis ferreis obſtringeret, & chartam in qua enormia eius peccata ſcripta erant, Põtificis annulo obſignatam, ad loca, in quibus ſancti quieſcerent, ſecum circumferret; donec catenis diuinitùs diſſolutis, chartam penitùs obliteratam cerneret. Fecit homo, vt iuſſus erat (nihil enim arduum videtur ex animo ſua peccata lugenti, & cum Deo in gratiam redire cupienti) inuiſit loca ſacra, etiam Hieroſolymm & Saluatoris ſepulchrum non intermiſit. Tandem veniens in Pannoniam, ad ſepulchrũ beati Regis Stephani, cuius tum ibidẽ celebre nomen erat, fundit preces, petitq;, vt & alibi, à Deo p intercesſionẽ ſancti ſui, facinorũ ſuorũ veniam. Cùm aũt multum delaſſato inter orãdum ſomnus obrepſiſſet, ſanctus Rex illi apparens, Emerici filij ſui monumentũ adire iubet:

Nota admirandam pœnitentiam.

eius

eius vtique meritis à peccatorum & corporis vinculis diuinitùs absoluēdum. Euigilans homo, ilico dictis eius obaudiens, iussa protinus adimplet: & eccè opinione celerius dissilunt ferrei nexus, charta resignata nullum habet scripturæ vestigium. Ad sonitum cadentium catenarum accurrunt æditui, & complures alij: qui cognita re stupentes cuncta ad Regem referunt Ladislaum. Is conuocato concilio, de beato Emerico sanctorum catalogo adscribēdo, cum episcopis & regni proceribus cōfert. Indicitur triduanum cunctis ieiunium, quo transacto, sacrum Emerici corpus honorificè eleuatur: multaque diuinitùs miracula eodem eleuationis die atque deinceps edita sunt.

Præclarum miraculum ad tumulum eius.

Eleuatur sacrum eius corpus.

VITA S. AMANTII EPISCOPI RVthenensis in Gallijs: Ex ea quæ est apud V. P. Laur. Surium. Sacrum eius corpus translatum est à S. a Quinctiano eiusdem successore qui floruit anno Christi 507. & reliquis.

Vide Notat. C. Baron. in Martyr. Rom.

a *De eod. Tom. 6. Annal.*

4. Nouēb. *Patria eius.*

SANCTVS Amantius Rutena vrbe oriundus, in primæuo ætatis flore, abruptis seculi laqueis, militiam Christi suscipiens, vitia quibus pulsatur humana fragilitas viriliter calcauit. Sed enim beato feruens proposito, & eximiorum meritorum splendore conspicuus, Sacerdotij culmen & sublimis cathedræ sedem emeruit: gessitque mentem fastigio honoris sui parem. vndè & à Domino miraculorum insignium operatione protinus redditur spectabilis.

Fit Episcopus.

Et quidem primò, cum in prædicta vrbe Pre-

ses

ses quendam nefarij facinoris reum pœna patibuli damnasset, beatus Antistes peccatoris miserius, eius à Præside vitam petit; non impetrat: etiam iteratis precibus. Spiritalia igitur arripit arma sacer Præsul; ad cellam properat; terræ prostratus suspiria geminat; petit à Domino quod Præses negarat. Cum eccè protinùs Præsidem diuina vindicta prosequitur; miris siquidem modis toto corpore affligitur: syncope repente percussus. Ad cellulam beatissimi viri concurrit familia: Antistitem euocat, supplex vt sanet Herum. Quid multis? Exaudit illos pius Pastor; reddit Præsidi salutem: ac recipit ab eo damnatum.

Coruscat eximijs miraculis.

Primum.

Præses inobediens viro sancto diuinitus punitur.

Non longo pòst tempore, cum haud procul ab vrbe carperet iter vir sanctus, cernit ingentē gentilium multitudinem ad immolādum dæmonijs conuenisse, propè eminens quoddam simulachrum. Igitur eorum deplorans cæcitatem, pio hortamine reuocare pertentat à sacrilega impietate; verùm frustrà: adeò namque furoris stimulis in iniuriam viri sancti seditiosum vulgus exarsit: vt vix à verberibus temperarēt manus. Quid faceret beatus Pontifex; ad solida cōfugit præsidia. Triplicat vota precesque; donec densis obductum nubibus cælū, terribili sonitu fulmen emittit, execrandum simulachrum feriēs, diuidens, dispergensque. Aliud simile quoque in foro vir sanctus pio zelo accensus deiecit atque confregit. Vndè exacerbata sacrilegæ plebis multitudo, in vltionem numinis sui consurgit, ac lymphatico furore succensa beato Pontifici minatur exitium. Misso itaque nuntio in Ruthenem, aduocant

Alterum.

Fulmine dissipatur dæmonis simulachrum.

Simile confringitur à S. Amantio.

cant quendam eo tempore natalium splendore, opibus ac authoritate cæteris præstantiorē is contractis ilicò seruorum auxilijs eò celeriter contendit, dira & extrema S. Amantio minitās. Iamq; aderat, cum vir sanctus paulo antè in medio portæ orationem terræ prostratus fuderat: & eccè eodem in loco miro stupore hæsêre bijuges, & vt insensibilia riguere signa. Tum vir ille insignis miraculi nouitate perculsus, virum Dei per vnū ex suis rogat, dignetur benignus ligata soluere. Haud mora: sacerdos aduenit; carpēto deuoluitur persecutor; adhæret sancti pedibus; peccatum fatetur: petit remedium. Vix verba compresserat, & animalia, quæ vt duræ cautes riguerant, cælitùs recepta mobilitate, præceptis obediunt.

Aliud.

Fur quidam hortulū sancti viri nocte cōcubia irrepit: oleribusq; direptis abire festinat; sed diuinitùs retinetur: nullo remeanti patente exitu. Igitur terris luce reddita, beatus senex vnum è fratribus vocat, mittensq; in hortulum mandat, vt quem illic errabundum reperisset, ad se adduceret. Adductus ilicò criminosus, furtum in medio proijcit, pedes complectitur sacerdotis. Is pietate plenus indulget crimen; donatque furtum: benignaque adhibita correptione, hominem in pace dimisit.

Simile de fure.

Ceterùm dum his alijsq; virtutum fulget miraculis, beatum gloriosæ cōsummationis tempus aduenit. Sed cum fracta iam æuo membra deficerent, afflictū emortuumq; corpus onus abstinentiæ roborabat; & quod natura negauerat, meritum conferebat. Fuitque tantus

fidei

fidei in eo feruor, vt insatiabili ardore, quo plus corpori districtionis intulisset, inferre plus cuperet: & ita erant augmenta meritorum eius, incitamenta profectuũ. Amor quippè Dei reficere animum potest, satiare desiderium non potest: sed magis magisque cum hauritur inflammat. Iucunditate enim, sui excitat appetitum, sed non facit de satietate fastidium. Igitur beatissimus Amantius rebus tandem humanis exemptus, fælici transitu de hoc mundo migrauit in regnum cælorum. Illic nunc interest choris Angelorum: hic fulget claritate meritorum. Illic interpellat pro famulis voce supplici: hic tuetur famulos virtute sublimi. Illic petit: hic præstat. Illic vota fundit: hic votis respondet. Porrò beatus [a] Quintianus successor eius egregius, sacras eius reliquias transtulit in Basilicam auctio remredditam: in eius honorem prius excitatam.

Admirabilis senis feruor.

Sentẽtia memorabilis.

Felicissimus eius obitus.

Sancti intercedunt pro nobis in cælis.

Translatio reliquiarum eius.

a Eius vitam reperiet lector 13 Nouemb.

*MARTYRIVM SS. * GALATIONIS & Epistimes: Ex ea quæ est per Metaphrasten. Passi sunt anno Christi ducentesimo quinquagesimo tertio. Sede vacante: Decij Imperatoris anno primo.*

**al. Galationis & Epistemis.*

Vide Tom. 2 Annal. C. Baron. 5. Nouẽb.

EMESA nobilis inprimis Phęniciæ est ciuitas. In ea Clitophon genere insignis & diuitijs nulli ciuium secundus, cum coniuge sua Leucippe splẽdide quidem & gloriose degebat; sed vna in re omnium miserrimus, quòd vxore sterili nullam omninò posteritatis spem sibi relictam videret. Qua de causa multis

Parentes S. Galationis.

multis frequenter opprobrijs coniugem appetebat: quæ magni animi ægritudine contabescens, nihil non moliebatur, vt sterilitatis soluta vinculis, pulchram marito prolem exhiberet.

Persequuntur Christiani.

Cùm verò eadem tempestate, Secundus, ciuitatis Emesæ gubernator animo planè barbaro, tyrannica ferocitate Christianam pietatem radicitùs excindere conaretur, pij ferè omnes imminentis periculi magnitudine perculsi, fuga sibi salutem comparabant. Vnus verò, nomine Honofrius, habitu ac professione monachus, in tali tempore ac tempestate periclitantes imbecilliorum animas deserere, nequaquam viri pij, & in religionis studijs enutriti esse statuens, mutato habitu callidè impietatem eludere, & imbecilliores Christianorum animos in fide confirmare aggressus est. Itaque mendicitatem simulans domesticatim stipem postulabat, vt alios veris thesauris locupletaret.

Honofrius insignis monachus cõtra gentiles egregiè decertat.

Simulat mẽdicitatem vt lucretur animas hominum.

Cùm ergò ad Clitophontis aliquandò ædes veniret, manusque pro eleemosyna extenderet, accidit vt Leucippe mœroris & tristitiæ plena Honofrio fores occluderet, & quadam cum indignatione à se repelleret. Illo autem lachrymabili voce instante, & necessitatem suam multis verbis exaggerante, mulier misericordia mota, suam vicissim calamitatem ei exposuit; adiecitque quòd nullus deorum in illum vsque diem inuentus esset, qui sterilitatis opprobrium sanare posset. Cui Honofrius: Nihil, inquit, mirum, ô matronarum præstantissima; quòd hactenùs remedium ab ijs conse-

qui

quinon potuisti, qui in vita dedecore & probro pleni, nefanda semper opera exercuerunt. Sed si nunc dictis meis obaudiés, Omnipotentem & verum Deum velis agnoscere, & ab eo opem postulare, equidem spōdeo te voti mox compotem futuram.

Leucippe attenta mentis cōsideratione eam orationem excipiens, spe concipiendæ prolis, catechesi se imbuendam tradidit: qua imbuta, salutari regenerationis lauacro expiata est. Nec multò pòst soluta sterilitatis vincula, certam prolis spem fecêre: ita vt maritus grauidam eam cognosens, ad libanda dijs suis sacrificia pro gratiarum actione properare vellet. Quem mox pia coniunx ab opere nefario reuocans; Vide, inquit, nè feceris; non enim dæmonum, quemadmodùm tu existimas, sed Dei cæli terræque conditoris beneficio in vtero concepi. Exposuit deindè totam conuersionis suæ seriem; hortataque est maritum ne eādem Christi gratiam ad æternæ vitæ salutem necessariam negligeret. Paruit rectè monenti Galation, lustratusque similiter ab Honofrio, haud pœnitendos in Christiana religione fructus fecit.

Leucippe conuertitur ab Honofrio.

Item Galation maritus eius.

Post hæc Leucippe filium enixa est; qui à patris nomine, nomen sortitus, breui ætatem ingenio superabat. Erat ei præclara admodum & præstans indoles; qua ipsos etiam magistros suos, quibus instituendus erat traditus, à tergo relinquebat. Cùm autem annum quartum & vicesimum attigisset, pater, matre iam tunc defuncta, Epistemē insigni pulchritudine & morum honestate virginem ei despondit; quam

Nascitur Galation filius.

Epistemes eius coniunx pagana.

ille vitæ quidem sociam admisit, sed corporis coniunctionem semper exhorruit. Quod cùm illa ægro admodùm animo ferret, die quodam illa odij causam sola cum solo residens quæsiuit. Cui Galation id quod res erat exposuit; impium sibi & nefandum videri asserens, mundi cum immunda, coniungi. Itaque si vellet optato matrimonij fructu potiri, ilicò animum ab idolorum cultu ad sanctissima Christi sacra adiungeret; vnaq; secum eandem religionem piè ac sincerè coleret.

Epistemes conuertitur & baptizatur à marito.

Nihil recusauit Epistemes, quin ilicò se totam sanandam præbuit, animamque salutaribus lymphis ipsi suo marito (nam copia sacerdotis deerat) lustrandam commisit. His ita peractis, vterque flamma diuini amoris vehementiùs correptus, carnali copula repudiata, eremum cogitabat: prorsus vt paucis pòst diebus res suas omnes pauperibus distribuerent, & vitam solitariam in monte Publio, haud procul à Sina eligerent. Et Galation quidem monachorum contubernio iunctus fuit: Epistemes verò quatuor virginibus sanctitate conspicuis se sociauit.

Distribuunt sua pauperibus & eremum petunt.

Decius eos comprehendit & acriter excruciat.

Triennio autem à suscepto illo nouæ vitæ instituto, Imperator (is erat Decius) ingenti persecutionis tẽpestate ecclesiam concussit; & inter alios Galationem & Epistemen vinctos suo tribunali sisti iussit. Ij igitur in præsidis cõspectum pariter adducti, primò quidem flagellis acriter cæsi sunt: Deindè cùm in Christi confessione constantes permanerent, ipsumq; tyrannum contemptui haberent, alijs atque alijs affecti supplicijs, tandem manibus pedibusque

bu'que truncati, ipsa etiam lingua, ne Christi nomen laudibus extolleret, priuati sunt. Postremò cum nihil ab insita animi virtute & constantia remitterent; capite plexi V. Nouemb. martyrij palmam adepti sunt.

Plectuntur capite.

VITA S. LEONARDI CONFESSORIS: Ex ea quæ est apud V. P. Laur. Sur. Migrauit è corpore anno Domini 559.

Vide C. Baron Notat. in Martyrol. Roman.

BEATVS Leonardus sub Athanasio Imperatore, claris & magnę apud Regē Clodoueum dignitatis & auctoritatis natus parentibus, à beato Remigio Rhemorum Episcopo, susceptore Clodoueo, baptismate lustratus est. Qui in ipso adolescentiæ robore, terrena Regis militia cumprimis honorata, amore cælestium spreta, ad spiritalis militiæ castra, sub B. Remigio stipendia facturus confugit. Vbi inprimis illud à beato patre tenaci mēte est complexus, vt statueret misericordiæ operibus nihil in hac vita pulchrius, nihil suauius, nihil Deo hominibusq; gratius esse. Itaq; ad præceptoris sui exemplum, à Rege obnixè petijt, obtinuitque, vt quotiescunq; in vincula coniectos inuiseret, eos libertate donare posset: Igitur eo fretus benefico quotidiè ergastula sedulus obire, & innumerabilem hominum multitudinem in libertatem asserere. Quo tam præclaro facto, & alijs benignitatis, quæ indefessè exercebat, operibus, cum fama eius miro omnium præconio celebraretur, tùm ipse Rex pontificia eum dignitate ornare voluit: quod ille munus modestè recusauit,

6 Nouēb.

Genus eius clarissimum.

S. Remigii vita habetur 1. Octob.

Totum se tradit operibus misericordiæ: specialiter liberandis captiuis

Recusat Episcopatum.

& Aureliam, per viam interim diuini verbi ſpergens ſemina, contendit.

Aurelia abit in Aquitaniam.

Ibi cùm aliquamdiu apud quendam venerabilis vitæ monachum Maximinum nomine ſoli Chriſto cognitus delitesceret, cæleſti monitus oraculo, indè in Aquitaniam commigrauit. Erat tunc ijs in locis recens adhuc Chriſtiana religio; ita vt nefariæ ſuperſtitionis reliquiæ in multorum pectoribus relictæ viderentur. Eas igitur vir Dei vt profligaret, dictis factisque Chriſtum annuncians, fructus minimè pœnitendos faciebat. Fugabat dæmones, ſurdos, claudos, cæcos & morbidos quoſcunque ad ipſum veniẽtes verbo curabat. Interim verò cupitum proſequens iter, tandem in ſyluam, quam Pauum vocant, peruenit. Aberat is locus ab vrbe Lemouicum decem ferè milliaribus. Cùm autem Leonardus per eam ſiluam iter haberet, accidit vt regia familia haud procul indè abeſſet. Ferunt namque Galliarũ Regem ſingulis annis eam ſiluam, comitante Regina animi cauſa viſitare ſolitum. Porrò Regina eodem illo tempore ex partu cum mortis doloribus conflictabatur, tanto omnium mœrore, vt lamentãtium voces prætereuntis Leonardi aures percellerent. Itaque vir Dei animi commiſeratione permotus, ab itinere nonnihil deflectens, eò ſe contulit, vt quid ſibi lugubres illæ voces atque clamores vellent, cognoſceret.

Claret miraculis.

Pauum Sylua.

Quem ſimulac conſpicati ſunt aulici, eum ad Regem perduxerunt. Morum enim candor & vitæ integritas, quæ ex vultu eius clariſſimè relucebant, ſpem faciebant, Reginam eius benefi-

neficio aliquid opis, cõtra difficiles partus dolores, accepturam. Rex eo conspecto data acceptaque salutatione, vbi eum beati Remigij discipulũ cognouit, mox ad eius se genua submittens, præ ingenti animi dolore, vt Reginæ opuletur, rogare cæpit. Tum vir sanctus, fusis lachrymis, Regem eleuat, & vnà cum illo ac paucis satellitibus, Reginæ intrans cubiculũ, sublatis ad cælum oculis Dominum pro illa deprecatur. Deindè exeunte illo cum Rege, confestim Regina absq; vllo ferè doloris sensu prolem peperit.

Nota reuerentiam à rege, viro sancto præstitam.

Sanatur Regina Leonardi precibus.

Eo tam repentino gauisus beneficio Rex aureos iubet proferri scyphos, pateras argẽteas, aliaque dona huius mundi amatoribus minimè contemnenda; quæ omnia Leonardus pauperibus, viduis, pupillis, & rerum inopia laborantibus distribui iussit: asserens se, contemptis mundi diuitijs, soli Christo in eremo seruire velle. Tum Rex prompto & hilari animo totum hoc nemus illi possidendum tradidit. Quod ille recusans: Si placet, inquit, Serenissime Rex, tantum ex eo assumam, quãtum nocte vna asello vectus circuire possum. Annuit libentissimè Rex, iussitque omne illud spatium lapideis terminis definiri. Eo itaque in loco (quem ille Nobiliacũ appellari voluit, quod à Rege nobilissimo eum dono accepisset) sedẽ figens vir diuinus; oratorium Virgini Matri sacrum cõdidit, precibus & ieiunijs incubuit, & admirandis virtutum operibus locum illum excoluit. Et vt diuina mysteria perpetuũ ibi vigerent, duos monachos vita & moribus spectatissimos sibi adiunxit: qui, eo absente,

En Regis gratum animum.

Accipit partem nemoris à Rege & construit.

Nobiliacum monasteriũ.

diuinum cultum prosequebantur. Cùm autem locus ille aquæ penuria laboraret, Leonardus semel iterumque à monachis rogatus, vt iuxta Ecclesiã aquas ipsis impetraret, fudit ad Deum preces; moxque perennes aquæ eruperunt.

Precibus impetrat aquam perennem.

Etsi autem hominum frequentiam studiosè fugeret, & nominis celebritatem velis, quod aiunt, remisq; euitaret, miracula tamen, quib. Christus eum illustrabat, latere non patiebantur. Ferunt namq; plurimos ex longinquis ad eum venisse regionibus: qui, solo illus nomine inuocato, è vinculis & carceribus liberi euaserant. Ij compedes & catenas secum afferentes, ad eius se pedes humiliter abijciebant, seseq; non pauci in seruitutẽ ei tradere volebãt quos vir Dei apud se fouebat, vt eos salutarib. monitis assiduo informaret, & ab omni peccati facinore deterreret.

Siena excellentium meritorũ eius.

Cùm autem hæc eius viuendi ratio celebri sermone in Francia diuulgaretur, multi ex cognatis eius, pleriq; etiam familiares, distractis rebus & possessionibus suis, cum vxoribus & liberis ad eũ se contulerunt. Quos ille magno cum gaudio suscipiens, ad mundi cõtemptum hortatus est, ac cælestem tandem disciplinam egregiè edoctis, septem nemoris sui partes assignauit (tot enim erant familiæ) vt eas manuũ labore excolerent, ac tenuem victum sibi & aduentantib peregrinis necessarium quærirarent. Multi præterea cęlestis disciplinæ amantes ex varijs locis ad eum cõfluebant: quos ille parentis instar amplectens, in timore Domini educabat, fouebatque tanto virtutum splẽdore, vt

Multi ad eũ confluunt.

re, vt summis paradysi delicijs se interesse putarent. Denique cùm bonum certamen certasset, fidemque seruasset; multis virtutum gemmis ornatus, è præsenti sæculo 8. Idus Nouem. ad cælos emigrauit: etiam post obitum innumeris clarus miraculis.

Obitus eius fœlicissimus.

VITA S. VVINOCI ABBATIS: EX ea quæ est apud V. P. Laur. Surium. Obijt hic sanctus anno Domini 716. Vndè obserua hunc alium esse ab illo, de quo Gregorius Turonensis scribit. Lib. 5. cap. 21. & lib. 8. c. 24. Hic. n. de quo agimus, longè post tẽpora Gregorij claruit.

Vide Notat. C. Baron. in Martyr. Rom.

BEATVS VVinocus in Britanniæ finibus nobili inprimis prosapia ortus, nobilitatis titulũ, multis magnisque virtutib. egregiè decorauit. Qui inter ipsa ętatis primordia fluxas carnis & mundi voluptates cælestiũ rerũ studio cõpescuit, & animũ indies ad maiora pietatis opera informauit. Hinc ętate iam adulta, nè mollis & effœminata cognatorũ & affiniu consuetudo ac nimia familiaritas arduum virtutis propositũ infringeret, vel certè eneruaret, patria cognatisque relictis, cum tribus pari virtute ac animi magnitudine socijs, Quadanoco, videlicet, Ingenoco, atque Madoco, ad beatum Bertinum spectata vitæ integritate & doctrina virum abierunt: eiusque regimini, deuoto se obsequio subdiderũt. Vbi cùm breui culmen perfectionis, non sinè ipsius Bertini singulari admiratione, attigissent, fuit eis à beato patre locus quidam assignatus, vt in eo cellam sacris occupationibus con-

6. Nouem. Patria eius.

Qualis in primordijs suis.

Venit ad S. Bertinum, cuius vita habetur 5. Septemb.

congruentem extruerent; atq; ad maiora virtutum certamina cõtenderent. Locus ille in Morinorum situs territorio, vsque in præsentem diẽ Mons S. VVinoci vocatur: vbi illi viri Dei aliquamdiu degentes eximia vitæ sanctitate enituerunt.

Mons S. VVinoci.

Porrò eodem tempore Hermarus vir illustris & tam opibus quàm moribus præclarus, quoddam sui iuris prædium sancto VVinoco obtulit, vt in eo cæleste domiciliũ extrueret, cultumq; diuinum multiplicaret. Eò cõfestim à beato patre Bertino missus cũ socijs VVinocus, cõstruendis ædificijs strenuè incubuit, breuique, multorum operis adiutus, cuncta ædificia & xenodochia absoluit, locumque incolis honorabilẽ reddidit. Ibi sancti illi labore manuum suarum victitantes, diuina gratia instructi, aliorum salutem verbo & exemplo procurabant: & nõ quę sua, sed quæ Iesu Christi sunt quęrentes, leuandis aliorum incommodis, sarciendisque detrimentis incredibili alacritate incumbebant.

Voromholt vocitatum.

Construit monasteriũ.

Cæterùm tribus illis fœlici morte ad cælestem patriam à Deo euocatis, VVinocus à patre Bertino fratribus reliquis præfectus fuit: vir tantæ humilitatis & charitatis, vt omnium re vera minister & seruus, nihil sibi iucundius in omni vita accidere posse ostenderet, quàm hospitium, pauperum, & peregrinorum incommodis prospicere. Quidquid operis aliorum manus vel arduũ vel graue refugiebat impigrè ille & incunctãter arripiebat. Sæpius autem illud Apostoli animo reuoluens: Qui non laborat non manducet; itemque illud Pial-

Fit Abbas.

2. Thess. 3.

Psalmographi;Labores manuum tuarum quia manducabis,beatus es , & benè tibi erit: eisdem præceptis, non solum affectu , sed etiam effectu paruit;atque labore manuum tam suis, quam aliorum necessitatibus prospexit . Hinc molam sibi quādam apcauit (nimirum opus in quo solet iniuriæ locus esse)quam subindè manibus versando , subindè quoque orando , suis pauperumque vtilitatibus inseruire coegit: & mirum in modum cum vicissim operi succederet oratio, orationem diuina secuta est benedictio;qua illum celebrem reddidit . Deus enim fessi senis volens parcere labori, molam, quod dictu quoque mirum est,sua sponte fecit circumagi; consulens famuli sui & defessæ ætati & necessitati . Quod ille animaduertens, iam securus de labore suo, oculis manibusq; semper in cælum intentus , pro collatis sibi à Deo beneficijs cordis offert sacrificia.

Psalm.127. Manuum labore sibi suisque victum parat.

En præclarū miraculum.

Interim fratres qui de labore manuum eius iucundè reficiebantur, & alimentorum copiā, & in sene operis efficaciam admirabātur. Nec deerat incerta suspicio,senem diuinitus adiuuari;cui & ætas prolixior, & ad occasum procliuior esset.Illis ergo admirantibus hinc copiam panis,indè imbecilla membra senis, vnus eorum curiositatem temeritate armauit, omnemque rei ordinem oculata fide explorare tentauit. Accedens igitur ad domum illam, vbi vir Dei,& labori manuum & orationi incumbebat , oculis ad foramen curiosè admotis,vidit molam orante viro Dei , diuinitus moueri, atque farinæ copiam euomere . Sed ad eius intuitum solito cursu refrenato, mola

Curiositas fratris cuiusdam diuinitus punitur.

immobilis mansit: moxque hominis temeritatem vltio diuina secuta est: quæ illum & humi prostrauit, & iusta cæcitate damnauit. Ille ergò frater tam visu, quam gressu orbatus, aliorum manibus reductus est; & altero die ad virum Dei perductus pedibus eius aduoluitur, se temerarium, se reum nõ sine lachrymis clamitans. Nec res potuit reuocari in dubium; quam & cæcitas & pauor hominis demonstrarent. At Christi seruus condolens reo consignat eius oculos, & orationis suæ antidoto cæcato visum reparat.

Cæco visum restituit. Iohan. 1.

Eximiæ virtutes eius.

Erat ille planè, verè Israelita & doli expers; Fidelis in domo Dei oeconomus, plus amari studebat quam timeri: & ministrare potius quam aliorum ministerijs foueri. Nec regiæ nobilitatis occasione, qua præclarè pollebat, cuiquam seruilis conditionis ad cõuersionem veniente se anteponebat: Animo & vultu hilaris; fide robustus; spe longanimis; charitate diffusus: à dexteris & sinistris armis iustitiæ munitus, nec prosperis efferebatur, nec aduersis deijciebatur. His & id genus alijs virtutibus armatus, principem huius mundi subegit; & gloriosis trophæis inclytus, octauo Idus Nouembris aulam cælestem intrauit: eximijs & post emigrationem clarus miraculis. Sacrum corpus eius fuit à Balduino cognomine Calno, Flandriæ Comite, anno 900. Tertio Calendas Ianuarij translatum Bergas; oppidũ in Flandria, sub Episcopo Iprensi.

Feliciter migrat. Translatio reliquiarum eius.

MAR-

MARTYRIVM SS. HIERONIS ET Sociorum eius; qui Melitinæ decertârunt: Ex eo quod est apud Metaphrasten. Passi videntur circà annum Domini 285. quo tempore Lysiã, Prouinciã circuisse patet Tom 2. Annal. C. Bar.

Vide & Nor. C. Baron in Martyr. Rom.

PRAECLARVS Hieron è secunda Cappadocum prouincia vrbe Tyana oriũdus, matrẽ habuit eximia pietate fœminam, Stratonicem nomine. Is cùm esset admirando corporis robore præditus, & Lysias ab a Imperatoribus in Cappadociam ad puniendũ Christianos & conscribendum militem missus, multa de Hieronis fortitudine, & animi magnitudine audiret, nullum non mouit lapidem, vt eum, Christiana tunc pietate imbutum, ad sua signa alliceret. Itaque missa protinus, à Lysia militum manu inuenerunt hominem in agro rusticano habitu, prædiolum suum colentem. Ille verò conspecta militum frequentia, eum rem suspectam haberet, nolletque impijs & sceleratis hominibus in fœdere militiæ sociari, arrepta securi excussoque manubrio, eodem illos aggrediens, omnes secedere iussit; verum recusantes, vehementi in eos impetu facto percutiens à dextris & à sinistris tandem in effusam fugam conuertit. Indè verò cum secundo inuaderetur multitudine oppressus cum decem & octo socijs speluncam quandam subijt: quæ fuit ilicò à Præsidis militibus, ne fuga elaberetur, vndique circũdata. Nemo tamen aduersariorũ speluncã intrare præsumpsit, sed cõsilio inter se cõtendẽtes, de victoriæ ratione disceptabant,

7. Nouẽb.

Patria & parens eius.

a Diocletiano & Maximiano.

Non vult militare cum impijs.

Quiriacus frater eius.

bant. Aderat inter eos Quiriacus Hieronis frater, qui tumultuantes leni oratione compescens facilè se fratrem blãda persuasione foras protacturum promisit. Itaque ingressus speliũcam fratrem vnà secum prodeuntem, militibus tunc pacatis & consentiẽtibus ad matrem perducit. Mater, cognita causa, cum haud dubiam filio mortem imminere prospiceret, lachrymis infusa, instantem orbitatem suam deplorare, & filij mortem magno eiulatu, prosequi. Quam ille blandè consolans in pace dimisit; & cum Victore cognato fratribusque duobus Antonio & Matroniano alacriter Melitinen ad Præsidem contendit.

Alacriter pergit ad martyrium.

Porrò in ipso itinere fuit cælesti visione ad certamen pro Christi nomine & gloria constanter subeundũ mirificè confortatus. Veruntamen cum senectam matris animo reuolueret, contristabatur animo, totusque lachrymis infusus parentis orbitatem ingemiscebat. Sed cum rursus futuræ gloriæ & præclari certaminis recordaretur, afflictum animum suum hoc modo solabatur: Ecquid mihi preciosius anima mea? quid verò gloriosius, quidue vtilius, quam pro Christo quibusuis eam periculis atque supplicijs exponere? Age igitur ô anima mea; Sufficiat, quod hactenus mundi vanitatibus dedita, tempus parum fructuosè collocasti: decæterò respice ad Agonothetam tuum Christum Iesum, qui te diris supplicijs & morte acerbissima, à mortis sempiternæ imperio liberauit. Nec est quod inani matris solicitudine conflicteris: ipse enim Christus Dominus cuius causa ad mortem propero, curam vtique

Seipsum egregie solatur.

Psalm. 67.

matris

matris suscipiet maiorem, qui pater orphanorum & Iudex viduarum dici voluit.

Inter hęc aliaque, quę pio corde secum volueba t, venit Melitinem; vbi protinus cum alijs numero triginta & vno in custodiā datus fuit: quos vir diuinus luculentis verbis ad constantiam egregiè roborauit. Præses autem cognita eorum virtute, animiqúe promptitudine pro Christo decertandi; cunctos curauit suo tribunali sistendos. Et conuersus ad Hieronem; Tunè, inquit, es ille, qui dexteram tāta ferocia in missos ad te milites meos exercuisti? His dictis ait satellitibus: Manum eius, quæ feroci menti paruit, ab ipso cubito amputate. Fuit dicto citius crudeli & impiæ sententiæ factū satis: & eodem Præsidis iussu in reliquos martyres crudis boum neruis acriter sæuitū. Quod dum fieret, & vincti rursus in carcerem reciperentur, Victor, quem sancti cognatum prius diximus, atrocitate suppliciorum turpissimè victus & plagis emollitus, clam accersito Cōmentariensi misericordiam, impiam illam profectò & execrabilem, supplex postulauit: datoque, pro libertate, (si tamen libertas illa dicenda est) prædiolo, quod Coramis possidebat, noctu fuga sibi salutem, imò sempiternū animæ interitum quæsiuit miser.

Mittitur in carcerem.

Amputatur dextera Hieronis.

Victor cognatus eius deficit à Christo.

Die autem illucescente, vt rem cognouit Hieron, intolerabili dolore affectus, acerbis cœpit cognati interitum deflere lachrymis; ac tandem plus satis lamentatus, vocatis ad se cognatis Antonio & Matroniano, vltimam cōdidit voluntatem; matri & sorori Theotimiæ certas assignans possessiones: manum verò abscis-

Facit testamentum Hieron.

abscissam Rusticio, qui Ancyræ rem publicam administrabat, testamento relinquens. Indè quatuor post diebus cum cæteris Christi vinctis ad tribunal euocatus, post flagra & atroces virgarum cruciatus capite plexi immarcescibilem æternæ vitæ coronam adepti sunt.

Decollatur post varios cruciatus cũ suis socijs.

VITA S. VVILLIBRORDI EPISCOPI Traiectẽsis: Ex ea quæ est per Albinum Flaccum Alcuinum Caroli Magni præceptorem. Est ordinatus antistes anno Domini 696. à Sergio Pontifice maximo.

Vide Tom. 8 Annal C. Baron. & Not. ad Mart. tyr. Rom. 7. Nouem.

Patria & parens eius.

FVIT in Britannia insula, prouincia Nordanhumbrana, quidam paterfamilias genere Saxo VVilgis nomine; qui ducta in matrimonium fæmina pudicitiæ moribus ornatissima, suscepit ex ea, non sinè diuinæ electionis præsagio, filium: cui mater in regenerationis lauacro nomen VVillibrordi imposuisse fertur. Is vbi puer adhuc Ripensis ecclesiæ fratribus, moribus & literarum disciplinis imbuendus esset traditus, breui tantos in omni virtutum genere fecit processus, vt cunctis alter Samuel videretur. Cumque fragilior ætas sanctioribus egregiè instructa disciplinis perfectam boni maliqúe cognitionem haberet, ilicò se monasticæ subdidit exercitationi in qua nulli alacritate minor, nulli humanitatis officio & studio lectionis secunda visa est. Quotidiè optimæ indolis puer magna virtutum capiebat incrementa, tacitusque diuinarum pariter & humanarum rerum scientia pectus locupletabat; qua postmodum & alijs ad salutem prodesset.

1. Reg. 2.

Fit monachus.

Itaque

Itaque vbi annum ætatis suæ attigit vicesimum, maioris perfectionis ardore incensus, summa Abbatis sui, fratrumque voluntate in Hyberniam contendit: vbi annos duodecim apud beatissimum patrem & antistitem Egbertum; & Vvicbertum, eruditione non minus quã sacerdotio venerabilẽ, doctrinis sublimioribus animum erudijt. Cumq; inter ea pietatis studia in borealibus partibus messem quidem multam, sed operarios paucos esse intelligeret, assumptis secum duodecim eodẽ fidei feruore fratribus, nauem conscendit, & prospero cursu ad ostia Rheni fluminis appulerũt. Vbi optata telluris statione refocillati, mox ad castellum Traiectum, quod in ipsa fluminis ripa situm est, peruenerunt: in quo etiam, non multo post tempore, idem sanctus episcopalẽ cathedram constituere meruit.

In Hybernia duodecim annos dat operam literis.

Cum duodecim fratribus venit Traiectum.

At verò cum eadẽ gens Frisonum, paganis adhuc ritibus cũ Rege suo Radbodo sorderet, visum est viro Dei in Franciã contẽdere, & Ducem illorum adire Pipinum, virum strenuũ in primis & triumphis clarum: qui summo cum honore eũ excipiens, loca ei intra terminos regni sui prouidit opportuna, ne tanto doctore gentem suam priuaret. Sperabat enim fore, vt per eũ, extirpatis idololatriæ spinis, noua quędam virtutũ seges exurgeret, & regni gubernacula abundanti pace & opulenta requie breui florerent. Nec fefellit eũ concepta de viro sancto spes, qui per loca singula discurrẽdo, & semina vitæ supernæ longè lateque spargẽdo effecit, vt in multorum cordibus germẽ fidei iucundissimum pullularet. Quo propter haud medio-

Abit in Frãciam ad Pipinum.

Mittitur Romam.

mediocriter gauisus Pipinus, maioris profectûs occasione, prudenti consilio, beatum virum cum honorifica legatione, Romam destinauit; vt à Domino Apostolico Sergio, viro tunc temporis in eo munere sanctissimo, pontificia auctoritate ornaretur. Et eccè die quarta ante quàm Vrbem ingrederetur, Summus Pontifex Angelico in somnis oraculo admonitus, vt venientem summo cum honore exciperet, nihil cunctauit; quinimò publicè in ecclesiam * beatissimi Petri Principis Apostolorum eum deduxit: ibidemque reluctantem Archipræsulem ordinauit. Et quia VVillibrordi nomen barbarum & pronunciatu durum videbatur, ordinato Clementis nomen imposuit: sicque pontificalibus haud indignè vestimentis ornatum, iterum in opus Euangelij remisit.

** Sanctæ Cecilie.*

Ordinatur Romæ Archiepiscopus, & pro VVillibrordi nomine accipit Clementis.

Itaque accepta Apostolicæ auctoritatis benedictione, ad præfatum Francorum Ducem reuersus est: à quo peramanter & honorificè exceptus, atque in opus Euangelij destinatus, eos in gente illa fecit fructus, qui vsque hodie gratissimam de se odoris fragrantiam fundũt. Testes earum rerum sunt Ecclesiæ per singula loca ab eo constructæ; testes Deo famulantium congregationes, quas non paucis in locis præclare instituit; testes multæ familiæ quæ in hodiernum vsque diẽ in Catholicæ fidei professione contra hæreticorum insultus constãtes permanent. Cæterum vir diuinus Frisonum salutem vehementer sitiens, secundo Radbodum Regem à cultu idolorum ad Christi cognitionem perducere conatus est. Sed saxeum impij

Fructus prædicationum eius in Francia.

Prædicat Cristum in Frisia.

impij Regis cor, nullis vitæ fomentis emolliri potuit. Quo circà vir Dei, eo & gente ipsius relictis, ad ferocissimos Danorũ populos, Christiana humilitate domandos, iter conuertit. Ongendus tunc gentẽ illã imperio moderabatur; homo & fera quauis crudelior, & omni lapide durior: qui aliqua tamen humanitatis officia viro sancto exhibuit, & venientem & abeuntem honore prosecutus est.

Proficiscitur ad Danos.

Cum autem barbarum illius ingenium efferis moribus obduratum, nullam melioris frugis spem facere videret; eo relicto, assumptis triginta eiusdem patriæ pueris, ad electos à Deo Franciæ populos festinè reuersus est. Vbi cùm per singulos dies numerus fidelium mirificè crescere, cæpêre plurimi fidei feruore incitati, patrimonia sua viro Dei offerre: quæ ille in nouas ecclesiarum fabricas expendebat; statuitq; in singulis presbyteros & verbi Dei cooperatores, qui iacta fidei & religionis fundamẽta, ad tectum sensim fastigiumque perducerent.

Iterum redit in Franciam.

Contigit autem post hæc, vt Pipino Francorum Duce vita functo filius eius Carolus regno patris potiretur. Qui belli pacisque artibus egregiè præstans; inter alias gentes fœlici marte deuictas, Frisiam quoque, prostrato Radbodo, paterno adiunxit imperio. Qua occasione VVillibrordus confestim facem Euangelicæ prædicationis eò intulit, sedeq; episcopali in Traiecto constituta, tetras ignorãtiæ tenebras, vetustiq; erroris caliginem fugauit, & miraculorũ gloria hærentẽ tenacius multorũ mentibus idololatriæ pestem profligauit.

Carolus Martellus Pipini filius expugnat Radbodum. S. VVillibrordus fit Episcopus Traiectensis & Frisiam ad Christi fidem conuertit.

Quodam die dum diœcesim suam solito more peragraret, in villa quadã VValachium nomine, antiqui valdè erroris inuenit idolũ; quod protinus zelo fidei feruens in frustra cõminuit. Aderat fortè eiusdem idoli custos; qui nimio furore succensus, quasi dei sui iniuriam vindicaturus, impetum in Christi sacerdotem fecit, gladioque caput illius grauiter ferens sanguinem fundere cogitabat. Sed Christo seruum suum mirabiliter protegente, non sinè ingenti miraculo cerebrum nullam ferientis sustinuit læsuram: & impius ille eodem die dæmoniaco arreptus spiritu, tertio deindè infœlicem animam miserrimè efflauit.

Grauiter percussus nihil læditur.

Est in Treuirensi ciuitate sacrarum virginũ monasterium, quod VVillibrordi temporibus sæuissimæ pestis contagione adeò miserè infectum erat, vt eius acerbitate cunctæ ferè virgines extinctæ essent: aliæ longo infirmitatis dolore conflictantes, lecto decumbebant. Ad eas vocatus vir Dei accedens Missæ sacrificiũ pro infirmis obtulit, aquamque de more benedixit, qua & domos illarũ aspergi iussit, & ægrotantibus potandam transmisit. Dictu mirum. Et infirmæ citò Christi gratia cõualuere, & dira contagio profligata est.

Sanãtur virgines peste laborantes.

Denique vir diuinus consummata omnium virtutum perfectione (quæ quidem in hac vita haberi potest) præclarus, Deo hominibusq; gratus, tandem deuexa planè ætate, è vita ad beatam immortalitatem lætus gaudensq; migrauit: sepultus in monasterio *Esternaco, quod ille extruxerat: vbi vsque hodie multis miraculorum signis clarus requiescit.

Felix obitus eius.

** Epternaco alij: Externaco.*

Claret miraculis post obitum.

VITA S. FLORENTII EPISCOPI ARgentinensis: Ex ea quæ est apud V. P. Laurentium Surium. Ponitur quartus eius Sedis Episcopus: cæpitq; sedere anno Domini 663. præfuitq; annis 12.

Vide Notat. C. Baron in Martyrol. Roman.

DAGOBERTI Regis Francorum tempore, sanctus Florentius generis nobilitate clarus, cunctisque maximarum virtutum floribus egregiè ornatus cum beato Arbogasto, Theodato, & Hildulpho è Scotia in Alsatiam venit. Vbi cum Arbogastus Argentinensi Ecclesiæ datus esset antistes, beatus Florentius studio cælestis vitę acriter incensus, in siluam, quam Haste vocant, sese abdidit, terramq; manibus colens victui necessaria parauit. Cumque condito illic domicilio, in studiũ æternæ gloriæ inflãmato animo totus incũberet, & manuũ labore, vt diximus, victum quæreret, ceruę, aliæq; feræ è nemore eo aduentãtes labores illius deuastare & molestiã inferre cœperũt. Quas ille cum ex arte venari nõ posset, magna in Deũ fretus fiducia, iussit eas omnes ad cellulæ suæ fores venire, ibidemq; grãdum, deposita ferocia, figere. Eodem illo tempore famuli Dagoberti Regis venationi operam daturi, montes & siluas omnes cum canibus perlustrabant, nec vllam omninò feram indagare poterant. Tandem ad beati viri domunculam peruenientes, frequentes illi præ foribus eius consistere tanta mansuetudine cõspiciunt, perindè acsi vincula eis iniecta fuissent. Mirãtur, stupent, ac rei tandẽ indignitate permoti, tunicam beati viri, quẽ ignorabant,

7. Nouẽb.

S. Arbogastus fit Episcopus Argentinæ.

S. Florentius feras sibi cogit obedire.

auferunt & recedunt. Ille abeuntes insequitur & securim siue bipennim pariter eis tollendi tradit.

Illis ergo recedentibus, vbi ad paludem quādam ventum est, equi eorum progredi noluerunt: prorsus vt ne, admotis quidem calcaribus, loco mouerentur. Id illi vindictæ cælesti, propter iniuriam, quam viro sancto intulerant, prudenter tribuentes, festinè redeunt, & ablata restituunt. Tum verò gradendi facultate equis restituta, ad Regem Dagobertum veniunt, & quæ acciderant, non sinè admiratione enunciant. Ille pariter admirans, confestim equum suum optimè stratum ad virū Dei mittit; orat, vt illo subuectus ad ipsum se conferat. Vir beatus equo Regis humiliter repudiato, asello suo contentus ad regiam proficiscitur. Vbi ad portæ limen accessit, Regis filia ab ipso ortu luminibus orbata, itemq; muta, repentè & videndi & loquēdi beneficio lætatur: appellatque beati Florentij nomen, cum tamen id omnibus esset incompertum. Ascendente porrò illo in palatium, res accidit admiratione digna. Cum enim deesset minister, qui pallium eius interim seruaret, ipse ad solis radium, per fenestram sese infundentem id suspendit: inhæsitque illi haud secus, atque vnco cuidam, donec institutum cum Rege sermonē explesset. Quæ res tantæ admirationi fuit & Regi ipsi, & familiæ eius, vt magnam siluæ eius partem, villasque adiacentes & multa prædia largiretur; quę vsque in prę̄sens Hasle monasterium sibi vendicat.

Hanc alij Rathildam vocant.

Insigne miraculum.

Porrò Arbogastus, inter ea, vitæ munen sancti

sanctè perfunctus, Florētium in cathedra successorem habuit: qui, vt iam antè mūdi carnisque illecebras, & fluxos honores Christi amore egregiè contempserat, & quanquam claris ortus natalibus, in sylua prudenter delitescere nouerat, ita in summo illo honoris gradu corpore tantum constitutus, cunctas blandiētis insulæ fallacias præclarè vitauit. Commissum quoque sibi gregē æternæ vitæ alimonia suauissimè refecit, & ecclesiā dictis factisque longè lateque propagauit: ac tandem multis exantlatis laboribus septimo Idus Nouembris ad Christum migrauit. Corpus eius fuit in Argentinensi ecclesia quam viuens gubernauerat, honorificè conditum: quod postea Ratho eiusdem sedis antistes, diuina reuelatione admonitus, in locum illum nemoris, quem primò sibi ipse delegerat, reuerenter transtulit.

Optimè sub præest.

Fœlicissimè decedit.

Locus sepulturæ eius.

VITA ET MARTYRIVM S. ENGELberti Archiepiscopi Coloniensis, qui anno Christi 1225. pro defensione iustitiæ gloriosa morte occubuit; cum Sedisset annos sex: Ex ea quæ est per Cæsarium monachum Heisterbacensem.

Vide Not. C. Baron in ad Martyr. Rom.

BEATVS Engelbertus antistes Coloniēsis, patre Engelberto Comite de Monte; matre vero pari nobilitate fœmina, filia Comitis Geldrensis (quanquam nomen eius expressum non inuenitur) ortus est. Genus illi fuit nobile inprimis atque spectabile, multis viris pietate & virtutibus admirandis illustre. Patrui Fridericus & Bruno, Arcipræsu-

7. Nouē.

Parentes eius nobilissimi.

les Coloniensés; itemq; Adolphus qui Brunoni in episcopatu successit, patrui eius filius; viri fuêre omni sanctitate conspicui. Theodoricus verò antistes Monasteriensis, & Engelbertus Osnaburgēsis electus, patrui eius nepotes, qui eximijs in vita virtutibus emicuerint explicatu est difficile. Hac igitur tam insigni & nobili ortus prosapia Engelbertus, iuuenis adspectu decorus, statura procerus, viribus robustus, cunctisque naturæ & fortunæ (vt ita dicam) diuitijs ornatus, literarum studijs adhibitus fuit. Ibi tunc mundanæ gloriæ deditus, & diuitiarum honorumque retibus multipliciter irretitus, in apertā quodammodo animæ perniciē tendere videbatur: sed teste Apostolo, omnia electis cooperantur in bonum. Vixdum candidatus emeritus, mox in maiorem Præpositum, indè in Monasteriensem episcopum electus fuit; quam ille tamen dignitatem, adolescentiæ suæ haud satis fidens, prudenter recusauit.

Abundat opibus & seruit mundo.

Rom. 8.

Recusat episcopatum Monasteriensem.

Ea tempestate Adolphus Coloniensis Archipræsul, prauo suorum consilio, & vi pecuniarū corruptus, ab Othone filio Henrici Ducis Saxoniæ (quem ipse Aquisgrani Romanorū Regē ex mandato Innocentij Papæ creauerat) rupto fœdere recessit, & aduersariū eius Philippum Sueuiæ Ducem, Friderici Imperatoris filium, in regia sede consecrauit. Ea propter à Pontifice anathematis fulmine percussus & dignitate deiectus, Brunonē Bonnensem præpositum successorem accepit. Qui non multò post in fata cedens, Theodorico Sanctorū Apostolorum Præposito sedem reliquit. Hic præsente

Adolphus Coloniensis Episcopus deponitur, & Bruno succedit. Brunoni Theodori.

sente Othone Rege, electus & pallij dignitate donatus est. Sed paulò post orta hostili quadã dissensione inter Pontificem Innocentium & Othonem Regem quem idem Pontifex ad hoc tempus paterno affectu fouerat, Othonem anathemate ferijt & Fridericum Henrici Imperatoris filium & Regem Siciliæ ei aduersariũ suscitauit. Theodoricus verò quòd Othonis partibus faueret, sua dignitate & sede per summam indignitatem priuari, & Adolphum in amissos honores de nuò restitui curauit. Sed cum neuter eorum Episcopatum recuperare valeret, vtrique pro dignitate tuenda annua pecuniæ summa à Pontifice designata, & Coloniensi ecclesiæ liberum omnino ius electionis remissum est.

Engelbertus creatur Episcopus Coloniensis.

Porrò Engelbertus post inimicitias illas ab Othone cum Pontifice susceptas Friderico se intima familiaritate adiunxerat: quæ res ipsi Pontifici adeò grata accidit, vt vel propterea communi consensu in Archiepiscopum electus fuerit. In Electum & infula pontificali decoratum mox hostili odio Theodoricus Comes Cleuensis & VValramus Dux Lymburgensis insurrexerunt: quos ille eorumque copias militares tanta virtute repressit, vt cæteri nefariæ conspirationis auctores ingenti timore perculsi, à simili facinore consilium manusque reuocârint; & certatim vel fictè vel ex animo honores detulerint.

Aduersarios edomat.

Cæterũ Friderico Rege ab Honorio Pontifice, qui Innocentio successerat, in Imperio cõfirmato, Engelbertus, summa illius voluntate, (quod is in Siciliæ regnum necessariò commi-

Imperij negocia ei demandantur.

grasset) regni totius citrà Alpes suscepit negocia, Henrici filius eius tutor & totius regni Romani constitutus prouisor. Qui tot tantisque curis & negocijs implicitus Reipublicæ vtilem inprimis, & fidelem impendit operam: prorsus vt inuidi & detractionis vitio infames, ne minimum quidem in eo inuenirent, vbi dentem Caninum defigerent. Congregatis principibus Henricum puerum Aquisgrani in Regem consecrauit: deindè cunctas ferè regni partes perlustrans, tantam vbique pacem & otium constituit, vt Augusti tempora crederes. Prædonibus & infestis viarum latronibus ferro flammaque dissipatis, mercatoribus inprimis negociandi liberrimam præstitit facultatem, securitatemque tantam, vt cuidam anxio & viarum pericula formidanti, suam ipse chirotecam tradiderit, vt eam salui conductus loco obuijs ostenderet militibus: asserens se, si quid fortè rerum suarum damni pateretur, optima fide resarturum. Præclara profecto res, & summis in tanto viro laudibus extollenda, qui ità subditorum suorum saluti prospexit, vt domi forisque in opulenta pace & otio versari volebat. In Reipublicæ administratione nulli Episcoporum Coloniensium fuit secundus: potentia verò, diuitijs, & gloria ità florens fuit, vt omnes, vno Brunone istius nominis primo excepto, superauerit; quibus non ad luxum vitæque superbiam abusus est, sed ijs ipsis ciuium saluti & incolumitati prospexit. Ita namq; animo & viuēdi ratione constitutus erat, vt nihil sibi sed cuncta suis subditis ac pauperibus inprimis & inopib. possidere videretur.

Egregiè ea administrat.

Præclaræ eius virtutes.

S. Brunonis huius vita habetur 11. Octob.

Auget opes Ecclesiæ Coloniensis.

retur: paratus semper pro suorum salute capue in quoduis magnum discrimen constanter inferre.

Hinc nomen illius apud Reges & Principes celebre admodum euasit: ita vt Ioannes Rex Hierosolymitanus fama virtutum illius præcipuè illectus, Coloniam venerit, vt tanti viri prudentia & pietate animum suũ præsens oblectaret. Quanquam enim infinitis intricatus esset negotijs, ius tamen omnib. tanta æquitate administrabat, vt nulli omninò querulandi locum relinqueret. Præterea pericula à Republica armis atque virtute propulsabat: bonis pro dignitate pręmia constituens, improbos verò suppliciorum acerbitate coërcens: patriamque vniuersam ab externis hostibus & intestinis fraudibus tutam vigilantia sua conseruans.

En quanti fuerit apud Reges & principes.

Hisce igitur alijsque præclaris virtutum operibus ad martyrij palmam à Domino destinatus, tandem glorioso certamine de cunctis animæ suæ hostibus triumphum egit. Erat Fridericus Comes de Isenburg, quondam ecclesiæ Coloniensis canonicus, & è Clero ad Comitatum illum euectus, & postremò Essendiẽsis ecclesiæ patronus constitutus, qui commissum sibi munus ex sua ipsius auaritia & insatiabili diuitiarum siti metiens, acerbissimis exactionibus eoque ecclesiam illam exhauserat, vt neque diutiùs subsistere, neque sacræ virgines quæ Abbatiam incolebant (est enim regalis & Imperio subiecta) hominis istius insolentias sustinere possent. Itaque quod reliquum erat, Engelbertus pacis & iustitię cultor

Comes Fridericus miserè diuexat Abbatiam Essendiensem.

præcipuus, cùm ab Honorio Papa, & Imperatore Friderico, tum iustitiæ & æquitatis impulsu admonitus, vt Ecclesiam extrema iam calamitate oppressam, & ad ipsa vsque ossa exhaustam sanaret, medicam manum, cautè tamen atque prudenter, admouere cœpit. Quod simulac persensit Fridericus furore & amentia præceps; homines quosdam malitiæ suæ consortes & ad omne facinus pronos, ad paricidium inflammat.

Fridericus in necē eius conspirat.

Non latuit ea res beatum Engelbertum; qui licèt dæmonis satellites armis facilè profligare, & aduersarios eos cunctos internecione delere potuisset, nihil tamen horum, præter consuetudinem attentans, corpus animamq; multis precibus & lachrymis diuinæ prouidentiæ instanter commendauit; & quasi martyrij cupidus, pura atque sincera confessione, Mindensi Episcopo totius vitæ suæ delicta expiauit. Peregit illam peccatorum suorum exomologesin, tam copioso lachrymarū imbre, vt eam lachrymarum gratiam Mindensis satis mirari non posset: Nec dubium, quin crebris stillicidijs contractas anteactæ vitæ sordes diluerit; seseque totum Christo conciliauerit. Intereà Fridericus patrandi facinoris auidus, vt conceptam malitiam meliùs dissimularet, cœpit familiarius solito Episcopo adhærere; vias omnes modosque tacitè exquirens: vbi & quando potissimùm scelus expleret.

Cum multis lachrymis, cōfitetur Engelbertus peccata sua.

Erat in Suuelme, Ecclesia ab Episcopo dedicanda: quod Fridericum minimè latebat. Itaq; oblata occasione vtendū ratus, cum antistes ad destinatū properaret locū, accurrit circà meridiem

Fridericus Comes, eius iter explorat.

ridiem Fridericus, certior fieri cupiẽs quò & quibus stipatus comitibus, tenderet. Salutat eum benignè Episcopus; inuitat ad hospitium; & cunctis humanitatis officijs apud se retinere conatur. At ille difficulter hærẽtem animo pestem vultu tegere valens, excusat; & ocyùs indè ad suos aduolat. Magna iam episcopalis familiæ pars cœnam paratura, præcesserat; & pauci cum põtifice remanserant: cùm eccè sole iam ad occasum tendente Comes enormitatẽ concepti facinoris considerans, totis viscerib. contremiscit, & scelus detestatur. Sed mox detestabili suorum hortatu inflammatus, instar colubri venenum, quod ad breue tempus euomuerat, ardentiùs resorbuit: & satellites suos ad patrandum facinus dictis factisque acriùs incitauit. Nihil illi cunctati sunt, sed animis verbisque feroces, strictis gladijs in obuium antistitem suum irruerunt, iniectisque certatim manibus, quidam Gifelbertus primũ vulnus capiti eius inflixit, ferrumque vibrans, secũdo ictu, dexteram amputauit, corpusq; gladio transfixit. Eadem hora, Iordanus quidam, qui ob maleficia ab eo proscriptus fuerat, superueniens horrendum vulnus cerebro impoluit: & Heribertus humi prostratum cultello perfodit. Postremò filij perditionis congregati, tãquam canes rabidi ac famelici cultellis acutissimis ad hoc præparatis sic totũ corpus eius cõcidêre, vt à capite vsq; ad calces, nulla pars à vulnere vacua remaneret. Deindè patrato tãto paricidio lętabundi quasi re benè gesta, corpore in terra relicto, ad Comitẽ cõuenerunt, simulq; recesserunt. Illis abeuntib. miles quidã,

Sceleris immanitate terretur Fridericus, sed mox à suis animatur.

Horrẽdum in modum trucidatur.

Leo-

Leonies nomine, qui etiam pro domini sui antistitis defensione in femore vulnus acceperat, cum Henrico Cellario subsequutus, tandem martyris corpus extinctum & aspectu nimis horrendum inueniunt. Quo viso animis sanè consternati, bigæ ilicò ex proximis ædibus adductæ illud imposuerunt: & mœsti lachrymisque perfusi ad domũ, in qua antistes pernoctare statuerat, aduexerunt. Indè verò mane facto ad Montense monasterium, & ex monasterio Coloniam honorificentissimè delatum atque in B. Petri Ecclesia positum est.

Corpus eius ad Montẽse cœnobium defertur.

Cæterùm Henricus Bonnensis Præpositus in defuncti sedem paulò pòst subrogatus, necem tanti Præsulis modis omnibus vindicandam suscepit. Et primò quidem Fridericus proscriptus & anathematis fulmine cum suis omnib. ictus mille suppliciorum generibus, quæ posteà luit, adiudicatus est. Omnes enim illi, sceleris tanti auctores, vel diuina vel humana iustitia vindice, è vita miserrimè excesserunt. Atque vt de reliquis taceamus, quorum aliqui rotæ supplicio affecti sunt, ipse Fridericus, eodem penè die, anno euoluto, quo gloriosi martyris corpus multorum mœrore ciuitati illatum est, per portam oppositam vinctus est introductus; & in rotam cum tormentis turpissimè impositus. Fuit sanè horrendum de sacrilego illo sumptum supplicium, quod iustum cunctis, longelateq; incussit timorem. Triduo enim, quo vinctus in palatio tenebatur, extra muros ciuitatis in Monticulo, qui iuxta portã sancti Seuerini est, lapidea satis altè erecta est columna; atque in eam rota plaustri plumbo vesti-

Henricus creatur Coloniensis antistes.

Horrendum de Friderico Coloniæ supplicium sumitur.

vestita, vt durare posset, transfata. Die verò sequenti in eam rotam paricida nefandus brachijs & cruribus securi priùs confractis funibus pertractus est. Quæ supplicia non modò patienter, sed tanta etiam cum admissi criminis detestatione tulisse fertur, vt singula etiam membra carnifici lanianda vltrò offerret, & reum sese instanter clamaret. In rotam verò sublatus cùm in acerbissimis illis cruciatibus ad preces vsque matutinas spiritum traheret, fertur assidua oratione scelerum suorũ à Deo veniam flagitasse, & circunstantes suppliciter ad orationis communionem inuitasse. Fuit ea res ingenti cũctis admirationi, quam tamen omnes Engelberti meritis precibusque tribuebant; quem dubium non est pro percussorum salute preces fudisse.

Precibus S. Engelberti insignem obtinet pœnitudinem à Deo Friderictus.

Sed vt ad Engelbertum reuertamur, eiusque sanctitatem non solùm martyrio, sed multis quoque post mortem miraculis testatam confirmemus, è pluribus, imò infinitis, vnum hoc retulisse sufficiat. Cùm sacrum eius corpus Francofurto (vbi id Henrico Regi, alijsq; Principibus præsentatum fuerat) Coloniam reduceretur, iamque VVesseling, Pagum propè vrbem, vsque perlatum esset, miles quidam, Arnoldus nomine, (nescio, qua temeritate) martyris reliquias contumelijs & maledictis prosequens inter alia ait: Is qui plurimos & damnis affecisse & hæreditate legitima spoliasse fertur, quomodo nunc sanctus, & miraculis clarus esse perhibetur? Somnia sunt; ludibria sunt; & fraudulentæ deceptationes. Si aliter se res habet, nam certa me loqui sat scio, Deũ

precor

precor vt antè mortem ſanam mihi mentē auferat. Hæc dicens ſtomachansq; miles (fortaſſis quòd marcis quadraginta, ob culpam filij, qui fœminam vi oppreſſerat, ab antiſtite mulctatus fuerat) eodem die mente alienatus, vxori liberisque manus inferre cœpit: eoq; demētiæ perductus eſt, vt tentus, vinctus, & in cuſtodiam datus tandem in furore & rabie mentis animam efflarit. Sunt alia penè infinita eximia ſanè miracula, quæ ſancto martyri Chriſti gratia & virtute patrata tribuuntur: vtpotè, mortuis vitam, ſurdis auditum, cæcis viſum, mutis loquelam, claudis greſſum; paralyticis, contractis, alijsque ægritudinibus afflictatis eum ſanitatem reddidiſſe.

Vindicta in blaſphemum in Martyrē.

Claret præclaris miraculis poſt obitum.

MARTYRIVM SS. a *CLAVDII, NICOſtrati, Symphoriani, Caſtorij & Simplicij, itemque SS.* b *quatuor Coronatorum fratrum, Seueri, Seueriani, Carpophori & Victorini: Ex martyrologio Adonis epiſcopi Treuirenſis.*

a *Iuxta Baron. Tom. 2. Annal. Hi quinq; anno Domini 303. paſſi ſunt.*

b *hi quatuor verò biennio poſt.*

8. Nouēb.

IMPERANTIBVS Diocletiano & Maximiano Romæ, Claudius, Nicoſtratus, Symphorianus, Caſtorius & Simplicius, ſculpēdi artificio inſignes, ſummam apud Diocletianum Imperatorem inierunt gratiam. Cùm verò die quodam quadraturis marmorum intenti, artem ſuam Crucis ſigno munirent, & artificium omnibus numeris abſolutum redderent, Simplicius, qui adhuc errorum tenebris inuolutus erat, ad quatuor reliquos conuerſus: Per Deum, inquit, Solem vos adiuro, vt quis ille deus ſit, in cuius nomine tam exactū

Artem ſuam ſigno Crucis muniunt.

præstatis artificiũ, mihi dicatis. Cui Symphorianus: Si potes credere, veri Dei cognitione te informabimus, & non modò artem, sed & æternam vitam consequeris. Is itaque fidei cognitione instructus, Christo pariter nomen dedit, & à beato Cyrillo aquis lustratus, salutaribus ad certamen pro Christo subeundum se comparauit.

Non multò pòst, pietate eorum clariùs relucente, nomina eorum delati fuêre, quòd Christianæ religioni dediti, deum AEsculapium, sicut præceperat Imperator, ex marmore Porphyretico & Proconnesio, fingere noluissent. Ea propter à Lampadio tribuno, iubente Diocletiano, in custodiam traditi sunt. Cumque nullis minis vel blanditijs à Christi confessione auelli possent, scorpionibus grauissimè cæsi, præclaram suæ fidei confessionem mira edidere constantia; Christo famulis suis assistente, & Lampadium dæmonio correptum subitanea morte mulctante. Hoc factum vt audiuit Diocletianus, iussit cuidam Nicetio togato, vt martyres in plumbeis loculis viuos inclusos in mare præcipites daret. Post dies autem quadraginta duos, Nicodemus quidam insigniter Christianus, loculos cum martyrum corporibus leuauit, eaque honorificè in domo sua condidit.

Cæduntur scorpionibus.

In flumen demerguntur.

Eodem illo die, duobus tamen ab horũ martyrio annis, Seuerus, Seuerianus, Carpophorus & Victorinus cùm ad sacrificandũ impellerẽtur, constantes suæ fidei & religioni, impiorũ iussa contempserunt. Quod ilicò Diocletiano Imperatori nunciatum est: qui martyres antè

Quatuor Coronatorum nomina.

Cædunturplumbatis.

antè AEsculapij simulachrum plumbatis ad supremum vsque spiritum cædi imperauit: cęsosque & glorioso fine beatos, canibus in platea obijci iussit. Ibi cùm dies quinq; sacra eorũ corpora iacuissent, à Christianis sublata, milliario ab Vrbe tertio, via Lauicana, in arenario iuxta corpora supradictorum martyrum, sepulta sunt.

à Melciade Episcopo quatuor coronati nominantur.

Cùm autem nomina eorum minimè reperirentur, statuit B. Melciades episcopus, vt anniuersaria eorum quatuor Coronatorum dies, sub nominibus sanctorũ quinque martyrum recoleretur. Intercurrentibus tamen annis, cuidam viro, sanctitatis laude conspicuo, nomina eorum reuelata sunt. Festiuitas verò, vt fuerat statuta, in aliorum martyrum festiuitate celebris permansit: at locus quatuor Coronatorum nomine insignis.

VITA S. VVILLEHADI PRIMI EPIscopi Bremensis: Ex ea quæ teste Baronio à V. P. Laurent. Surio fidelissimè conscripta est. Ordinatus fuit eius sedis episcopus anno Domini 788.

In Notat. ad Martyr. Roman.

8. Nouẽb.

Patria eius.

VVILLEHADVS vir vitæ venerabilis ex Britannia maiori oriundus, spiritualibus disciplinis egregiè imbutus, vt cognouit Frisones Christianæ fidei expetere mysteria, magno incitatus zelo, Alachinti Regis Anglorum ac Episcoporum communi sententia & consensu ad eos contendit: transmissoque mare gratulabundus in locum, cui *Dockinge nomen est, peruenit. Is cùm iam antè S. Bo-

** Dockum.*

S.Bonifacij* martyrio celebris, à cunctis erroribus ritè expurgat° esset, VVillehadus in subacta fidelium corda fœliciter admodum diuini verbi sparsit semina, vberesque adeò recepit fructus, vt multi nobilium suos ei filios instituendos trad rent.

** huius vita extat 14. Maij.*

Magnũ fructum facit in Frisia.

Indè autem proficiscẽs, traiecto flumine Lauinca, ad locum, cui Huckmarke nomen, appulit; vbi incolæ furore perciti, quòd eos ab idolorum cultura reuocaret, necem illi inferre voluerunt: intulissentq; protinus; ni moderatiores quidam & sanioris consilij homines, ad sortẽ, de more reuocandum esse, dixissent, nũ morte plectendus esset. Cumque sors eum non attingeret, agente diuina prouidentia, libera abeundi facultate donatus est. Illis ergò relictis, venit in Drentiam; vbi multi eius prædicatione conuersi, Christo suo nomina dedere. Porrò discipulis eius idolorum fana demoliri volentibus, barbari pari furore impulsi ad cædem cunctis inferẽdam se comparauerunt: cęsumque fustibus B. VVillehadum, & multis plagis liuidum è suis finibus expulerunt.

Pagani volunt eum occidere.

Cæditur fustibus.

Tum verò in VVigmodiam se conferens, ecclesias illic condidit, & populum salutari doctrina alacriter erudiuit. Ea in re Carolus Frãcorum Rex mirificè ei adiumẽto fuisse perhibetur. Sed paulò post VVedekindus Saxonum Dux, congregato aduersus Carolum exercitu, Christianos persequi & è finibus suis profligare cœpit. Quo scelere offensus VVillehadus in Vtriustri commigrauit. Sed cum eò quoque persecutionis tẽpestas peruaderet, eam Christi benignitate declinans, Romam profectus est:

Venit Romam.

vbi ab Hadriano Pontifice peramanter exceptus, & suauissima consolatione refectus, tandem in Franciam lætus redijt.

Porrò Carolo Francorum Rege iubente, in VVigmodiam reuersus, Christi fidē publicè, & strenuè prædicauit, destructaq; tēpla instauraui t; & eodem quoq; anno Frisones desertores ad Christi fidē reduxit: & ipsū postremò VVedekindū totius mali auctorem baptismate lustrauit. Carolus aūt Rex cùm esset Vvormatiæ, Christi sacerdotē, antistitē consecrari voluit: eiusq; parœciæ VVigmodiā, Haras, Vtriustri, Astergam, VVangam & Noerden subiecit. Igitur vir sanctus primus ibidem episcopus cōstitutus, piè admodum & religiosè functionem illam annos duos, menses 3. & dies 26. administrauit, virtutumq; studia multis modis adauxit. Bremæ verò insigni opere templū cōdidit, dedicatumq; in honorē Saluatoris, Apostolorum Principem patronū eius elegit: & in ea vrbe cathedrā episcopalē cōstituit. Fuit aūt mirę abstinentiæ, ità vt Pontifex Hadrianus ad pilcium esum, quibus vti non solebat, cogere debuerit. Tandem cùm ecclesiam suā studio pietatis & religionis egregiè florentem reddidisset, in loco, qui * Bleckensee dicitur, acri correptus febre ad cælos migrauit.

VVedekindus baptizatur.

VVillehadus fit primus episcopus Bremensis.

Construit egregium tēplum Breuæ.

Mira eius abstinentia

** Plecarre Plexen.*

Obit feliciter.

VITA S. GODEFRIDI EPISCOPI Ambianensis 34. Ex ea quæ est per Nicolaum Monachum Sueßionensem eius æqualem. Migrauit ex humanis anno Domini 1118. Episcopatus sui 11. AEtatis verò suæ 50. Translatio autem facta est, anno 1138.

Vide Notat. C. Baron in Martyr. Rom.

BEATV

BEATVS Godefridus pago Sueſſionenſi oriundus, parentes habuit Frodonem & Elizabetham ingenuis non ſolùm moribus & vitæ integritate, ſed religionis etiam & miſericordiæ virtutib. eximiè ornatos. Eſt celebre monaſterium in Veromanduorum ſolo, Beato *Quintino martyri ſacrum, Peronæ oppido propinquum. Ei præerat egregia generis & morũ nobilitate vir, Godefridus; Idæ, filiæ nobiliſſimi Alberti Comitis Namurcenſis, patruus, cui magna cum Frodone eiusque coniuge erat familiaritas; qui etiam ſuis ſuorumque precibus hunc eis filium à Domino impetraſſe, eaque de cauſa baptiſmate luſtratum ſuo nomine appellaſſe dicitur. Itaque pius infans & ſummæ expectationis puer, quinquennis ad Godefridum Abbatem à parentibus eſt deductus; qui eum peramanter amplexans, liberalibus diſciplinis atque monaſticis imbuendũ curauit. Nec fruſtra ijs adhibitus eſt puer: nam procedente tempore cunctis virtutibus & diſciplinis ad miraculum vſque excultus, moribus ornatus, & diuinarum rerum cognitione inſtructus, tandem 26. ætatis ſuæ anno ſacerdotio initiatus, è B. Quintini ad Nouigenti monaſterium Abbatis titulo adminiſtrandum omninò inuitus euocatus fuit.

8. Nouẽb. *Patria & parentes.*

**Eius vita habetur 28. Iunij.*

Quinquennis traditur monasterio.

Fit Abbas.

Erat illud monaſterium tunc tẽporis extrema rerum omnium inopia oppreſſum. Sex tantùm monachi, pueruli duo, ijque cæleſtium rerum admodùm rudes locum incolebant. Cellulæ & habitacula anguſta, erãt ſolis viminib. intexta; tribuli, ſpinæ, dumeta, aliaque arbuſta paſſim excreuerant: denique erat loci facies

adeò misera & desolata, vt miserior esse non posset. Quæ res virum Dei ad prouinciam alacri animo suscipiendam, (vtpotè paupertatis amantem, & benefaciendi studio acriter incitatum) inuitauit. Itaque succisis extirpatisque arbustis, agroque eruderato, noua à fundamẽtis monachorum extruxit habitacula; & quod omni laude dignum est, domum fouendis recreandisque pauperibus & ægris condidit egregiam, & terris vineisque ditatam quotidiè ipse per se benignè humiliterque lustrabat: singulis vestes cibosq; prębens; pedes abluens; vlcera curans; & si quæ erant corpora defunctorum, sepulturę officiosissimè mandans. Per multa sanè alia memoratu digna illic & alibi gessit vir sanctus, quæ nos, ad alia eius properantes, omittimus.

Eximia eius in pauperes misericordia.

Per id tempus, * Geruinus Ambianensium Episcopus; vir non admodum sanæ mẽtis, quibusdam rebus aduersis vexatus, sedem suã planè deseruit. Quod cùm periculo vacare non posset, post ieiunia precesque per totam diœcesim habitas, tandem Godefridus communi omnium consensu est electus: & in Trecensi Concilio sanè celeberrimo confirmatus. Et ille quidem fugam meditabatur; sed studio & industria Richardi Cardinalis (qui Apostolicæ sedis legatus Concilio præerat) interceptus & infula pontificali à Rhemensi Archiepiscopo Manasse consecratus est.

Gerinus Ambianensium episcopus sedem suã deserit.

Godefridus succedit in locum eius.

Ea igitur dignitate & honore decoratus Ambianos profectus est: Aduentanti vrbs tota obuiam ruit. Vbi verò ad beati Acioli martyris ædem, quæ extrà vrbis muros est, ventum fuit, ilicò

ilicò vir diuinus iumento desiliens, vtrumque latus eius, Lamberto Atrebatensi & Ioanne Morinensi Episcopis sapientia & eruditione claris, stipantibus: reliquum itineris ad beati Firmini martyris basilicam nudis confecit pedibus; ab imo pectore trahēs suspiria, & pectus lachrymis vbertim rigans. Postremò ad populum concionem habuit, tanta virtute & doctrina instructam, vt cuncti eum sancti spiritus organum esse conclamarent.

Magna in eo virtus concionandi.

Ille verò Episcopi dignitate auctus, Saluatoris præclarè vestigijs insistens, dictis factisque suos æternæ salutis docebat viam. Pauperes conuiuas quotidiè habebat tredecim; quos, ablutis sua manu eorum pedibus, cibo potuque largiter reficiebat. Domus eius, non Episcopi, sed Christi aula videbatur. Orphanorum & miserorum magna illi cura erat; ita vt ea de causa à quibusdam canino sæpè latratu peteretur: quos ille obturata aure præteribat.

Pauperum lauat pedes.

Venerunt quandoque ad eum leprosi non pauci aspectu horrido, cute lurida, sanie defluente, vultu vulneribus occupato, ità vt præ horrore quidam eos intueri non possent. Petunt illi, imò propemodùm imperant, vt victū ipsis necessarium suppeditet. Eos vir pius nequaquàm auersatus est, sed data benignè salutatione, summisso orat capite, vt sibi benè precentur. Mirè interim anxius animo, quod nihil vel in manibus, vel in arca haberet (totum enim in pauperes effusum erat) ꝗ eis largiretur, tandē mandat œconomo, vt sinè dilatione ciborum eis copiam præparet. Ille verò alijs

Exemplum raræ virtutis.

intentus, Episcopi mandatũ negligit. Intereà paucis post horis adsunt denuò miseri illi, mirè crepitaculis suis perstrepentes. Mox aduolat Episcopus, audiensq; eos nihil ab Oeconomo accepisse, culinam ingreditur (quod ea tãtùm vice, in omni vita fecisse memoratur) cernensq; ibi salmonem ingentem, qui cœnæ apparabatur, eum in suos conijcit humeros, & ad pedes leprosorum festinò deponens illum eos accipere iubet. Illi gratulabũdi piscem tollũt, & tanta benignitate cõpulsi, miris Episcopum apud oẽs laudibus extollũt. Oeconomus verò domum rediẽs, vbi cõperit episcopum tam insignem piscem leprosis dedisse, quibusdam, vt aiũt, furijs agitatus, multis proscindit episcopum cõuicijs: clamitans nõ sano esse cerebro, qui sic res suas profundat. At vir Dei nihil tãta motus iniuria: Itanè, inquit, tibi æquum videtur, homines eodem precio redemptos, Christi sanguinem bibentes, cęlesti beatitudine donãdos, fame cruciari, & mihi extremo homuncioni ferculorum lautitias apparari?

Vi le episcopi insigne opus.

Sanctitatis & pudicitiæ custos adeò præclarus & studiosus vbiq̃ extitit, vt infames Clericos vel impuro matrimonio copulatos, non solùm à suo cõsortio, sed etiam à Chori ingressu constanter arceret. Eam ob rem multis quotidiè conuicijs & insidijs appetebatur: quas cũ ille forti animo contemneret, tandem cuiusdam Clerici concubina è medio eum tollere cogitauit. Misit itaque illi vinum aromaticum, helleboro infectum. Accepit id quidem cum gratiarũ actione episcopus, sed ob oculos statuens, cognouit iliçò virus in eo exitiale latitare.

Impuros clericos vt castigarit.

Venenũ sibi oblatum diuinitus cognoscit.

titare. Itaque intinctum in eo potu panis fragmen discurrenti per aulam obtulit catello; qui paulò pòst in somno extinctus est.

Insignem etiam & minimè tolerãdam à monachis S. VValerici passus est quandoque cõtumeliam; qui venientem ad monasteriũ, vt quibusdam presbyteris longè ab Ambianorũ ciuitate separatis, calices & lintea consecraret, summa cum iniuria repulerunt: vixq; à manib. temperantes, Antistitis auctoritatem in suo monasterio nullam esse dixerunt. Quod vt improbi illi (multis enim vitijs tunc temporis monasterium illud scatere dicebatur) contra fas omne confirmarent, commentitias finxêre literas, tanquàm à Romano Pontifice speciali priuilegio datas; quibus Ambianensis Episcopi auctoritatem in VValerici monasterio sublatam esse contendebant: eoq; litem donis muneribusq; protraxerunt, vt vir sanctus bis Romam pergere debuerit; vbi acceptis demum à Paschali Pontifice literis cõtumaces illos monachos, sibi tanquàm patri & pastori legitimo subditos esse fecit.

Patitur à monachis S. VValerici insignem cõtumeliam.

Romam proficiscitur ad domandum monachos istos.

Post hæc vir prudens sæpiùs perpendens secularium tumultuum tempestates, præclara seruorum Dei fama, qui in Carthusia non longè à Grationopoli degebãt, excitatus, relictis omnibus, eò se contulit: atque in optatum diù solitudinis locũ cælestia tantùm contemplaturus abdidit. Præerat tunc Carthusiæ Guigo; vir doctrina & vitæ integritate conspicuus; qui Godefridum angelico planè vultu resplendentem peramanter excepit, sanctissimoque fratrum collegio indissolubili

S. Godefridus cupit in maiori Carthusia monachus fieri.

vinculo adiunxisset, ni Romani Pontificis & procerum totius Galliæ iustam indignationē veritus fuisset. Cupiebat quidem sanctus antistes reliquum vitæ suæ tēpus in ea eremo cum sanctis fratribus exigere, eaque de causa se per literas episcopatu abdicauerat: sed vbi res innotuit, dicto citius ad sedem suam reuocatus, & celerrimè è Carthusia redire compulsus est; vbi tamen multa reliquit virtutis & sanctitatis exempla: quæ etiamnum inter fratres celebri memoria vigent.

En vt subditi deficiant, absente Pastore.

Igitur reuersus ad sedem suam, rebelles subditorum animos ad solenne Quadragesimæ ieiuniū inducere conatus est. At illi episcopum nouas leges præscribere calumniantes, non modò carnibus abstinere noluerunt, sed cunctis etiam alijs oblectamentis Ecclesiæ præceptum contaminarunt. Quod cum episcopum minimè lateret, adueniente Dominicæ cœnæ die, rebellibus hanc irrogauit mulctam, vt à sacrosancta Eucharistia ad secundam vsque Paschatis feriam abstinerent. Fuit tunc reorum vnus, qui spreto antistitis mandato, sacræ communioni se ingerere non dubitauit; muliebri habitu sexum mentiens fœmineum; nè fortè à sacerdotibus agnitus repulsam pateretur. Et eccè, sumpta Eucharistia, repentè tantis tamque acerbis viscerum cruciatur doloribus, vt humi stratus, spumas ex ore eijceret cruentas, & quod indignus sumpserat, cum multo sanguine, cunctis cernentibus, euomeret.

Punitur diuinitus Eucharistiam cōtra sancti viri prohibitionem sumens.

Hæc & similia rebellium facinora mirè eius animum exulcerabant: maleuolorum insuper

& quo-

& quotidiana ferè inuidorum conuicia, versutæque machinationes, rursus, fugam ei suadebant. Hærebat illius animo eremus Carthusiæ, & suauissima sanctorum fratrum recordato lachrymas illi frequentes eliciebat: sed gregem sibi commissum quanquam rebellem & ingratum deserere nefas arbitrabatur. Crebro tamen Deum precabatur, ne ipsum in ea regione vitæ terminum claudere pateretur. Itaque Rhemorum vrbem (incertum qua de causa) petiturus, apud Suessiones in Crispini & Crispiniáni monasterio febri correptus, paucis post diebus vir sanctitate venerandus & omni laude maior è vita excessit: eodem in loco sepultus, quem in omni vita pro SS. Martyrum amore pio admodum affectu excoluerat. Eius verò monumentum, hoc insigni decorauit Epitaphio, Goslenus Suessionum Antistes; qui & multo post tempore sacras eius Reliquias, Suessiones transtulit: & antè summam aram sub testudine honorificè recondidit.

Vehementer aspirat ad Carthusiam.

Fæliciter decedit.

Epitaphiũ S. Godefridi.

Gloria Pontificum, Cleri decus. ac Monachorum
Forma, gregis Dux, exemplar morum Godefridus:
Hic iacet: astra petens, octaua Luce Nouembris.

Appellatus est hic martyr etiam Amasenus, ob locum, vbi passus est. Et Euchaita à ciuitate in quã eius corpus translatum est: quæ posteà ab eodẽ

MARTYRIVM S. THEODORI TYRONIS dicti, ad differentiam Theodori Ducis. Ex actis à Simeone Metaphraste conscriptis. Passus est anno Christi 304. teste Baron. Tom. 2. Annal.

MAXIMIANVS & Maximinus Imperatores cum per vniuersas prouincias ditioni suæ subiectas cauissent, vt omnes Christianis sacris initiati mortis euaderẽt

nominata est Theodoropolis Baron. in Notat.

9. Nouem.

Præclara S. Theodori confessio.

supplicium, si vel immolatos tantum cibos gustare voluissent, Theodorus tyro, qui in Orientis regione militabat, diuino spiritu plenus, in media Marmaritarum legione, quæ in Ponti ciuitate Amasea nomine sub Brinca Prepositio residebat, huiusmodi suæ fidei & amoris in Christum edidit confessionem. Ego Christianus, adulterinos omnes deos detestans, deinceps Christo Regi meo milito: & non alij. Eam confessionem haud mediocriter admirans Brincas, non quidem statim martyri iniecit vincula, sed liberum à se dimisit: sperans fore vt lenitate & blanditijs vinceret, quem certaminibus superandum desperabat. Intereà impij idolorum cultores ira frementes alios quosdam ciues pietate & fide præstãtes, vinctos in carcerem abripuerunt: quos Theodorus pijs monitis ad constantiam hortari non destitit.

Hortatur vinctos Christi ad constantiam.

Succendit fanum matris deorum.

Cæditur & in carcerem mittitur.

A Christo Domino & Angelis confortatur.

Illis verò in vincula cõiectis, athleta Christi temporis opportunitatem nactus, noctu fanum matri deorum consecratum igne succendit: & idola in cineres redegit. Eam ob rẽ comprehensus & Præsidis tribunali oblatus, primũ acriter cæsus, deindè in carcerem abreptus fuit: vt illic fame sitique confectus interiret. Sed sequenti nocte fuit Christi ipsius præsentia & sanctorum angelorũ mirificè confirmatus; tantoque repletus gaudio vt voces lætitiæ & exultationis plenas ederet: & carceris custodibus summam admirationem commoueret. Illi cùm psalmodiæ suauitatem auribus perciperent, conciti Publio Præsidi id renunciarunt, æstimantes forsan Christianorum multi-

tudinē in carcerem irrupisse, & vnà cū Theodoro epulis & genio indulgere. Accurrit ilicò Præses ratus se opimam nacturus prædam. Vt verò carceri proprior factus est, viditque portam custodiæ clausam, & catenam, vna cum signaculis integram, miratur: animus tamen prædæ auidus aliundè per fenestras fortè irrupisse suspicabatur. Itaque ne quis fuga elaberetur, armato milite ergastulum circundat; deindè ostio leniter reserato gradum pedetentim infert: sed iniqua spe miser delusus solum Theodorum Christi seruum in ligno constrictum inuenit. Vndè tam ipse quam satellites ipsius, timore & tremore correpti, clausa rursus custodiæ porta recesserunt: & Christi martyri panis vnciam & aquæ poculum quotidie præbuerunt; quæ ille admittere noluit: asserēs se terrestri pane non indigere, qui à Christo Iesu cælesti alebatur.

Recusat panem vel aquam impiorum.

Manè autem facto Præses productum ad tribunal miris est blanditijs aggressus; Si, inquit, morem mihi gerere volueris, ego te deorum pontificem constitui curabo: & summis auctū honoribus per omnes regni prouincias exaltabo. Ad ea Theodorus, oculis ardenti pietate ad cælum sublatis, quid tu mihi, inquit, caducos proponis honores? Ego quamdiu spiritum traho à Christi Saluatoris mei confessione nō recedo. Tum Tyrannus, inito cū Præposito consilio, in ligno eū sustolli, & latera vngulis laniari iussit. Aduolant ilicò armati lictores; sæuiunt atrociter; sed martyr immobilis permanens Christum psalmis & hymnis celebrabat; stupente sanè ad tantam illius fortitudinem &

Vide blanditias Satanæ.

Vngulis discipitur.

con-

constantiam Tyranno: qui cum neque promissis, neque cruciatibus, quidquam se promouere cerneret, ignis supplicio furens frendensq; martyrem toto iam corpore laniatum condenauit. Prolata sententia, confestim ex officinis & balneis ingens lignorum sarmentorumque fuit prolata congeries: in quam subditis ignibus coniectus martyr beatum Deo spiritũ tradidit. Fertur frontem, oculos, pectus, totumque corpus Crucis signo admiranda quadam pietate munijsse, & sic demum lætabundus è vita excessisse. Corpus fuit ab eximia pietate matrona Eusebia nomine sindone inuolutum, & preciosis delibutum vnguentis in ciuitate Euchaitarum honorificè conditum.

In ignem missus reddit Deo Spiritum.

Locus sepulturæ eius.

*ILLVSTRE MIRACVLVM IMAGINIS saluatoris, quæ à Iudæis in Vrbe Beryto crucifixa copioso manauit sanguine. Contigit (vt notat Baronius) temporibus Constantini Iuniori & Irenes * vxoris eius qui simul regnare ceperunt anno Domini 781. teste C. Baron. Tom. 9. Annalium. Tribuitur autem tractatus Athanasio Alexandrino Episcopo, sed Baronius censet potius esse Episcopi cuiusdam in Syria eodem nomine appellati.*

matris Vide C. Baronii Not. Martyr. Roman.

9. Nouem. BERYTVS ciuitas est in finibus Tyri & Sidonis sita, Antiochiensibus vectigalis: in qua frequens erat Iudæorum natio. Contigit autem vt Christianorum quidam à Iudæo conductum propè Synagogam habitaret domicilium; in quo ex aduerso lectuli venerãdam inprimis Christi Iesu fixam habebat imagi-

imaginem: integram ipsius Saluatoris proportionem insigni artificio exprimentem. Porrò cum idem Christianus ædes paulò laxiores cómodioresque ad habitãdum inquireret, ijs tandem in alio ciuitatis loco iuuentis, domicilium mutauit: & res omnes, vna illa imagine per obliuionem relicta, eo transtulit. Agebantur hæc omnia diuina quadam prouidentia; quæ hisce ipsis rebus quosdam ad sui nominis agnitionem pertrahere disponebat. Itaque Christiano illo migrante, alius quidam Iudæus loci commoditate captus; ædiculam illam conduxit; & aliquamdiu, eiuscemodi imagine affixa, ne visa quidem, illic habitauit.

Antiquissima Christi imago.

Accidit autem vt die quodam gentilium suorum quosdam ad prandium inuitaret; & vnus conuiuarum sublatis oculis imaginem illam conspiceret: moxque conuersus ad conuiuatorem, Tu, inquit Iudæus cum sis, qua fronte tandem huiuscemodi imaginem domi tuæ habere audes? Non dicam, quod plaustra conuiciorum & maledicta in Dominum Saluatorem hic effuderit. Conuiuator autem seipsum purgare studens, affirmabat etiam sanctè, se huiusmodi imaginem hactenus non vidisse: atque ita, qui inuitatus fuerat, tunc quidem tacuit; sed nefaria religionis superstitione tactus, paulò post ad principes sacerdotum hominem detulit, quod imaginem Saluatoris in ædibus conseruaret. Illi verò audita re, cum ingenti hominum eiusdem nationis turba, ad ædes illas, in quibus imago habebatur, aduolant; & Iudæum quidem extrà Synagogam eijciunt, imaginem verò furore pleni in terrã detrahunt dicentes:

Vide quos magistros sequantur Iconomachi.

Quem-

Quemadmodum patres nostri illuserunt ei, ita & nos faciamus. Tũc certatim omnes imaginem, in Christi Saluatoris iniuriam ijs affecêre conuicijs, quæ nemo sanæ mentis excogitare posset. Omnia enim illa supplicia, quæ Christus pro humani generis redemptione sustinuit, imagini irrogârunt. Tandem cunctis expletis, ne quid omitterent, vnus eorum lancea latus imaginis Dominicæ transfixit: & eccè, stupendum profecto miraculum, confestim sanguinis & aquæ riuuli emanare cœperunt. Eo spectaculo principes sacerdotum & seniores variê affecti, vt rei exitum contemplarentur, hydriam vulneri admouerunt, sanguinemque & aquam defluentem exceperunt. Fuit absque mora vlla subito repleta hydria: quam deindè ad synagogam suam detulerunt. Dicebant enim; Quoniam Christicolæ susurrant, Christum multa & inaudita in mundo patrâsse miracula, quæ omnem industriam humanã & potentiam superant, accipiamus hunc sanguinem & aquã & infirmos quoslibet ijs perungamus, & si quidem vera sunt, quæ de Christo referuntur, continuò sanitatem consequẽtur: sin autem, certè dubium non est, mera esse commenta, quæ de Christi virtute & potentia iactitant.

Vide stupendum miraculum.

Sanguis ex latere imaginis Christi, à Iudæis cõseruatur.

His dictis, hydriam ad synagogam deferũt; magna spe & desiderio suspensi, vt summam Christo æterni Regis filio iniuriam irrogent. Congregauerunt itaque ingentem languidorũ multitudinem: inter quos, quidam prouectæ ætatis vir, ab ortu membrorum omnium dissolutione miserrimè vexatus, ab eis perunctus, repen-

Miracula ex Sanguine imaginis Christi.

repentè de suo exiliens grabato Christũ Dei filium magna voce laudauit. Pari ratione cæci nonnulli amissum lumen recipere meruerunt. Indè alij plurimi varijs languoribus & infirmitatibus oppressi, mirabili Dei virtute, vndique perfusi, pristino sensu redintegrato, laudes Christo Iesu Saluatori nostro iubilârunt. Dum hæc fiunt, & omnia magnis lætitiæ vocibus perstrepunt, tantus languentiũ ad synagogam factus est concursus, vt locus, quanquam amplissimus, omnes non caperet. Nemo tamen non sanitate donatus abibat. Si enim singula, quæ illic facta sunt miracula & prodigia, referre velimus, fastidium lectori generabimus.

Iudæi permulti credunt in Christum.

Omnes autẽ principes sacerdotum & seniores & Iudæi vtriusque sexûs omnes, confestim cũ multis lachrymis & crebris singultibus, detestata perfidia, Christo sua nomina dedêre, atque ad ecclesiã pariter confluentes, magnis vocibus, metropolitani prouoluti vestigijs scelera sua confessi sunt: & cuncta, vt acciderant, eidem studiosè quærenti, ex ordine retulerunt.

Nota de imaginis antiquitate.

Ioann. 3.

Porrò Christianus ille, qui dominꝰ & hæres imaginis erat, accitus & quęsitus, vndè iconam illam habuisset, aut à quo tã mirabiliter posita esset, hæc quæ subiungimus, respondisse fertur: Nicodemꝰ qui ad Iesum noctu venisse fertur, eam imaginẽ proprijs manibus formauit; morienſq; Gamalieli testamento reliquit. Gamaliel autem cum diẽ sibi cerneret adesse extremum, Iacobo eam donauit. Iacobus verò Simeoni & Zachęo, & sic per temporũ successiones in Hierosolyma perdurauit. Cæterum imminente vrbis vastatione, quæ quadragesimo

& ter-

& tertio post assensionem Domini anno, pa trata est : Fideles à Spiritusancto admoniti, biennio antequam Titus & Vespasianus extremam vrbi cladem inferrent, cum rebus suis vniuersis ad regnum Agrippæ Regis qui cũ Romanis tunc fæderatus erat se transtulerunt. Quo tempore etiam hæc effigies cum cæteris rebus ecclesiasticis deportata, vsque hodie in Syria permansit, quam ego ipse à parentibus ex hac luce migrantibus mihi traditam iure hæreditario vsque nunc possedi. Hæc certa & indubitata ratio est, de icona sancta Domini Saluatoris, qualiter de Iudæa in Syriæ partes deuenerit.

His auditis metropolitanus incredibili gaudio perfusus Iudæos supplices peramanter excepit; & diebus plurimis Christiana disciplina erudijt: & postremò catechumenos triduano peracto ieiunio ex aqua & spiritusancto regenerauit. Illiverò vt fonte salutari lustrati sunt, synagogam suam in honorem Saluatoris consecrandam ei obtulerunt: quam metropolitanus magno cum gaudio & populi totius festiuitate ritè expiatam, Christo Domino humani generis Saluatori dedicauit. Intereà tamẽ vna cura noctes diesque eum solicitabat, quid de hydria illa quæ Dominicum intra se retinebat cruorem, ageret: aut quo satis digno honore tantum miraculum æterna celebritate dignissimum, prosequeretur. Tandem salubri reperto consilio, vitreas curauit fieri ampullas, in quibus singulas de aqua & sanguine infudit portiones: easque per Asiam Aphricam, & Europam dirigẽs, cunctos ecclesiarum antistites ad an-

Iudæi fidem Christi suscipiunt & baptizantur.

Festum huius miraculi

ad annuam tanti miraculi festiuitatem summo gaudio celebrandam admonuit. *indicitur in perpetuam rei memoriã.*

VITA SANCTAE ET SEMPER MEmorandæ Theoctistes Lesbiæ: Ex ea quæ est per Simeonem Metaphrast. conscripta.

Vide Notat. C. Baron. in Martyr. Rom. 10. Nouẽ.

LESBOS insula est in AEgæo AEolicarũ vrbium Metropolis, vniuersæ Troadis quondam obtinens imperium. In ea Methymna ciuitas est, memoratu cumprimis digna; cum propter res alias; tum vel eo solum nomine, quod Theoctisten admiranda pietate fœminam produxerit. Ea enim infans adhuc orbata parentibus in sacrarum virginum concessit monasterium, vbi annis non paucis cælesti disciplina, magno cum fructu imbuta fuit. Accidit autem vt octodecim annorũ puella, diebus Paschalibus sororẽ in vico propinquo habitantem salutatura excurreret: & animum pœnitentiæ laboribus fatigatum honesta recreatione relaxaret. Noctu autem Arabes Cretenses, facta excursione, omnes in miserandam valdè captiuitatem abduxerũt. Manè verò cum de more, barbaro planè atque nefario, pæana cecinissent, sublatis anchoris passisque velis, cum omni illa captiuorum turba in Parum nauigârunt. Adductis autem captiuis cum inter se de precio redemptionis contenderẽt, Theoctiste, accepta occasione, fuga salutẽ quęsiuit, cursuque in siluã delata, inter dumos vepresq; nõ sinè copiosa sanguinis effusione, delituit, donec scelestos illos prædones à littore soluisse, & fretum nauigare conspexit. Tum

Patria eius.

Fit monacha.

Abducitur captiua in Parum.

Capit fugam.

verò è latebris procedens, quod reliquum erat omni humano ſolatio vel auxilio, in deſerto illo, deſtituta, ad opem diuinam ſupplex cõfugit, & iam antè monaſticam edocta diſciplinã ad anachoreticam virili planè & excelſo animo, ſectandam ſeſe comparauit. Locus enim ille horridus planè atque ſyluestris, lupinorũ tantummodo ferax, extremam corpori inediã proponebat; qua tamen illa non modò non fuit deterrita, ſed vltrà annos trigintaquinque lupinis & herbis crudis vitam produxit, corpore nuda: vtpotè quæ attritis nimia vetuſtate indumentis, folijs iniuriam aëris à corpore ſuo propulſare cogeretur.

Ducit vitam anachoreticã 35. annos.

Poſt illud verò temporis ſpatiũ in tanta auſteritate exactũ, venatores quidam ex Eubœa ceruos capreaſque (quod genus animãtium in inſula illa erat multiplex) venaturi adfuêre: qui luſtra ferarũ & abdita quæq; indagantes, fœminã hanc vmbræ magis, quã homini ſimilẽ conſpexêre. Pili albi, vultus ſolis ardoribus exuſtus, pellis nigra planè atque deformis: ita vt corporis ſpecies horrorem quendam ſpectantibus incuteret. Venatorum autem vnus eam compellare auſus, Dic, inquit, quod genus animantium es? Spectrum ve an verus homo? Et illa ad Orientem conuerſa, vt timorem homini adimeret, ſublatis ad cælum manibus preces fundere, & Chriſti nomen ſupplex inuocare. Tum verò venator maiore timore correptus, vitæ illius inſtitutum, patriam, & nomen ſciſcitari. Neque enim dubitabat fœminam illam ſanctam eſſe quæ in vaſta illa & horrida ſolitudine perdurare poſſet. Illa autem

tem institui sui rationem minimè cælauit, sed cuncta ex ordine retulit, & Christi bonitatem miris præconijs extulit. Postremò subiunxit: Quandoquidem toto illo tempore, quo hanc eremum incolo, diuinorum mysteriorum particeps facta non fuerim, peto te, vt insequenti anno ad nos reuersurus (reuersurum autē te certò scio) sacrosanctum Christi corpus in munda pixide ad me deferre velis. Paruit iustæ eius petitioni venator; & elapso anni spatio cælestem illum panem detulit: quo stupenda cum pietate accepto, paulò pòst inter orationis verba Deo spiritum tradidit.

Sacra Eucharistia in Pixide ad eam deferetur.

Porrò venator ille cernens beatam fœminā è vita migrasse, magno affectus mœrore sacras eius reliquias humi mandauit & vt perpetuam tantæ sanctitatis memoriā haberet, virginemque cælesti gloria coronatam debitis laudibus celebraret, dexterā illius cultello præcidit, abditamque in sindone in patriam secum auehere cogitabat. Sed cum vesperi, prospero vento spirante, anchoras sustulisset, totamque illam noctem in nauigandi studio, haud paruo cum sudore expendisset, manè in ipso portu, ex quo se soluisse credebat, constitutum adhuc, non sinè stupore animaduertit. Ingens repentè terror cunctos inuasit. Latebat alios audax hominis facinus, qui præcisam à corpore manum in nauem intulerat. Ille verò tremebundus tacitè apud se factum damnans, confestim eam corpori restituit: & passis deindè velis mira velocitate cursum tenuit.

Eccè miraculum.

** al. Menæ Vide Not. C. Baron in ad Martyr. Rom. 11. Nouẽ.*

MARTYRIVM S. *MENNAE AEGYPtij: qui passus est in Cotyeo. Ex ea quæ est apud Metaphrasten.

Patria Mennæ.

TEMPORE *sæuissimæ illius tempestatis, quam Diocletianus & Maximianus Imperatores in Ecclesia excitârunt, præclarus Christi confessor Mennas virtute & bellicæ laudis gloria celebris, ex AEgypto oriundus, memorandum virtutis suæ & fidei in Deum posteris reliquit documentum. Cùm enim sub tribuno militum Firmiliano nomine, Præfectus numeri Rutilliacorum honorata imprimis stipendia faceret, in Cotyensium Metropoli, abiecta zona militari, constanter iniquissimum Imperatorum in Christianos edictum proscidit, militiæque renunciauit. Deindè satius esse clamitans cum feris bestijs, quam cum idolorũ cultoribus vitam agere, in deserta cõfugit: vbi ieiunijs, vigilijs & cælestium rerum meditationibus mentem corpusque exercuit; vt aliquãdò clariorem multò de hoste triumphum ageret.

** Forsan anno Domini 302. quo tẽpore acerbissima fuit in Christianos passim persecutio excitata.*

Renunciat militiæ & fugit in desertum.

Igitur hisce studijs aliquamdiu exercitatus, & armis cælestibus egregiè munitus, cum diẽ Cotyensium superstitione maximè celebrẽ, & equestris certaminis spectaculo vniuersæ ciuitati festiuum nactus esset, ilicò fortissimus Christi athleta cum hoste congressurus è deserto in ciuitatem descendit, ascendensq; sublimiorem quendam theatri locum qui omnium oculis expositus erat magna voce clamauit; Inuentus sum ab ijs qui me non quærunt: mani-

Præclarum facinus.

Esaiæ 65.

manifestus euasi ijs, qui me non interrogant. Aderat gentilium, Iudæorum, & Christianorum ingens multitudo: qui omnes, audita hac confessione, relicto equestri spectaculo, oculos repentè ad Mennam conuertunt. Nec erat difficile ex viri habitu, & inculta cæsarie, & reliquo corporis totius squalore, professionem iudicare, & inclusam in pectore religionem colligere. Itaque qui zelo pietatis incensi aderant Christiani, mirabantur martyris loquendi libertatem, summaque voluptate perfusi exiliebant. Qui autem pietatem & Christianam religionem verbis factisque oppugnabant, Iudicem ad celerem illi necem inferendam incitabant.

Ducitur ad Præsidem.

Igitur vbi vox præconis silentium indixit, populique tumultum & tibiarum sonitum sedauit, statim arreptus & ad Pyrrhum præsidem deductus martyr, quis esset, qua patria oriundus, & quo religionis genere initiatus esset dicere iussus est. Ille verò & patriam & genus & militiam ipsam, modumque exilij, cunctis audientibus exponens, postremò subiunxit: Seruus sum Christi Iesu, sponte ad præsens hoc certamen descendens. Iudex, visa viri constantia & alacritate, in custodiam eum abripi & sequenti luce ad quæstiones produci iussit.

Egregia eius confessio.

Abducitur in carcerem.

Adfuit altera die martyr minas equè vt blãditias cõtemnens: ita vt iudex territus eius libertate loquendi, animo fluctuaret apertonè Marte, an fraudibus & insidijs eum oppugnare vellet. Martyr autem suspensum Iudicis cernens animum constanter ait: S[illegible]s mihi

Admiranda animi fortitudo.

gratificari, experire potius per supplicia: Sic enim veram mihi conciliabis beatitudinem. Non tulit diutius athletæ libertatem: quin furore præcipiti ad lictores conuersus, Torquete, inquit, torquete audacem, & illam oris dicacitatem supplicijs frangite. Extensus ilicò martyr à viris quatuor crudis boum neruis atrocissimè cæsus fuit: ita vt sanguinis riui in terram defluerent. Cumque nihil ijs supplicijs moueretur, imò maiore gaudio exultaret, iussu Iudicis in ligno sublatus, ferreis fuit laceratus vnguibus, multisque ab ipso Iudice contumelijs appetitus. Cùm vero diutius carnifices sæuirent, martyr exclamans: Quis, inquit, separabit nos à charitate, quæ est in Christo Iesu? Præses autem maiore percitus insania, iubet excoriatas eius carnes pilorum asperitate atteri & confricari. Quod cum fieret: Pelliceas, inquit martyr, hodie tunicas exuo, & salutari indumento induor. Dictu mirum est, quàm vehementer hæc verba impium Iudicẽ torserint. A Estuabat nimio furore scelestus, ardentesque ignis lampades lacero corpori inferri iussit. Sed eas quoque martyr virtute Christi contemnebat, & furentẽ Iudicem ad maiora supplicia inferenda his verbis prouocabat: Edoctus à Christo Rege meo non timere eos qui corpus occidunt, animam autem occidere nõ possunt: tuos, ô tyranne, cruciatus facilè contemno. Deindè idolorum vanitatem stultitiamque redarguens, & Christi potentiã laudibus extollens, vinctus manibus pedibusque, per ferreos murices in terra sparsos summa crudelitate tractus fuit. Quo in supplicio pari

Diuè flagellatur.

Ferreis vnguibus laceratur.

Rom. 8.

En immanẽ cruciatum.

Aduritur lampadibus.

Matth. 10.

Noui cruciatus ei adhibentur.

pari virtute inuictus permanens, postremò capitis damnatus extra vrbis portas certamen absoluit. Corpus fuit incendio exustum; cuius reliquię summo fideliũ studio collectę, & mũda sindone inuolutæ, vnguentisq; & suffitibus accuratè conditæ Alexandriam indè transuectæ fuere: vbi in templo eius nomini temporibus Constantini Imperatoris constructo, stupendis miraculis claræ habentur.

Plectitur capite.

Translatio reliquiarum eius.

Timotheus Archiepiscopus Alexandrinus, præclarum de miraculis eius scripsit encomium.

VITA BEATISSIMI MARTINI, Episcopi Turonensis: Ex ea quam fidelissimè conscripsit discipulus eius Seuerus Sulpitius.

aMigrauit è corpore Anno Dominici Natalis 402. Anastasii Papæ 5. & vltimo. Arcadij & Honorij Imp. 8. AEtatis verò suæ 86. cum sedisset annos 31.

a *Teste C. Baron. Annal. Tom 5.*

EGREGIVS planè & omni laude dignissimus Martinus Sabariæ Pannoniarũ oppido oriundus, sed intra Italiã Ticini altus, parentes habuit seculi dignitate nequaquam infimos, sed gentilium nefariæ superstitioni miserè (pro dolor) deditos. Pater eiꝰ tribunitia potestate honoratus animi & corporis vires militari gloriæ consecrauerat, filiumque inuitum planè ad eadem stipendia primũ sub Constantio, deindè Iuliano faciẽda adegit. Ipse enim à primis ferè annis insita pietate permotus diuinã spirabat seruitutẽ: ita vt decem annorum puer ad Ecclesiam confugerit, seque catechumenum fieri postulauerit. Moxque mirum in modum diuino amore totus incensus ere-

11. Nouẽ.

Patria & parẽtes eius.

Fit Catechumenus.

eremum concupiuit; fecissetque votis satis, si ætatis infirmitas non obstitisset. Animo tamen aut circa Monasteria, aut ecclesias semper intentus, meditabatur in ætate puerili, quod robusta ætate vir egregiè adimpleuit: Sed cum edicto Regum cautum esset, vt veteranorum filij militiæ nomina darent, prodente patre, qui fœlicibus eius actibus inuidebat, raptus & catenis vinctus, sacramentis militaribus est implicatus; vno tantum seruo comite, contentus; cui tamen versa vice dominus seruiebat, adeò vt plerumque ei & calceamenta ipse detraheret, & ipse detergeret: cibum vnà caperent, hic sæpius ministraret. Triennium ferè ante salutare lauacrum in armis fuit, integer tamen ab his vitiis, quibus illud hominum genus implicari solet. Multa illi circà commilitones benignitas; mira charitas: patiētia verò atque humilitas vltrà humanum modum. Nam frugalitatem in eo laudare necessè non est; qua ita vsus est, vt iam illo tēpore non miles, sed monachus putaretur. Quibus rebus ita sibi omnes commilitones suos adiunxerat, vt eum miro venerarentur affectu. Necdum tamen regeneratus in Christo, agebat quendam bonis operibus baptismatis canditatum: assistere scilicet laborantibus, opem ferre miseris, egētes alere, nudos vestire, nihil sibi ex militiæ stipendijs, præter quotidianum victum, reseruare.

Cogitur militiæ operam dare.

Qualis in militia.

Egregia eius in pauperem quendam benignitas.

Itaq; nihil iā de crastino solicitus quodam tempore, media hyeme, quæ solito asperior inhorruerat, cū pauperem in porta Ambianēsium ciuitatis nudum obuiā haberet, & miserū illum

illum reliqui omnes præterirent, ille solus armis & simplici militiæ veste tectus (reliqua enim iam in opus simile consumpserat) arrepto ferro chlamydem, qua erat accinctus diuidit mediam, partemque eius pauperi tribuit, reliqua verò humeros suos rursus contegit. Nocte igitur insequenti, cùm se sopori dedisset, vidit Christum chlamydis suæ, qua pauperem texerat, parte vestitum: audiuitque Iesum ad circũstantium angelorum multitudinem clara voce dicentem: Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit. Quo viso, vir beatissimus non in gloriam est elatus humanam, sed bonitatem Dei in suo opere cognoscens, cùm esset annorum duodeuiginti ad baptismum conuolauit. Nec tamen statim militiæ nuncium remisit, tribuni sui precibus euictus, cui contubernium familiare præstabat. Etenim transacto tribunatus sui tempore, renunciaturum se seculo pollicebatur. Qua Martinus expectatione suspensus, biennio ferè à suscepto lauacro solo scilicet nomine militauit.

Christus ei apparet.

Baptizatur.

Intereà irruentibus intrà Gallias barbaris, Iulianus Cæsar coacto in vnum exercitu, apud Vangionum ciuitatem donatiuum cœpit erogare militibus. Cumque singulis (vt moris est) citatis ad Martinum ventum esset: ipse accedens ad Cæsarem; Hactenus, inquit, tibi militaui; nunc patere, vt militem Deo: donatiuum tuum pugnaturus accipiat alter; Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet. Tum verò aduersus ad hanc vocem Tyrannus infremuit; dicens eum metu pugnæ, quæ postera die erat futura, non religionis gratia detrectare mili-

Detrectat militiam.

tiam. At Martinus intrepidus, imò illato sibi terrore constantior: Si hoc, inquit, ignauiæ adscribitur, non fidei, crastina die antè aciem inermis adstabo, & in nomine Domini Iesu, signo Crucis non clypeo protectus, hostium cuneos penetrabo securus. Retrudi ergò in custodiam iubetur: facturus fidem dictis, vt inermis barbaris obijceretur. Postera die hostes, pacis legatos miserunt, & se suaque omnia dediderunt.

Adit S. Hilarium S. Martinus.

Exindè relicta militia, sanctum Hilarium Pictauiæ ciuitatis Episcopum expetijt, & aliquamdiù apud eum, spectata eruditiõe & pietate virum, commoratus est. Hilarius autem hominis ingenio & religione delectatus, vt arctius eum sibi implicaret, diaconatus officio & diuino vincire ministerio conatus est. Sed cùm ille indignum se clamitans sępiùs resisteret, Episcopus intelligẽs eum infima quęq; prę humilitate sectari, & illũ eo officio in quo iniuriæ quidã locũ esse videretur posse cõstringi, exorcistã ordinauit. Quam ille ordinationem minimè repudiauit. Nec multò post per soporem admonitus, vt patriam parentesque, quos adhuc gentilitas detinebat, religiosa solicitudine visitaret, mœstus peregrinationem illam aggressus est; contestans fratres, multa se aduersa passurum: quod postea euentus probauit.

Ordinatur exorcista.

Redit in patriam.

Ac primùm inter alpes deuia secutus, incidit in latrones; quorum vnus cùm eleuata securi caput ei secare vellet, ictum ferientis dexteræ sustinuit alter: ipse interim animo ac mente ità securus vt percũctanti latroni, nom

Incidit in latrones.

quo

quo terrore correptus esset, respōderit: Se nunquàm magis fuisse securum, quòd sciret Domini misericordiam maximè in tēntationibus affuturam. Euangelicam deindè aggressus disputationē, latronem illum adeò perfectè ad Christum conuertit, vt religiosam posteà duxerit vitam. Martinus indè progressus, cùm Mediolanum præterijsset, diabolum in humana effigie obuium habuit; qui, quò tenderet, ab eo requirens, cùm hoc responsi accepisset, se, quò Dominus vocaret, intendere; ait ad eum: Quocunque ieris, diabolus tibi aduersabitur. Tunc vir sanctus voce prophetica: Dominus, inquit, mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo: statimque è conspectu eius inimicus euanuit. Itaque vt animo ac mente conceperat, matrem gentilitatis absoluit errore, patre in malis perseuerante; plures tamen suo saluauit exemplo: & vnus inter omnes Arianæ perfidiæ pestilentissimè grassanti præcipua virtute resistens, multis est affectus iniurijs, publiceque virgis cæsus ad extremum exilio mulctatus est.

Latronem conuertit.

Diabolus ei fit obuium.

Psalm 117.

Conuertit matrem.

Multa patitur ab Arianis.

Italiam igitur repetens, Mediolani sibi monasteriū statuit. Sed nec ibi eum Auxentius Arianorū auctor & princeps latitare passus est: quin potius multis oneratum iniurijs de ciuitate exturbauit. Cedendum itaque tempori arbitratus, ad insulam Gallinariam nomine secessit: vbi herbarum aliquamdiù radicibus victitans, helleborum venenatum, vt ferunt, gramen per imprudentiam sumpsit. Cumque vim grassantis in se veneni, vicina iam morte, sensisset, imminens periculum oratione repulit,

Vim veneni oratione euacuat.

dolo-

doloremque fugauit. Nec multò pòst, cum S. Hilario (qui similiter hæreticorum fraudibus in exilium missus fuerat) potestatem redeundi à Rege indultam fuisse comperisset, Romæ ei tentauit occurrere: profectus igitur est ad Vrbem. Sed cum Hilarius iam præterijsset: eum Pictauum vsque prosecutus est.

Construit monasteriũ propè Pictauum.

Ab eo autem gratissimè susceptus, haud longè ab oppido monasterium collocauit: vbi inter cæteros quidam etiam catechumenus ei se iunxit; qui paulò post, languore correptus, tãdem vi febrium, absente fortè per id tempus Martino, extinctus est. Reuersus verò cùm absque baptismate humanis rebus eum excessisse cognosceret, flens eiulansque super exanimata defuncti fratris se membra prosternens, orationi aliquamdiù incubuit: sentiẽsque per spiritum Domini adesse virtutem, erectus paululùm, & in defuncti ora defixus, misericordiæ diuinæ intrepidus expectabat aduentum. Vixque duarum ferè horarum spatium intercesserat, vidit defunctum paulatim membris omnibus commoueri, & laxatis in vsum vidẽdi palpitare luminibus. Nec multò pòst dum agrum Lupicini cuiusdam honorati secundùm seculum viri præteriret, clamore & luctu plangentis turbæ exceptus, intelligit vnum è familia seruulum laqueo sibi vitam extorsisse. Quo cognito, cellulam, in qua corpus iacebat exanime, ingreditur; exclusisq; omnibus, superstratus corpori preces fudit. Moxque in ora illius defunctus erigitur, lentoque conamine enisus assurgere, apprehensa beati viri dextera, in pedes constitit, omnique inspectante turba, ad

Excitat mortuum.

Itẽ alterum.

domus

domûs vestibulum processit. Sub idem verò tempus vir diuinus apud omnes tunc sanctitatis opinione celebris ad Turonicæ ecclesiæ Episcopatum petebatur. Sed cum è suo monasterio non facilè erui posset, Ruricius quidam vnus è ciuibus, vxoris languore simulato, ad genua illius prouolutus, vt egrederetur, obtinuit. Ità dispositis iam in itinere ciuium turbis, sub quadam custodia ad ciuitatem vsque deducitur. Mirum in modum incredibilis multitudo non solum ex illo oppido, sed etiam ex vicinis vrbibus ad ferenda conuenerat suffragia. Vna omnium voluntas, eadẽ vota, eademque sententia, Martinum Episcopatu esse dignissimum: felicem fore tali Ecclesiam sacerdote. Pauci tamen, & nonnulli ex Episcopis, qui ad constituendum antistitem fuerant euocati, impiè repugnabant. Inter eos quidam Defensor nomine pertinaciter resistebat; qui tamen Prophetica lectione eodem die mirabiliter repressus est. Cùm enim, sumpto psalterio, vnus è ministris, sacras literas de more cõsuleret, prima sorte in eum incidit versum: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & defensorem. Quo lecto, clamor populi tollitur, pars aduersa confunditur. Atque ità habitum est, diuino nutu psalmum hunc lectum fuisse, vt testimonium operis sui Defensor audiret; quia ex ore infantium & lactentium in Martino Domini laude perfecta, & ostensus pariter & destructus est inimicus.

Eligitur Turonensis Episcopus.

Psalm. 8.

Iam verò sumpto episcopatu, qualẽ se quantumque præstiterit, non est nostræ facultatis euolue-

Qualis in episcopatu.

euoluere. Eadem in corde eius humilitas, eadē in vestitu eius vilitas erat. Atque ita plenus auctoritatis & gratię implebat Episcopi dignitatem: vt non tamen propositum monachi virtutemque desereret. Aliquamdiù adhærenti ad Ecclesiam vsus est cellula: sed cùm frequentem populi ad se concursum ferre non posset, duobus ferè extrà ciuitatem millibus monasterium sibi statuit: ad quod adeò difficilis erat accessus, videlicet propter præcisam excelsi montis rupem, & Ligurem fluuium, vt ab eremi solitudine nihil distaret. In eo monasterio discipulos habebat octoginta, tam excellenter in omni virtutum genere & cælesti disciplina exercitatos, vt multi eorum posteà ad episcopi dignitatem euecti fuerint. Cæterùm cùm in ea regione pauci adhuc Christiana essent religione imbuti, beatus antistes suo suorumque exemplo, impietatem ex omnium ferè animis breui ità profligauit, vt fana in ecclesias & monasteria libenter conuerterent, & Martinum cuncti certatim prædicarent.

Condit monasterium iam episcopus.

Insignes habet discipulos.

Conuertit omnes loci istius gentiles.

Erat quodam in vico, arbor pinus fano antiquissimo proxima; quam vir beatus cùm excidere vellet, antistes loci illius, cæteraq; gentilium turba cæpit obsistere. Et licet fanum dirui permiserant, nullo tamen modo arborem succidi patiebantur. Cumque vir sanctus verbis instaret, vt dæmoni dedicata arbor excinderetur, vnus ex illis, cæteris audacior: Si aliqua, inquit, tibi in Deo tuo, quem colis, est fiducia nos eam excindemus: ita tamē, vt tu eam labentem excipias, & Christi tui virtutem nobis pariter manifestā facias. Ad hanc conditionem

nem omnis illa gentilium turba mirificè exultans, facilem sibi arboris proponebat iacturã, si inimicum sacrorũ suorũ casu ilius obtriuissent. Nec recusauit vir sanctissimus, quin vinctus pro rusticorũ arbitrio eo in loco statueretur, quò arborem esse casuram nemo dubitabat. Succidere igitur ipsi suam pinum cum ingenti gaudio lætitiaque cæperũt. Aderat eminùs turba mirantium. Cumque nutare paulatim pinus, & ruinam minitari inciperet, monachi pallore perfusi, & periculi magnitudine conterriti, spe omni fideq; abiecta, solam Martini mortem expectabant. At ille Christi virtuti & gratiæ confisus, intrepidè ruentem opperiens pinum, eleuata manu contrà salutiferæ Crucis opposuit signum; & iam iamque labantem (mirabile dictu) quasi turbine retroactam, in alteram partem ruere fecit. Tum verò in cælum clamore sublato, gentiles stupere miraculo, monachi flere præ gaudio; Christi nomen in commune ab omnibus prædicari: satisque constitit, eo die salutem illi venisse regioni. Nam nemo ferè ex immani illa multitudine gentilium fuit, qui non impositione manus desiderata, in Dominum Iesum Christum, relicto impietatis errore, crediderit.

En virtutem S. Crucis signi.

Nec minorem sub idem ferè tempus eodem in opere virtutem edidit. Cùm enim in vico, cui Leprosum nomen est, templum superstitiosæ religionis opulentissimum euertere statueret, & gentilium multitudo non absque iniuria eum repelleret, ipse ad proxima secedẽs loca, diuinam toto triduo cilicio & cinere tectus implorauit opem: & eccè subitò duo ange-

Angeli ei apparent & assistunt in euertendis dæmonum fanis.

angeli hastis scutisque instar militiæ cælestis muniti se ei obtulerunt; dicentes se à Domino missos vt fusa fugataque rusticorum multitudine, præsidium Martino ferrent. Regressus igitur vir sanctus ad vicum, spectantibus gentilium turbis profanam succendit ædem, arasq; omnes & simulachra in puluerē redegit. Cùm verò in Heduorum pago idem moliretur, & vnus cæteris audacior stricto eum gladio peteret, ipse reiecto pallio nudam ceruicem percussori præbuit. Sacrilegus autem cùm eleuata altius dextera ferire vellet, subitò diuina virtute resupinus ruens, quanto se scelere obstrinxerat, cognouit. Alia sunt huiusmodi virtutum genera penè infinita: & miracula sanè clarissima, quibus eum Dominus in fugandis morbis, & dæmonibus pellendis egregiè illustrauit.

Infinitis claret miraculis.

Sed vt minora tantis inseram, quamuis (vt est nostrorum ætas temporum, quibus iam deprauata omnia, atque corrupta sunt) penè præcipuum sit, adulationi regiæ sacerdotalem nō cessisse constantiam: cum ad Imperatorem Maximum ferocis ingenij virum, & bellorum ciuilium victoria elatum, plures ex diuersis partibus episcopi cōueniissent, & fœda circa Principem omnium adulatio notaretur, seque degeneri inconstantia regiæ clientelæ sacerdotalis dignitas subdidisset, in solo Martino Apostolica auctoritas permanet. Nam etsi pro aliquibus supplicandum regi fuit, imperauit potiùs quā rogauit. Et à conuiuio eius frequenter rogatus abstinuit, dicens, se mensæ eius participem esse non posse, qui duos Imperatores

Egregia Martini in redarguendo Imperatore constantia.

*vnum

*vnum regno, * alterum vita expulisset. Postremò cum Maximus se non sponte sumpsisse imperium affirmaret, sed impositam sibi à militibus diuino nutu necessitatem regni, armis defendisse, tandem victus vel ratione vel precibus ad conuiuium venit; mirum in modum gaudente rege, quod id impetrasset. Aderant conuiuæ veluti ad diem festum euocati, summi atq; illustres viri; inter quos Martini presbyter medius accubuerat: ipse autem cellula iuxtà regem posita consederat: Ad medium verò conuiuium vbi pateram (vt moris est) minister Regi obtulisset, ille sancto admodum Episcopo dari potiùs iubet; expectans atque ambiens, vt ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus vbi ebibit, pateram presbytero suo tradidit; nullum scilicet existimás digniorem, qui post se prior biberet. Quod factum Imperator, omnesque qui aderant ita admirati sunt, vt hoc ipsum eis, in quo contempti fuerant, placeret; celeberrimumq; per totum palatium euasit, fecisse Martinum in Regis prandio, quod in infimorum Iudicum conuiuijs, episcoporum nemo vnquàm tentasset. Prædixit autem longè antè eidem Maximo futurum, vt si ad Italiam pergeret, bellum Valentiniano Imperatori inferens, sciret se primo quidem impetu victorem futurum, sed paruo pòst tempore esse periturum. Quod planè vaticinium impletum vidimus. Nam primo aduentu eius Valentinianus in fugam versus, post anni spatium resumptis viribus cum Theodosio reuersus, captũ intra Aquileiæ muros Maximum interfecit.

*Valẽtinianum iuniorẽ.
*Gratianũ.

*En quanti m vir sanctissimus tribuerit sacerdotio.

Prædixit Maximo interitum.

Angeli eius castimonia delectantur.

Cæterùm vt ad Martinum recertamur, constat eum tanta vitæ castimonia enituisse, vt sæpè familiari angelorũ conspectu atq; sermone frueretur. Nihil enim in illi⁹ ore, nisi Christus; nihil in corde, nisi pax, misericordia & pietas inerat. Porrò tantæ sunt tamque eximiæ illius virtutes, vt nulla vnquam pro dignitate explicare queat oratio. Animus cælo semper intentus; ieiunijs, vigilijs & orationibus vacabat assiduè: ita vt ne inter occupationes gratissimas mentem à studio precandi relaxaret. O virum vere beatũ, in quo dolus omninò nullus fuit.

Assiduum orationis studium.

Eximiæ eius virtutes.

Nemo eum vnquam vel iratũ, vel mœrentem, vel ridentem vidit; vnus idemque semper, cælestem quodammodò vultu præ se ferebat lætitiam: iniuriarum omniũ adeò patiens, vt ab infimis etiam Clericis Læsus, nunquàm nè verbulo quidem vindictam sumpserit. Sed iuuat adhuc paucas quasdam ex omnibus tanti viri referre virtutes, vt clariùs ex ijs admiranda illius sanctitas elucescat.

Humilitas summa.

Et quidem summus humilitatis amator nunquam sublimi, in ecclesia, cathedra vti voluit: sed in tripode residebat: nec Clericorum multitudine ad gloriã stipatus, sed permissa à clericis libertate, in secretario solus planè ad peragenda mysteria precib. lachrymisq; se comparabat. Accidit aũt vt quidã pauper seminudus hybernis mensib. eunti ad Ecclesiã occurreret, & aliquod suæ nuditati operimentũ supplex postularet. Tunc ille accersito archidiacono iussit algentem sinè dilatione vestiri. Sed cùm ille mandatum negligeret, pauper beati viri secretum captans, irrupit; & nouis querimonijs

monijs nuditatem ſuam ſancti epiſcopi oculis obiecit. Nec mora: Martinus intra amphibalũ, paupere minimè videntè, tunicam ſibi latenter educens, eaque eum contegens ocyùs diſcedere iubet.

Nota inſignẽ benignitatẽ in pauperem.

Paulò autem pòſt ingreſſus archidiaconus, admonet eum frequentem in eccleſia populũ Miſſarum præſtolari ſolennia: tempus eſſe vt procedat. Cui antiſtes negat ſe ad eccleſiã procedere poſſe, niſi veſtem priùs pauper (ſe autẽ intelligebat) acciperet. Diaconus verò nihil intelligens, quia extrinſecùs amphibalo indutum, interius veſte nudum nõ videbat: poſtremò pauperem non cõparere cauſatur. At Martinus: mihi, inquit, veſtis, quæ parata eſt, deferatur: pauper non deerit veſtiendus. Arctatus demùm clericus & neceſſitate cõpulſus, iamq; felle commotus, è proximis tabernis breuem atque hiſpidam quinq; argenteis comparatam adducit veſtem; eamque ad pedes antiſtitis exponens: En, inquit, veſtem, ſed pauper iam receſſit. Ille nihil motus, iubet eum paulùm ſtare pro foribus, vtique vt occultè nuda interim membra contegeret. Cùm hac igitur Deo oblaturus ſacrificium procedit: & eccè globus de capite illius igneus emicans, ità in ſublime contendit, vt longiùs collum crinemque flamma produceret.

En inſigne miraculum.

Cùm primùm ad epiſcopi dignitatem euectus eſſet, quædam neceſſitas Valentinianum, qui tunc rerum potiebatur, eum adire coëgit. Is autem Martinum venientem palatij foribus arceri iuſſit: quòd poſtulata antiſtitis concedere nollet. Accedebat ad animum illius

immitem atque ſuperbum vxor Ariana, quæ totum eum à ſancto viro auerteret. Itaque vir ſanctus ſemel iterumque repulſam paſſus, ad opem diuinam ſupplex confugit. Septimò verò die ab angelo monitus, vt regiam ſpontè reſerandam peteret, & ſuperbum Principem diuina virtute molliendũ adiret intrepidò, fretus eo auxilio palatium tertiò acceſſit. Patent limina; nullus obſiſtit; intrat aulæ penetralia: & poſtremò ad ipſum, nemine prohibente, Regem peruenit. Qui venientẽ eminùs cõſpiciẽs, nequaquàm adſtãti aſſurgere eſt dignatus; donec regiã ſellam ignis operiret, ipſumque Regem, ea corporis parte, qua ſedebat, afflaret incendium. Ita ſolio ſuo ſuperbus excutitur, & Martino inuitus aſſurgit: multumque complexus, quem ſpernere antè decreuerat, virtutem ſe ſenſiſſe diuinam emendatior fatebatur. Nec exſpectatis Martini precibus, priùs omnia præſtitit, quam Rogaretur. Colloquio illum atq; conuiuio frequenter aſſciuit: poſtremò abeunti multa munera obtulit: quæ vir beatus, vt ſemper paupertatis cuſtos cuncta reiecit. Sed maior tamen ille honos & planè admirandus, quem Regina Maximi Imperatoris coniunx ei impendit.

Superbia Imperatoris diuinitus punitur.

Munera ſpernit.

Cùm enim Imperator ille ſepiùs euocatum antiſtitem ſumma in palatio veneratione proſequeretur; eiuſque ſermones de fidelium gloria, de æternitate ſanctorũ, incredibili auiditate audiret: Regina dieb. ac noctibus de ore illi pendẽs, Euangelico illo nõ inferior exemplo, pedes ſancti fletu rigabat, crine tergebat. Martinus quem nulla vnquàm fęmina contigiſſet illius

Nota quãto honore Regina S. Martinum proſequatur. Lucæ 7.

illius assiduitatem, imo potiùs seruitutem non poterat euadere. Non illa opes regni, non imperij dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat: diuelli à Martini pedibus solo strata nô poterat. Postremò à viro suo poscit, dein Martinum vterque compellunt, vt ei, remotis omnibus ministris præberet sola conuiuium. Nec potuit vir beatus obstinatiùs reluctari. Componitur castus Reginæ manibus apparatus, sellulam ipsa consternit, mensam admouet, aquam manibus subministrat, cibum, quem ipsa coxerat, apponit. Ipsa, illo sedente, eminùs secundùm famulantium disciplinam, solo fixa, consistit immobilis; per omnia ministrantis modestiam, & humilitatem exhibens seruientis. Finita cœnula, fragmenta panis absumpti micasque collegit, satis fideliter illas reliquias Imperialibus epulis anteponens.

Nunc verò Auitiani quondam Comitis barbaram nimis & vltra omnes cruentam quoque referamus feritatem: vt simul sanctissimi viri misericordia luce meridiana clariùs innotescat. Ille igitur Comes rabido spiritu Turonum ciuitatem ingressus, ingentem post se, miserabili sanè facie, catenarum vinculis cõstrictam trahebat multitudinem, quam, postera die, diuersis pœnarum generibus perdere statuebat. Quod vbi Martinus comperit, solus paulò antè mediam noctem ad prætorium bestiæ illius contendit. Sed cùm profundę noctis silentio, quiescentibus cunctis, nulli foribus obseratis pateret ingressus, antè limina cruenta prosternitur. Intereà Auitianus graui som-

Insignis Martini misericordia in redimendis captiuis.

no sepultus, angelo irruente percellitur: Seruus, inquit, Dei ad tua limina iacet, & tu quiescis? Qua ille voce percepta lecto suo turbatus excutitur: conuocatisque seruis, trepidus exclamat, Martinum esse præ foribus: Ire protinùs, claustra reserarent, ne Dei seruus pateretur iniuriam. Sed illi (vt est omnium natura seruorum) vix prima limina egressi, irridentes dominum suum, quod somno fuisset illusus, negant quenquam esse præ foribus; ex suomet ingenio coniectantes neminem nocte posse vigilare; nedùm illi crederent in illo noctis horrore iacere ad aliena limina sacerdotem. Idque Auitiano facilè persuasum: rursus soluitur in soporem. Sed mox vi maiore concussus, exclamat Martinum stare præ foribus: sibi ideò nullam quietem animi corporisque permitti. Tardantibus seruis, ipse ad limina exteriora progreditur. Ibi Martinum, vt senserat, deprehendit. Percussus miser tantæ manifestatione virtutis: Quid, inquit, hoc Domine mi fecisti? Nihil te loqui necesse est: Scio quid desideres; video quid requiras: decede quantocyùs, ne me ob iniuriam tui, cælestis ira consumat: satis soluerim hucusque pœnarum. Post discessum autem sancti iubet omnes relaxari custodias: & mox ipse proficiscitur. Ita fugato Auitiano, & miseris illis è mortis faucibus liberatis, ciuitas magno exultauit gaudio, & Martini misericordiam cum tanta virtute coniunctam mirè celebrauit.

Nos si cuncta ab illo patrata miracula referre velimus, modum profectò omnem excedemus, & faciliùs admirari quàm explicare poteri-

terimus. Quare ad obitū illius veniamus, quē multò antè prophetiæ ſpiritu clar⁹ cognouit. Intereà cauſa extitit, qua Condatēſem Eccleſiā viſitaret. Vbi cùm aliquandiù vltimam virtutum ſuarum conſummationem exerceret, corporis viribus repentè deſtitutus in lectum incidit. Cumque luctu & mœrore nimio exceſſum eius diſcipuli deplorarent, ille fletibus ſuorum motus: Domine, inquit, ſi adhuc populo tuo neceſſarius videor, nō recuſo laborem: Fiat voluntas tua. Indè aliquot diebus vi febrium exercitatus in cinere cilicioque recubans, cùm aſſiduo orationis ſtudio exitum ſuū muniret, fortè adſtantem propè vidit diabolum. Tum verò fiducia plenus: Quid hic, inquit, adſtas, cruenta beſtia? Nihil in me funeſte reperies: Abrahæ me ſinus recipiet. Cum his vocibus fatigatum diuinis operibus ſpiritum cælo reddidit. Quo tempore angelos diuinas laudes concinentes beatus Seuerinus Coloniensis epiſcopus cum Archidiacono ſuo Euergiſlo audire meruit.

Vidit dæmonem in agone.

Feliciter migrat.

S. Seuerini vita habetur 23 Octob.

VITA S. LIVINI ARCHIEPISCOPI & Martyris: Ex breuiario Gandenſi, vbi ſacrum eius corpus quieſcit. Coronatus eſt anno Domini 633.

Vide Iohan. Molan. in Indic. SS. Belgij.

LIVINVS in Scotia nobili genere natus, admodùm adhuc puer, non modò ſupra ætatem eximia pietate conſpicuus, verū etiam miraculis clarus fuit. Adultæ autem ætatis factus, præceptoribus vſus eſt, primùm egregio Dei ſacerdote Benigno: deindè ſuſce-

12. Nouēb.

Patria eius.

Præceptores eius in ſtudijs.

Huius S. Augustini vita habetur 26 Maij.

Fit Archiepiscopus in Scotia.

susceptore suo è sacro fonte magno illo Augustino, Anglorum primo episcopo. A quo tandem etiam sacro sacerdotij ordine decoratus, tãta cum laude eo in statu versatus est, vt eum Scoti non multò pòst in Archiepiscopum suũ eligere non dubitauerint. Quod munus tametsi Rege populoque compellente susceperit, & magno cum fructu annos aliquot administrauerit, posteà tamen maluit infidelibus ad Christum conuertendis operam dare (ad quam rem mira Spiritus sancti gratia præditus erat) quàm in episcopatu suo vni tantũ prouinciæ quietiùs & minori cum laude præesse.

Flagrat zelo animarum.

Itaque relicto in Scotia loco suo magnæ sanctitatis & virtutis Syluano Archidiacono, ipse Euãgelij plantandi causa trib. cum discipulis Foillano, Helia, & Kiliano, Oceano traiecto deuenit in Flandriam. Et ingressus cœnobium Gandẽse à B. Amando Episcopo tunc recẽs extructum, humaniter à Florberto Abbate fratribusq; exceptus est, anno Salutis humanę 633. 17. Kalend. Augusti. Vbi cùm beatum Bauonem triennio iam defunctum, magnis coruscantem miraculis inueniret, memoriam viri celeberrimam & præsentia sanctitatis testimonia admiratus, triginta continuos dies super eius sepulchrum Missarum solennia celebrauit, sui illi multis precibus & monasterij Gandensis curam demandans. Posteà autem indè prædicationis causa profectus, innumeros ad Christi fidem, verbo, exemplo, magnisque adiunctis miraculis conuertebat.

Ex Scotia venit in Flãdriam

S. Amandi vita extat 6. Februar.

S. Bauonis vita extat 1. Octob.

Multos conuertit.

Sed virtutẽ vmbra sua statim inuida sequitur. Homines enim impij, quibus Christus & pietas

pietas omnis erat exosa, animaduertentes sanctum episcopum tantam hominum multitudinem ad nouam religionem, erroribus pristinis, vitijsque spretis, adducere, atque adeò sui ipsorum prauis cupiditatibus non parum obsistere, miris modis eum persequebantur. Nec omninò desistebant, donec linguam eius extractam canibus deuorandam proijcerẽt (quæ tamen illi mox fuit miraculo restituta) ac tãdem apud Hescham Flandriæ vicum multis vulneribus saucium, etiam obtruncarent. Quo eodem loco nobilem quoque & religiosam matronam Craphahildem Liuini hospitam, vna cum filiolo eius Brictio, quẽ Liuinus de sacro fonte susceperat, quum palam quererentur immerito interfectum esse sanctum episcopum, immaniter trucidârunt. Quo facto, discipuli beati collectum eius corpus, simul cum beati Brictij corpusculo, vno eodemque in loculo in Hautem vicino pago, ac iuxtà eos seorsum sanctam martyrem Craphahildem, decenter sepeliêrunt. Porrò anno 1007. Erembodus Abbas, ex memorato pago, sacra illa pignora Gaudauum ad suum monasterium trãstulit.

Lingua canibus proiecta diuinitus ei restituitur. Crudeliter trucidatur, cum hospita, & eius filiolo.

Translatio reliquiarum eorum.

VITA S. CVNIBERTI EPISCOPI Coloniensis & Confessoris: Ex ea quæ extat apud R. P. Laur. Surium. Successit in episcopatu S. Remedio anno Domini 653.

Vide Notat. C. Baron. ad Martyr. Rom.

S. Cunibertus in prouincia Mosellensi, patre Crallo, matre verò Regina nomine natus, ea adhuc puer virtute, & animi sagacitate præditus fuit, vt sinistrum

12. Nouẽ. *Patria & parẽtes eius.*

Pytagoricæ literæ ramum prius declinaret, quam per ætatem eiusdem biuium ascendere posset. Cùm enim pater eius, genere & dignitate clarus, puerum elegantem in primis infantiæ rudimẽtis aptum, virtutibus Dagoberto magno Francorum Regi nutriendum simul & prouehendum, illectus familiaritate regia, commendásset, ipse mirum in modum non tãtum ab illicitis, verumetiam multoties à licitis, naturam compescuit; & cupiditate compressa, animum ad studium sapientiæ præclarè excitauit. Erat laudibus mansuetudinis & patientiæ egregiè ornatus; ingenio ita docilis vt magistrorum industriam etiam superaret. Comitas eius grata erat omnibus; humilitas verò & promptum omnibus benignè faciendi studium cunctis magnæ planè admirationi erat. Non enim Regi tantum & maioribus iuxtà personæ cuiusque dignitatem deseruire studebat, sed ipsis etiam non rarò seruorum vice calceamenta detrahere, & mundare solebat: quæ officia ita exercebat, vt per ea inflatos sæpè nobilium animos ad humilitatis studium, humanæque vitæ cognitionem mira dexteritate prouocaret.

Traditur nutriendus Regi Dagoberto.

Egregiæ illius virtutes.

Insignis eius humilitas.

Cum verò ab hoc primo exercitij gradu vellet illum Dominus ad altiora virtutum incrementa conscendere, reuelare dignatus est Regi, quanti apud ipsum meriti puerilis illa simplicitas haberetur. Quadam enim nocte dum peruigil Rex in lecto quiesceret, vidit subitò locum illum, vbi sanctus puer soporis gratia membra fessa composuit, magnifico lumine resplendere; & futura pueri facta cælesti præsagio

Visio Regis de Cuniberto.

ſagio denotari. Manè itaq; facto, Rex miraculi nouitate perterritus, magnum futuræ ſanctitatis præſagium intellexit. Itaque accitum ad ſe puerum, ſolito familiarius alloquutus eſt, & adoptatum ſibi in filij locum, amplexu dulciſſimo exoſculans, coram omnibus illuſtre de puero innocentiæ teſtimonium perhibuit.

Adoptat eũ in filiũ Rex Dagobertũ.

Exin igitur literis apprimè eruditus ad eccleſiaſticos honores mox promotus eſt: quos & excellentibus illuſtrauit meritis, & cõgruentibus adornare curauit obſequijs. Itaque auctus benedictione cæleſti à Treuirorum Archiepiſcopo, officio Archidiaconatûs ſublimatus eſt. Vbi mirum in modum totus in Dei opere feruens, vitæque huius quodammodò exoſus, ſolum animarum lucrum ob oculos ſibi ſtatuebat: vnicè huic rei intentus, vt plurimos Chriſto lucrifaceret.

Fit Archidiaconus.

Elapſis deindè paucis annorum curriculis, Clerus & populus Agrippinę Colonię, paſtore proprio deſtitutus, virum Dei Cunibertũ iam in opere Dei exercitatum ſibi antiſtitem cum vocibus, tum precibus implorauit. Nec difficilè erat ad id honoris eum euehere, quem Rex olim anxia expectatione promouere quærebat: & omnis tripartitæ Galliæ populus digniſſimum & verè plebi Dei neceſſarium prædicabat. Sola in eo repugnabat humilitas: quæ conſtantiſſimè ſummum illud honoris faſtigium reſpuebat. Tandem conuenientibus in vnum maioribus, maximoq; ſacerdotum & aliorum principum cœtu, fortiſſimum viri Dei pectus charitati tantum cedere ſolitum, à propoſiti ſui duritia emollitum eſt. Sicque nutu diui-

Fit Archiepiscopus Coloniensis.

diuino. Remedio antistiti successor electus, septimo Kalendas Octobris gradum illum dignitatis conscendit. Deindè talem se tantumq; exhibuit, vt nulla vis orationis pro dignitate hoc explicare queat. Veruntamẽ vnicum de omnibus referre placet miraculũ; ex quo vitæ vel doctrinæ ipsius insignia luce meridiana clarius cognosci possunt.

Ecclesia vndecim millium Virginum.

Quadam die dum singulare redemptionis nostræ mysterium in basilica sanctarum Virginum immolaret, adstans Clerus populusque splendidissimam vidit hac atque illac per omnem ecclesiam volitare columbam: quæ deindè pontificis insidens capiti, tandem ad virginis cuiusdam tumulum, stupẽtibus simul & mirantibus vniuersis qui aderant, ab omnium oculis subitò euanuit. Acclamatum est confestim ab omnibus verè dignum hunc esse, qui immaculata Domino pro populi salute offerret sacrificia. At ille in omnibus his clauso cordis sui cubiculo laudabat Dominum, & humanas laudes constanter respuens, solo conscientiæ suæ testimonio cõtentus, Christo seruiebat. Sicque sitiens & esuriens iustitiam, cũ totos quadraginta in sacra illa functione cõplesset annos, tandem pridiè Iduum Nouembris ditãdum bonis omnibus creatori suo reddidit Spiritum. Corpus eius sicut viuens ipse præceperat, positum est in S. Clementis, quam ipse cõstruxerat. Fuit verò illustri sanè miraculo sacra ædes D. Petri, anno Domini millesimo octuagesimo, eius meritis ab incendio, quo cõflagrabat, mirabiliter liberata. Cum enim monasterium ad gradus Mariæ in cineres redactũ esset,

En præclarũ miraculum.

Contemnit laudes humanas.

Ecclesia S. Petri preibus S.

esset & vorax flamma prædictam ædem similiter inuasisser, congregatio S. Cuniberti dum eiusdem sanctissimi Patroni corpus contrà ignem gemendo & lachrymando deferret, confestim flamma euanuit, & sacra domus à repentino interitu immunis permansit.

Cuniberti ab incendio haberatur.

VITA S. BRICTII EPISCOPI TVronensis discipuli S. Martini: Ex ea quæ est per Gregorium Turonensem, lib. 2. Hist. Francor. cap. 1.

Vide Tom. 5. Annal. C. Baron & Notat. ad Martyr. Roman. 13. Nouēb.

POST gloriosum beati Martini, Turonicæ ciuitatis Episcopi, summi & incomparabilis viri [a] decessum, Brictio ei discipulus in eo dignitatis gradu successit. At verò hic Brictius primeuæ adhuc ætatis iuuenis multum à magistri sui perfectione remotus, varias ei tendebat insidias, & sæpè furibundus virum optimum, & omni sanctitatis laude cōspicuum tantis onerabat conuicijs, vt ægrè interdum à manibus temperaret. Quadam verò die dum quidam corporis ægrimonia oppressus, medicinam à B. Martino expeteret, fortè Brictium adhuc Diaconum in platea obuium habuit. Qui cum ab eo de Martino inquireret, ipse solitis inuidiæ stimulis in virum sanctum concitatus, Si, inquit, delirum illum quæris, prospice eminus. Eccè, cælum solitò sicut amens respicit. Cumque pauper ille voti compos factus iam recessisset: vir sanctissimus placida voce Brictium compellans; Num ego, inquit, Bricti delirus tibi videor? Cumque ille turpiter confusus se dixisse negaret, Martinus ait;

[a] *qui accidit iuxtà Tom. 5. Annal. C. Baron. anno Domini 402*

Brictius in iuuētute valdè discolus.

Brictius irridet S. Martinum.

ait; Nonnè aures meæ ori tuo adhærebant, cùm hæc eminus loquereris? Amen dico tibi, quia obtinui à Domino, vt tu primus à me Pontificatûs huius honorem obtineas. Sed noueris interim multis te in episcopatu tempestatibus agitatum iri. Brictius hæc audiens, Nonnè verum, inquit, dixi, istum delira verba proferre? Sed & presbyterij honore præditus, sæpius beatum virum conuicijs lacessiuit.

His alijsque vitijs quanquam obnoxius esset Brictius, castimonia tamen & perspicacis ingenij laude præcellens orationi vacabat: & candido synceroque animo cum cæteris Dei famulis Dominum laudabat. Itaque ciuibus non ingratus, summa populi totius voluntate ad Pontificatûs officium euectus fuit: in quo multis sanè & horrendis tempestatibus agitatus, præcedentis vitæ maculas sordesque vbere lachrymarum fonte diluit. Trigesimo enim tertio ordinationis eius anno (vndè profectò constat etiam multorum annorum felicitatem valdè esse pertimescendam) lamentabilis contrà eũ intentati falsò criminis exorsa est causa. Nã mulier, ad quam cubicularij eius vestimenta deferebant abluenda, mutata religionis veste, quam professa fuerat, concepit peperitque. Quo sanè scelere Turonorum populus grauiter offensus, Episcopum, quem huius criminis reum clamabat, lapidibus vnanimi consensu obruere statuit. Illo autem crimen negante, populus maiore furore concitatus, scelestum eum & supplicio dignum multò magis clamabat. Cumq; furentis populi impetum morti iam proximus diutius reprimere non

Fit Episcopus & multa patitur.

Populus ei crimen stupri intendit.

renon posset, infantem ad se deferri postulauit. Erat is triginta, non amplius dierum; cui Episcopus: adiuro, inquit, te per Iesum Christum Dei filium, vt palam edicas, num ego genitor tuus existam. Et infans: Non es, inquit, tu pater meus. Populis autem clamantibus & vrgentibus, vt infantem patris nomen prodere cogeret, respondit Brictius: Quod ad me pertinuit, solicitus præstiti. Vobis si quid præterea suppetit, per vos requirite. Tunc illi magicis artibus hæc fieri asserentes, facta conspiratione in eum insurgunt, & multis oneratum iniurijs huc atque illuc trahunt. Ille autem ad mitigandam furientis populi insaniã, ardentes prunas birro suo imponens, illæsus eas ad beati Martini detulit sepulchrum dicẽs: Sicut istud vestimentũ ab ignis huius incendio illæsum videtis, ita & corpus meum à tactu mulieris est impollutũ. Illis verò nec tanto miraculo fidem adhibentibus, nouis oneratus calumnijs trahitur, eijcitur, & Iustinianus ei in episcopatu subrogatur.

Infans 30. dierum loquitur.

Prunas ardentes portat illæsus.

Expellitur ex episcopatu.

Tum verò Brictius memor verborũ sanctissimi quondam antistitis, flens eiulansque Romanæ vrbis Pontificem expetijt: meritò se ijs exerceri iniurijs dicens, quod sanctum Dei sæpius delirum amentemque vocasset, nec clarissima maximarum virtutum eius testimonia recipere voluisset. Neque tamen ijs contenti iniurijs ciues, Iustinianum ad persequẽdum eum destinârunt; similia ei aut etiam grauiora minitantes, ni Brictium abeuntem iudicio persequeretur. Iustinianus verò Turonis, Vercellas Italiæ ciuitatem perueniens, iudi-

Pergit Romam.

iudicio Dei percussus, obijt peregrinus. Turonici eius obitum audientes, & in malitia perdurantes, Armentium in eius locum constituunt. At Brictius Romam veniens Pontifici quãtis fuisset agitatus turbinibus cum lachrymis exposuit; iustoque animi fractus dolore, patrata in sanctum Dei mala dignis pœnitentiæ fructibus expiauit. Septem continuos in ijs lachrymis Romæ exegit annos; quibus exactis cum plena Summi Pontificis auctoritate Turonos redire disposuit: venienſque ad vicum, cui nomen est Laudiaco, sexto ab vrbe Turonica milliario, correptum febre Armentium, media dein nocte è vita migrasse cælesti visione admonitus cognouit. Tum verò ocyus ad vrbem contendens, cum portam ciuitatis ingrederetur, eccè per oppositam defunctus Armentius ad sepulchrum defertur. Quo sepulto, Brictius in cathedram restitutus, septem dein annos in ea functione feliciter expleuit: cui post quadraginta septem episcopatûs annos defuncto, magnificæ sanctitatis vir Eustochius successit.

Septem annos Romæ multis se lachrymis conficit.

Nota mirum quid. Brictius in sedem restituitur.

Vide Tom. 6. Annal. C. Baron.

VITA S. QVINTIANI, PRIMO RVthenæ, deindè Aruernæ Ciuitatis Episcopi: Ex ea quæ est apud Gregor. Turonens. Episcop. de vita Patrum Cap. 4. Claruit Anno Domini 507. & reliquis.

13. Nouẽ. *Patria eius.*

Fit Episcopus Ruthenensis.

BEATVS Quintianus Afer natione, in ecclesiasticis scripturis apprimè eruditus, ob eximiam vitæ sanctimoniam B. Amãtio in Episcopatu Ruthenæ Ecclesiæ meruit succedere: cuius & sacrum corpus pietate ductus

ductus in auctam anteà eius basilicam transtulit. Erat autem id temporis Ruthena sub dominio Alarici Gothorum Regis Ariani. Porrò Francorum gens cum esset ab exordio nascentis Ecclesiæ, Catholicis semper assueta dogmatibus, haud facilè patiebatur Arianum barbarum sibi dominari; memores quot quantaque maiores ipsorum sanctissimi, qui sub Constantio Augusto claruêre Episcopi, obijssent strenuè aduersus Arianos pro Catholica fide certamina: mouebantur amplius, cum nouum Regem eundemque Catholicum, barbarum licet, summa tamen religione nitentem regnare scirent in Gallijs Clodoueum. Cum igitur inter alios Quintianus id se cupere testaretur, vt Rex Catholicus Catholicis dominaretur, à delatoribus delatus ad Gothos, ab eisdem quæsitus est ad necem. Quod cum viro sancto nunciatum esset, de nocte consurgens, cum fidelissimis ministris suis, ab vrbe illa egrediens Aruernos aduenit: ibique à S. Euphrasio Episcopo qui Aprunculo quondã Antistiti successerat, benignè receptus est; largitisque ei tam domibus quàm agris & vineis, & ille & qui Lugdunensi Ecclesiæ præerat, summa cum diligentia eum excolebant: erat enim iam senex & verus Dei cultor.

Transtulit corpus S. Amantij: cuius vita extat 4. Nouemb.

Alaricus Gothorum Rex dominatur in Francia.

Clodoueus primus Francorum Rex Christianus.

Quæritur ad necem à Gothis.

Fugit Aruernos.

Porrò beato Euphrasio rebus humanis feliciter exempto successit in Cathedra Apollinaris; qui cum tribus tantũ mensibus sedisset, etiã emigrauit: Eidẽ autẽ ilicò, annuẽte Rege Theodorico, substituitur Quintianus: omnisque ei potestas Ecclesiæ contradita est. Erat autẽ vir beatus vt iniuriarũ patientissimus, ita & preca-

Fit ibidem Episcopus.

Qualis in Episcopatu.

tionibus deditissimus; & in tantum amator populi sui, vt Theodorico Rege quodam tempore adeò infenso, vt & vrbem euertere & Pontificem in exilium retrudere minaretur, eodem iam adueniẽte ac ciuitatem cum exercitu vallante, sanctus Rei muros per noctem psallẽdo circuiret, & vt regioni vel populo Dominus velociter succurrere dignaretur, afflictus in ieiunijs atque vigilijs, instanter oraret. Et quidem exauditus est pro sua innocentia. Theodoricus etenim diuina animaduersione constrictus (sensibus nimirum ad tẽpus priuatus) pænitens resipuit.

Theodoricus Rex punitur dum ei mala intentat.

Benignitas eius in pauperes.

Erat vir sanctus eximia in pauperes benignitate: nã cũ pauperẽ aliquẽ clamare cerneret aiebat: Succurrite, quæso succurrite, & pauperi victûs necessaria ministrate: ignari n. estis, an forsitã ipse sit, qui se per Euãgelicæ lectionis seriẽ reficiendum in pauperibus minimis esse mandauit. Eijciebat quoque dæmonia se confitentia, & complura alia vir beatus operabatur miracula: quicquid siquidem à Domino petebat: plerumque obtinebat.

Matth. 25.

Claret miraculum.

En antiquissimum vsum Rogationum antè Ascensionem Domini.

Cum aliquandò in territorio Aruerno magna siccitas arua consumeret, & arẽtibus herbis nulla penitus iumentis pabula remanerẽt, & sanctus Dei Rogationes illas, quæ antè Ascensionem Dominicam aguntur, deuotissimè celebraret, die tertia iam portæ ciuitatis appropinquantes, suggerunt ei, vt Antiphonam necessitati præsenti congruentem dignaretur imponere; Confidimus (inquiebant) de sanctitate tua, quod protinus nobis Dominus pluuiã dignabitur benigna pietate largiri. Et quidem

ille

ille prostratus super cilicium suum, in ipsa platea diutissimè cum fletu orauit. Exurgens autem, Antiphonam imposuit ex hisce verbis & oratione Salomonis: *Si clauso cælo, pluuiæ non fuerint propter peccata populi, & conuersi deprecati fuerint faciem tuam, exaudi Domine, & dimitte peccata populi tui, & da pluuiam terræ, quam dedisti populo tuo ad possidendum.* Cumque psallere deuotissimè cepissent, eccè repentè contenebratum est cælum, ac nubibus obductum; & priusquam portam vrbis attingerent, descendit pluuia vehemens semper vniuersam terram: ita vt omnes mirarentur, ac affirmarent ad preces beati viri hanc diuinitus fuisse largitam.

3 Reg. 8.

Impetrat pluuiam summè necessariam.

Et quidem non caligauit oculus eius, nec immutatum est cor eius a vijs Domini; non seposuit vultum pauperis, nec metuit personam potentis: sed vna eademque ei fuit in omnibus sancta libertas; vt ita susciperet penulam pauperis, acsi veneraretur togam inclyti senatoris. Sicque demum prouectæ admodum ætatis, corporeis ruptis vinculis sancta eius anima ad æternitatis gloriam in cælos ab angelis est translata: Sacrum verò eius corpus terræ mandatum est in Basilica S. Stephani ad læuam Altaris: vbi febricitantes plerique sanantur.

Præclara virtus eius.

Felix obitus eius.

Locus sepulturæ eius.

Vide Notat. C. Baron. in Martyr. Rom.

VITA S. HOMOBONI CIVIS CREMONENSIS:

Ex ea quæ est à Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Cremonensis, viris doctissimis conscripta. Obijt sanctitate & miraculis clarissimus anno à partu virgineo 1197. sequenti verò 11. Calen. Ianuar. ab Innocentio 3. Papa in Catalogum sanctorum maxima cum celebritate relatus est.

13. Nouē. *Patria & parētes eius.*

B. Homobonus in præclara vrbe Cremonensi, ex honesta Tucengorum familia, patre mercatore mediocris fortunæ prognatus est. Et quidem parentes eius cælesti quodam mentis præsagio, atque afflatu diuino instincti, ei in sacro Baptismatis fonte Homoboni nomen imposuêre: átque ab ipsis incunabulis persanctè educatum, Christianaque inprimis religione egregiè excultum, ad exercendam, quam ipsi faciebant, mercaturam traduxêre. Verum tanta fuit dictorum conuentorumque constantia & veritate, vt nulla omninò augendæ rei cupiditate permotus, neminem vnquam sciens deceperit. Erat insuper summa in adolescente comitas, cum singulari grauitate coniuncta, insignisque morum probitas: ita vt breui omnium ciuium & oculos in sui admirationem conuerteret, & animos ad beneuolentiam alliceret. Progressu deindè temporis parentum consilio, quibus iugiter in omnibus fuit obsequentissimus, virginem dixit vxorem: cum qua castissimè semper vixit.

Exercet mercaturam summa fide.

Ducit vxorem.

Porrò patre eius vita functo, iam sui iuris esse

effectus, aliam vitæ rationem cogitabat. Igitur qui ab ineunte adolescentia in terris coerceruare diuitias cæperat, in cælum thesauros congerere constituit: sermone vtique Domini, qui semper eius animo inhærebat, admonitus. Quarè inani solicitudine augēdarum opum omissa, ad diuinarum rerū contemplationem cura omni studioque animum conuertebat: ieiunijs, vigilijs, orationibusque assiduè intentus. Rem itaque suam quam mercatura auxerat, cæpit pauperibus erogare, adeò comiter, benignè & liberaliter, vt cum cæteræ virtutes essent in eo præclaræ, hæc tamen beneficentia principem semper locum obtineret, intantum vt vno omnium ore pauperum pater appellaretur. Vxor autem eius meticulosa, cum videret profusam viri liberalitatē, nihil nō moliri vt maritū ab hoc sancto opere auocaret. Cuius ille immoderatā solicitudinē præclara instructione sæpius castigās eā demū ex parte pacatā reddidit: seipsū verò indies magis ac magis ad anteriora extendit.

Totum se confert ad Deum. Matth. 6.

Benignitas eius eximia in pauperes.

Frequentabat siquidem Domū Dei Homo bonus; nec id die solū, sed nocte etiā assiduè nocturnis & matutinis precibus intererat. Vt autem Dominus, quanti apud se esset meriti, palam faceret, contigit sæpenumerò, cum tempestiuius solito ad Ecclesiā properâsset, ac paulisper antè fores immorari cogeretur, valuas templi sponte sua reseratas, introitum ipsi præbuisse; obstupescente admodum AEdituo quòd verè sciret se vesperi ianuas diligenter obserasse. Nec quidem finito officio è templo recedebat: verum plerunque in oratione rem

Quam fuerit assiduus in diuino officio.

Miraculum.

diuinam, quam Missam dicimus, antè crucem Domini nostri, & imaginem beatissimæ virginis prostratus expectabat. Accidit autem forte, vt eo tempore esset magna annonæ caritas; cumque aliquando ab oratione esset domum reuersus, egeni qui viderant panis canistrum ad eum afferri subitò ad eum accurrerunt: quibus ille summa cum hilaritate, dum vxor, quæ sibi maximè repugnabat abesset; maiorem panis partem distribuit: & eccè hora cænæ reperti sunt in arca totidem, quot donauerat panes, longè reliquis & candore & suauitate præstantiores.

Aliud.

Cum examplo patrimonio, vnicum prædiolum, cæteris diuenditis, & in egenos erogatis, sibi pauperibusque seruasset, eoque fossoribus vinum aliquando ferret, occurrêre ei mendici aliquot, potum ab eo petentes: quibus vir sanctus summa cum animi alacritate, & frontis lætitia porrexit. At cum exhausti ferè essent canthari, nec propter vxoris morositatem auderet domum reuerti, eos aqua repleuit ac benedixit. Vinitores autem se nihil vnquam suauius gustasse asserentes quærebant, vndè tam bonum vinum habuissent. Vir Dei qui optimè norât quid fecisset, arbitratus se derideri, bibit & ipse eximiæ bonitatis vinum, gratiasque Deo, cuius esset illud opus, maximas egit. Qui verò eum viderant aquam in vasa infundentem, cum & ipsi vinum gustassent, admodũ attoniti, insigne hoc miraculum cæteris prædicauerunt.

Item aliud.

His itaque atque similibus quamplurimis illustratus quidem miraculis, sed multo magis

gis ſumma vitæ puritate ad extremum vſque vitæ tempus inſignitus Homobonus, tantam non inter populares ſolum atque finitimos, ſed eos etiam omnes acquiſiuit fidem, ad quos longè lateque celeberrima illius fama peruaſerat: vt hæreticorum plerique ad ſanitatē redirent, & qui nullo prudentū conſilio, aut doctiſſimorū hominū diſceptationibus victi, in deprauata iamdudū de fide & religione ſentētia obfirmato animo obduruerant, eos Homobonus ſanctiſſimis verbis & moribus miraculorumq; frequentia, ab omni errore abductos ad benè beateq; viuendi rationem traduceret.

Pleroſq; hæreticos vir ſanctus conuertit.

Ceterùm cum iam adeſſet tempus, vt tot ſuarum virtutum & rectè factorum acciperet præmia, more quidem ſuo matutino officio penitùs incolumis interfuit: deindè flexis antè crucem Domini genibus, in Oratione vſque ad horam Miſſæ permanſit. At cum ſacerdos Hymnū Angelicū inchoaſſet, antè crucem, manibus in modum Crucis in terra extēſis procubuit, atque ſic nemine animaduertēte ex mortalitatis huius ergaſtulo ad immortalē vitam emigrauit. Cū autē more ſuo ad audiendū Euangeliū non ſurgeret, fuēre qui illū ſopore oppreſſum crederēt: volētes itaq; eū excitare, eū è vita exceſſiſſe cognouerūt. Volat ſubitò per vrbē fama, concurrūt pauperes vndiq; patrē ſuū maximo cū dolore deplorāt: funuſq; cū lachrymis ac eiulatu comitātur: cū ecce virtus Dei in eo ſe cæpit oſtēdere. Claudi ſiquidē greſſum, cæci viſum, muti loquelam, ſurdi auditū, dæmoniaci liberationē: varijſq; lāguoribus oppreſſi optatā ſoſpitatē adepti sūt. Anno

Cæleſtibus rebus intentus in templo emigrat in cælum.

Miracula ad funus eius.

autem 1357.7.Calend.Iulij translatum fuit viri sancti corpus in eam maioris templi subterraneam partem, vbi in marmoreo tumulo cōpositum quiescit: præter pauca quædam ossa, in priore sepulchro relicta, & præter caput, quod tabernaculo conditum, in ipsius maioris templi sacrario custoditur.

Translatio reliquiarum eius.

Vide Notat. C. Baron. in Martyr. Rom.

VITA S. LAVRENTII ARCHIEPISCOPI Dublinensis: Ex ea quæ exstat apud V.P. Laur. Sur. Relatus est in numerum Sanctorum, ab Honorio, eius nominis tertio, Romanorum Pontifice: anno eius Pontificatûs 10; qui fuit Dominici natalis 1226. Iuxtà Chron. Genebrardi.

14.Nouē. *Patria & parētes eius.*

PONTIFEX Laurētius, Deo hominibusque dilect°, insula Hybernia claris inprimis natalib. oriundus, patrē habuit Mauricium, matrem Inianobrem, latino sermone, principis filiam dictam. Et quidem pater tanta animi generosit te claruit, vt non modica Hyberniæ pars, quæ Lagenia dicitur, eius ditioni cesserit. His alijsq; rebus felix, subitò in maximum Dermitij Regis incidit odium; cuius animum ira & furore incēsum vt placarēt, è quatuor filijs, quos morib. & eruditione ornatissimos habebat, Laurentiū ei natu minimum pacis obsidē dedit. At Rex inhumanus effera crudelitate puerum excipiēs, vinctum eum in terram sterilem & inhabitabilē deportari iussit; vbi squalore & extrema inopia confectus, iam iā mortis discrimē subire parabat. Quod simulac pater intellexit, sinè moracōprehēsos duodecim Regis Dermitij milites morte acerbissima se deleturum minatus est, ni protinùs filiū è mise-

Laurentius puer Regi Dermitio obses datur.

è miseranda seruitute in libertatem restitueret. In audiens Rex puerum non quidem patri, sed cuidam episcopo Glindalacensi tradidit; qui eum suo sacellano fouendum nutriēdumque commisit. Sacellanus verò puerum summa benignitate suscipiens, non corporeo tantùm, sed & spiritali alimento tam perfectè nutriuit, vt puer delicijs cęlestis gloriæ inescatus mundum eiusque voluptates planè respueret, & cunctis virtutibus mirabiliter ornatus, in Glindalacēsi monasterio, annos iam natus 25. Abbas crearetur.

Liberatur.

Renunciat mundo, & fit Abbas in monasterio Glindalacensi.

Ea dignitate ornatus, summa humilitate onus sibi impositum minuere studuit. Fratres eiusdem professionis nō vt seruos, sed vt dominos (rarum profectò exemplum) honorabat. Pauperum & egenorum calamitatem non verbo, sed opere subleuabat: cunctasque, quas potuit, opes hinc indè corrasas, indigentibus alacritate mirabili distribuit: & Ecclesijs ædificandis studiosè impendit.

Humilitas eius.

Benignitas in pauperes.

Intereà defuncto Dublinensi antistite, Laurentius sanctitatis opinione longè lateque celebris omnium votis ad summum id honoris fastigium, valdè inuitus diuque renitens, & in ipso honore onus pensitans promotus est. In quo diligenti studio satagere studuit, vt subditis suis forma sanctitatis & totius honestatis exemplum esset: ne prædicantem vel docentem contraria remorderet conscientia, sed potius vitæ sanctimonia commendaret. Carnem aspero inprimis, & quod totum corpus contegebat, domabat cilicio: sic suæ intentus saluti, vt alios mira quadam suauitate ad can-

Fit Archiepiscopus Dublinensis.

Qualis in Episcopatu.

eandem ſanctitatis formam prouocaret.

Canonicos ſæculares & huic mundo ſic ſatis deditos ad regularis vitæ induxit profeſſionem: quam etiam & ipſe, vt Domino ſecuriùs militaret, cùm habitu, tum ſtrictiſſima diſciplinæ obſeruantia ſectatus eſt. Carnem ſuam vigilijs & precibus exhauſtam ter quotidiè flagris à familiari quodam cædi volebat: vt ſi quid ſanctæ animæ eius pedibus mundani adhæſiſſet pulueris, per confeſſionem, adiunctis virgarum ſcopis, excuteret. Carnium eſu penitùs ſibi interdictum volebat; & quòd ſuæ menſę ſubtrahebat, id pauperibus erogari curabat. Singulis autem diebus pauperes ſexaginta aut quadraginta vel minimũ triginta, ſuo in conſpectu refici faciebat.

Ter quotidiè flagris ſe cæ. dit.

Abſtinet à carnibus & benè tractat pauperes.

Quodam tempore vir beatus pro eccleſiæ ſuæ negocijs in Angliam profectus, ad Regem Henricum venit Cantuariam: ibique, vt decuit, ſuſceptus in eccleſia Sanctæ Trinitatis à monachis, ob impetranda Sancti Thomæ martyris ſuffragia, noctem illam in precibus exegit, ſequenti luce Miſſarum deuotè ſolennia celebraturus. Cumque pontificalibus veſtibus proceſſiſſet ornatus, quidam haud ſani cerebri homo, audiens eum virum ſanctum, & religione præſtantem eſſe, ſimplici ſua fatuitate, vel fatua ſimplicitate ſibi perſuaſit, ſe rectè & piè facturum & præmia poſſe diuina promereri, ſi beatum virũ ſancto Thomæ reddat martyrio parem. Mox igitur ingenti fuſte arrepto, per medios populos in beatum irruẽs antiſtitem, totis viribus capiti eius vulnus inflixit. Ille verò ſtatim corruens iam animam

Implorat ſuffragia S. Thomæ martyris: cuius vita extat 29. Decemb.

Temerariũ ſimplicis cuiuſdam factum.

agere

agere videbatur. Oritur clamor & eiulatus; cùm nemo non sanctũ Pontificem lethali percussum vulnere putaret. At vir sanctus leuato post breuẽ morulam paululùm capite, dari sibi aquam in vasculo postulauit; eamque Dominica oratione & Crucis signo benedicens, vulneri admouit & sanguinem abluit; factoq; citiùs põtifex integrè sanatus, stupente populo, Missarum solennia peregit. Voluit autem Rex fatuum illum suspendio pœnas luere; sed vir sanctus nequaquàm id passus, precibus eum ab omni periculo eripuit.

Præclarum miraculum.

Emergentibus autem causis quibusdam Ecclesiæ suæ, Romam profectus summum Pontificem adijt: Cumq; pro libertate Hyberniæ Ecclesiæ facundè satis egisset, & animi eius benignitas atq; prudẽtia manifestè innotuisset, voti compos effectus, iam reuersurus ad propria, Legatus insuper totiʼ Hyberniæ à Domino Papa cõstituitur: Quod sanè officiũ, regressus ad Sedem, cũ magna totius Ecclesię libertate exequi satagebat.

A Summo Pontifice ordinatur Legatus Hyberniæ.

Cæterùm multis per omnẽ vitam claruit miraculis; vitaq; functum precibus suis excitasse memoratur. Sed nulla virtus clarius in tanto viro emicuit, quàm vnà illa omnium præstantissima charitas: qua incẽsus nullos vnq; labores pro patriæ totiʼ salute & incolumitate recusauit. Oborta quandoque fuit grauis, & quæ certam toti patrię perniciem minitabatur, dissensio, inter Angliæ Regem Henricum, (sub quo Thomas martyrio coronatus est) & Deronogum Hyberniæ Regem potẽtissimum; cuius sedãdæ causa Pontifex beatus in Angliã venit

Excitat mortuum.

Eximia charitas eius.

Dissensio inter Henricũ Angliæ Regem & Deronogũ Hyberniæ.

cum

cum quodam ſuo nepote, iuuene ſanè eleganti; vt eum Henrico Regi daret obſidem, ſi pax cum illo conſtitui vlla ratione poſſet. Sed Rex Angliæ repudiata pace, crudelem potiùs tyrannum ſe exhibuit, regioque edicto cauit, nè ſanctus Pontifex in Hyberniam rediret. Itaque eo mulctatus exilio animum nõ planè deſpondit; ſed transfretantem in Nortmanniam Regem ſequi ſtatuit. Ingreſſus igitur nauim primò VVitſantum applicuit; proſequensque in Nortmanniam Regem, tandèm in febrim incidit. Ea ingraueſcente, triduo eius morbi importunitate adeò grauiter afflictus eſt, vt ab incepto deſiſtere cogeretur. Itaque præſagiens vltimum vitæ terminum ſibi imminere, ad caſtrum Augenſe in introitu Nortmanniæ ſub ditione Regis Angliæ conſtitutum, ingreſſus eſt. Erat in eo Canonicorum monaſterium, inſtituti S. Victoris Pariſienſis: quibus vir vitæ venerabilis Abbas præerat Osbertus. Is virum ſanctum omni humanitatis officio excepit; & confitenti ei aures præbuit; & cæleſti viatico ad æternitatis iter ritè conficiendum muniuit.

Eam ſtudet componere vir ſanctus, ſed fruſtrà.

His peractis, vir venerabilis & haud vulgari prudentia præditus Dauid, ſupra memorati iuuenis pædagogus, precibus Laurentij adiutus, confidenter ad Regem Henricum abijt, vt pro ſua tenuitate pacem à ſancto Epiſcopo inchoatam quodammodò conſummaret. Nec fruſtra difficiles tentauit aditus; nam & Regis animum rationibus emolliuit, & quarto die ad ſanctum epiſcopum reuerſus tanto eum, pacis mentione, gaudio perfudit: vt exultanti animo pau-

Feliciter decedit.

paucis post diebus, ecclesiasticis ritè munitus sacramentis, è corporis ergastulo ad cælos migrarit. Sacrum corpus eius fuit in medio Augensis Ecclesię honorificè & reuerenter sepulturæ mandatum.

MARTYRIVM S. EVGENII EPISCOPI Toletani: Ex libro 5. historiar. Hispan. Lucij Marinei Siculi.

Vide Notat. C. Baron. ad Martyr. Rom. 15. Nouẽ.

CVM Raymundus, olim Toletanæ sedis antistes, ad Concilium apud Rhemos Galliæ populos celebrandum, temporibus Eugenij summi Pontificis, cum alijs multis episcopis in Galliã profectus esset, & apud Parisios ad Ecclesiam sancti Dionysij orandi gratia diuertisset, in eadem ecclesia quoddam sepulchrum, magnæ apud eos venerationis inuenit: in quo ex epitaphio, beati Eugenij Toletani Archiepiscopi corpus humatum esse cognouit. De quo diligentiùs inquirens, cùm ex relatu hominum, tum ex scriptura, quæ vitam continebat, intellexit: hunc Eugenium à Beato Dionysio in Galliam *a* proficiscente, ab vrbe Arelatensi in Hispaniam directum, Toletanæ sedi præfuisse. Qui tactus magistri sui desiderio, cùm in Gallia eum visitasset, & iter rursus ad propriam sedem institueret, à gẽtilibus deprehensus, & ex fidei confessione cognitus, gladio confossus pro Christi nomine martyrio occubuit. Cuius corpus post multum temporis, diuina reuelatione repertum, in Ecclesia beati Dionysij, magna fidelium lætitia & exultatione conditum fuit: vbi merito sanctitatis & miraculorum gloria quieuit, donec à sancto

Raymundus Toletanus Episcopus.

Sepulchrum S. Eugenij.

Eugenius discipulus Dionysij.

a Accidit hoc iuxtà C. Baron. Tom. 1. Annal. anno Domini 89 sub Clemente Pontifice Maximo.

Martyrium eius.

De hac trãslatione vide

In vita S. Gerardi 3. Octobr.

sancto Gerardo * Bromiensi Abbate translatum fuit.

** Broniensi. Hanc secundam translationem in Hispaniam refert Baro. in Notat. ad Martyr. Roman. hoc die ijsdē planè verbis. En humilitatem tanti Regis.*

Secunda autem, celebriorque translatio facta est, corporis eiusdem sanctissimi martyris ex Gallijs in Hispaniam; cùm nostra ætate, anno Domini millesimo, quingentesimo sexagesimo quinto, amplissimo apparatu ac religiosissimo cultu, non rheda aliqua triumphali, sed (quod omnem excedit pompæ amplitudinem) regijs humeris, in suam antiquam nobilissimam Toletanam sedem sacer Antistes & martyr illustris delatus est. Siquidem Rex Catholicus, Christianæ fidei robur & ornamentum, Philippus secundus, se sacræ subdidit sarcinæ; ouansque & exultans, humili obsequio augustior redditus, in prædictum locum euexit.

VITA S. EVCHERII, EPISCOPI LVgdunensis:

Ex ea quæ est per Adonem Archiepiscopum Treuirorum. Ponitur vicesimus eius sedis episcopus: interfuit tertio Concilio Arelatensi habito Opilione & Vincomalo Coss. anno Domini quadringentesimo quinquagesimo tertio, itemque Arausicano posteriori & Carpentoratensi, celebratis anno Domini 463. Vixit & alius eiusdem nominis, tempore Caroli Martelli Episcopus Aurelianensis. Porrò hunc Lugdunensem (quem Sanctus Mamertus miris extollit præconijs) germanum esse auctorem homiliarum illarum quæ Eusebij Emissemi nomine falsò inscribuntur multis a probat Baronius.

a Annal. Ecclesiast. tom. 5. & in Not. ad Martyr. Roman. hoc die.

SAN-

SANCTVS Eucherius Lugdunēsis antistes admirandæ fidei, vitæ, & doctrinæ vir, claris admodùm ex nobilissimo Senatorū ordine natus parentibus; ea, à primis annis, floruit pietate, vt amplissimis bonis & possessionibus, atque mundi & carnis voluptatibus delicijsque, Christi amore spretis, in agro suo super fluuium Durentiam, intra septa speluncæ sponte se concluserit: ibidemq; ieiunijs & orationibus strenuò cælesti Regi Christo seruierit. Defuncto autem pontifice Lugdunensi, cùm vniuersa Ecclesia, de more antiquitùs obseruato, triduanis ieiunijs & obsecrationibus vacaret, vt dignum à Deo ecclesiæ moderatorē consequi possent: eccè cuidam puero angelus Domini in visu apparens: Est, inquit, Senator quidam Eucherius nomine, super fluuium Durentiam in specu retrusus, rerum humanarum contemptor eximius, & cunctis virtutibus mirificè ornatus. Ad hunc deducendum pergite, & pontificio honore dignissimum, pastorem vobis constituite.

16. Nouē.

Patria & parētes eius.

Viuit in spelunca solitarius.

Diuinitus designatur episcopus.

Quod cùm diluculo puer senioribus retulisset, gratijs in commune omnipotēti Deo actis, missus à populo confestim adfuit Archidiaconus; qui simulac aduentus sui causam illi indicasset, Eucherius tota mente & corpore honores perhorrescens, cum iuramento obtestatur, se de specu non egressurum, nec cum eo, nisi vim inferre & homini solitario vincula iniijcere vellet, ad ciuitatem iturum. Hæc cùm diu constanter affereret, repeteretque, Archidiaconus effracto speluncæ muro eum eduxit, & vinculis coercitum Lugdunum perduxit.

Præcisè recusat episcopatum.

Per vim ad episcopatum rapitur.

Quem

Quem pari animo vnoque consensu Clerus & populus sibi eligens sacerdotem, in pontificali cathedra solenniter collocauit.

Vxor eius viuit in castitate. Illo in episcopum consecrato intrat eius spelunlunca m.

Erat illi vxor Galla nomine; quæ suscepto iam antè sacro velamine, summa castitate matrona Deo seruiebat. Cùm autem è spelunca ad pontificiam dignitatem euectum intelligeret, festina locum speluncæ subintrans, reliquum vitæ tempus in summo religionis studio ibidem exegit. Nec minori sanctitate duæ ipsorũ filiæ Consortia & Tullia floruerunt: quæ virginitatis gratia & signorum gloria claræ, calcato mundi fastu, de cunctis hostibus egregiè triumpharunt: similiter & duo eius filij Veranus & Salonius: quos monasticis institutis in Lerinensi Insula imbutos Ecclesia, postea habuit Episcopos.

Præclarum S. Eucherij Lugdunen. Episcopi Elogium.

Ceterùm extat insigne hoc Elogium prestãtissimi huius Præsulis apud Claudianum de statu animæ lib. 2. Haudquaquam tamen Eucherium præterierim mihimet viuentem, doctrina & præsentaneis coram disputationibus cognitum: nõ porrò nuncijs aut lectione compertum: qui scilicet viridis æui, maturi animi, terræ despuens, cæli appetens, humilis spiritu, arduus merito, ac proindè ingenio subtilissimus, scientia plenus, eloquij profluus, magnorum sui seculi Pontificum longè maximus, editis in rem fidei multijugis variorum operum voluminibus, ad populum quoque bis, super statu animę concionatus est.

VITA

VITA S. ANIANI EPISCOPI AVRELIANENSIS: Ex ea quæ est apud V. P. Laurent. Surium. Fuit septimus eius sedis Episcopus: claruitq; temporibus Valentiniani tertij, Romani Imperatoris; & Leonis, Romani Pontificis: anno Christi 451. &c.

Vide Tom. 6. Annal. C. Baron. & Notat. ad Martyrol. Rom.

EA tempestate, qua Hunnica rabies in regiones populandas deuastandasque se effudit, & Gallijs atrociter imminebat, beatissimus Anianus Aurelianēsis vrbis fidum se pastorem declarauit. Metuens enim gregi, quem à Domino pascendum acceperat (quippè qui ex sancti spiritus reuelatione, quæ ventura essent, iam antè cognouisset) supplices pro eo ad Deum preces fudit, iram eius ab eo auertere cupiens.

17. Nouē. *Hunnorum irruptio.*

Porrò cùm iam communibus omnium suffragijs episcopus electus esset, ab Agrippino viro illustri & militum magistro petijt, vt eos omnes, quos carceres vinctos detinerent, liberos abire pateretur. Recusabat ille, nescio qd causæ prætexens: sed cùm vellet in templum precandi causa ingredi, ab alto decidit lapis in caput eius, diramque ei plagam imponens, multum ex eo sanguinem expressit. Sensit ilicò ea causa id accidisse, quòd sancti episcopi preces reiecisset: Mittit ergò, iam à famulis reportatus in domum suam, qui episcopum vocent: mors enim propter nimiam sanguinis fluxionem iam impendere videbatur. Venit episcopus, manu sua vulneri Crucis signum imprimit; sanguis sistitur; redeunt vires propè iam deploratos; aperiuntur carceres; & exeunt mi-

S. Anianus supplicat pro captiuis magistrum militum.

Punitur diuinitus magister militum.

ſeri, B. Aniani epiſcopi interceſſione in libertatem vindicati.

Condiderat eius deceſſor beatus Euortius eccleſiam Aureliæ. Eam ſanctus Anianus illuſtriorem reddere volens, culmen eius iuſſit altius euehi. In eo opere prefectus operis ſiue architectus, labante pede, è tecto corruens, præſentiſſimum vitæ diſcrimen adijt; toto quaſſato corpore, vix vltimo ſpiritu in illo reſidēte. Id ſentiens B. Anianus, procùl contra eum expreſſit Crucis ſignum, ad eumq; aduolans manum eius appræhendit: punctoque temporis ſanatum iuſſit redire ad opus.

Egregium miraculum.

At verò in Gallias irruentibus Hunnis, ſæuiſſimus Attila Rex imperabat. Qui cùm Aurelianenſem vrbem vellet euertere, B. Anianus vt officio ſuo non deeſſet, Arelatem profectus eſt, vt Aëtio patritio, barbarę gentis crudelitatem explicaret. Cùm autem iter ageret, ad Mamerti viri potentis ædes diuertit; qui grauiſſimè decumbens, ſpiritu & voce omnique gradiendi facultate deſtitutus, ſpem viuēdi omnē ſuis ademiſſe videbatur. Vt autem perſenſit vxor eius, matrona nobiliſſima, beatū Anianum adueniſſe; ad eius ſe pedes abiecit, orans vt marito ſalus redderetur. Accedit igitur vir Dei ad lectum ægrotantis; videt eum horas extremas ducere; procumbit in preces; orat Dominum tota nocte cum lachrymis: donec manè æger priſtinæ ſanitati redditus eſt. Indè pergit Arelatem, & ab Aëtio humaniſſimè exceptus, indicat quo in periculo verſetur Aurelia; implorat eius opē: quā Aëtius liberaliter & prolixè pollicetur. Redit deindè ad ciues ſuos, nō

Aliud.

parùm

parùm tanti paſtoris abſentia mœrẽtes; erigit animos eorum multa cõſolatione: præparant illi omnia propulſando hoſti opportuna.

a Intereà trementibus iam ab impetu arietũ muris, iamq; ruituris, eccè Aëtius & *Theudo Gotthorum rex, ac Thoriſmũdus eius filius, cum exercitibus ſuis ciuitati ſubueniunt; aduerſumque hoſtem eijciunt ac repellunt. Itaque liberata obtentu beati antiſtitis ciuitate, Attilam fugant. Poſt eam verò à barbaris reportatam victoriam, S. Anianus lætabatur in Domino, quòd neminem è ſuis amiſiſſet, niſi ſi quis fortè diuinã deſperans opem, contra eius præceptum barbaro ſe hoſti vltrò tradidiſſet. Tanta autem meritis beati viri poſt eam victoriam extitit frugum vbertas in Aurelianenſi territorio, vt magna indè ad ſuperiorem lætitiam fieret acceſſio. Biennio indè elapſo, multis virtutum ornamentis illuſtris, poſt calcatos ſeculi fluctus, iam emeritus miles, carnis nexibus expeditus migrauit ad cælos. Conditus autem eſt ſepulchro ad occidentalem vrbis Aurelianenſis plagam, in beatiſſimi martyris Laurentij ædę; vbi meritorum eius præſtantiam, Chriſtus multiplici miraculorum gloria declarauit. Poſteà creſcẽte fidelium deuotione, ad orientalem ciuitatis partem extructo templo inſigni, corpus illius eò tranſlatum eſt: Chriſto pergente miraculorum ſignis mirificare ſanctum ſuum: qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit, & regnat in ſecula benedictus, Amen.

a *Hæc lib. 2. hiſtor. Francor. cap. 7. Gregorius Turonenſis.*
* *hunc alij Theodoricũ vocant.*

Migrat ad Dominum.

Tumulus eius miraculis celebris.

VITA S. GREGORII THAVMATVRgi, id est, mirabilium operum effectoris: qui fuit episcopus Neocæsareæ. Ex ea quæ est per D. Gregorium Nyssenum, Gentiano Herueto, Gallo, viro doctissimo interprete. Florere cæpit in Schola Originis anno Domini 233. sub Alexandro Imperatore: Obijt verò circa annum Salutis 266.

Vide C. Baron. in Not. in Roman. & Annal. Tom. 2.

17. Nouēb. *alias 3. Iulij.*

CVM nulla omninò vera sit laus, nisi ea, quæ propria eorum est, qui laudantur; scripturus magni & planè admirabilis viri Gregorij vitam, libet indè potissimũ ducere principium (patriæ, parentum & diuitiarum gloria prætermissis) vndè magnus & excelsus eius animus studio virtutum maximarum incensus elucescit. Cùm enim ex splendida & lautissima parentum fortuna, omnibus ijs, quæ mundus stupet & admiratur, abundaret, à tenera ætate cuncta relinquens, totum se ad studium sapientiæ strenuè viriliterque sectandum composuit. Nec fuit difficile ingenio terrenis rebus longè superiori & ab omni fastu & flatu superbiæ alieno, ad summũ sapientiæ culmen pertingere. Igitur philosophicis præceptionibus exactè imbutus; earum cognitione, tanquàm basi & fundamento ad supereminentis boni cõtemplationem, instar patriarchæ Abrahæ præclarè est vsus; adeò vt per eam ad summi & veri boni cognitionem peruenerit: relictaque falsa parentũ religione, ab omni mortiferi contagione peccati purus (tam rectè enim & prudenter gentilis adhuc vitam

Vera laus quæ.

Ardens in eo sapientiæ studium.

vitam instituebat) ad regeneratiōis lauacrum accesserit. Cùm enim Alexandriæ Philosophię operam nauaret, ijs erat virtutum ornamentis ac præcipuè vitæ castimonia excultus, vt fœdè & incestè viuentes inuidiæ stimulis concitati, modis omnibus laudes eius obscurare conarentur. Hinc vt aliquam vitæ illius inurerent labem, eaque vt sperabant, propria flagitia excusarent, structis insidijs, mulierculam insigni infamia meretricem mercede conducunt, vt castissimo adolescenti calumniam intentaret.

Nota insignē in homine ethnico vitæ puritatem.

Calumnia eū struitur.

Cùm is autem pro more inter viros grauissimos & sapientię opinione prestantissimos de rebus fortè philosophicis dissereret, muliercula illa petulanter sanè atque lasciuè se ingerens, palàm mercede se ab eo fraudatam esse clamauit, adiecitque causam, quæ viris illis prudentissimis, qui vitæ illius castimoniā virtutesque egregiè perspectas habebāt, indignationem commouit, atque ad illatæ iniuriæ vltionem prouocauit. Ipse verò ne tantillū quidem commotus fuit; non vitæ suæ testes citauit; non iureiurando illatum probrum repulit; nō tantæ malitiæ auctores redarguit; sed quieta, & constanti voce ad quendam è familiarib. conuersus: Heus, inquit, solue ei pecuniam, ne ampliùs molestiam exhibēs rei propositæ studium inturbet. Cumque infamis fœmina accepto lucro gaudēs recederet, eccè subitò correpta à dęmone humi ruit; & stridore belluino eiulans, horrendum & terribile ijs qui aderāt, disiectis crinibus, auersis oculis, & ore spumante, exhibet spectaculum: neque priùs à dæmonis

Nota insignē profecto & admiratione dignam patientiam.

monis tortura libera extitit, quàm magnus ille Gregorius inuocato Dei omnipotentis nomine, eam à crimine, quo obstricta erat, liberaret. Et hæc quidem vitæ illius virtutibus admirandæ præludia fuêre.

Punitur diuinitus calũniatrix.

Postquàm verò exactissima humanarum rerum scientia animum mentemque locupletasset, incidit in Firmianum quendam Cappadocem, honesto loco natũ & amore cælestis philosophiæ pariter incẽsum, ac postmodùm Cæsareensium antistitem sanè egregium; quocùm Originem adijt: seseq; totum in eius disciplinam contradidit. Erat Origines illis temporibus omnium eruditorum facilè princeps; cuius tamen laudes eximius summæ virtutis æmulator Gregorius, breui tam excellenter est assecutus, vt omnis illa regio eum suspiceret; certatimque ad maximos honores & dignitates prouehere cuperet. At ille tota mente in studium virtutis intentus, periculosos honorum scopulos remis, vt aiũt, velisque fugiens, confestim se in patriam recepit: vbi secum in quadam solitudine habitans, præmeditatam iam antè summę perfectionis viam multò alacrior est ingressus.

Fit discipulus Originis cum Firmiano.

Fugit honores.

Viuit Solitarius.

Cùm autem Phœdimus Amaseæ Ecclesiæ illo tempore Episcopus, prophetico spiritu clarus, insignes & planè diuinas Gregorij cognouisset virtutes, modis omnibus latentem fugientemq; ad sacerdotij dignitatem pertrahere conatus est: ne vir tam præclarus ociosam & inutilem, sibi soli intentus, traduceret vitã. Cùm verò Gregorius de solitudine in solitudinem fugiens, pios viri sancti conatus illude-

Phœdimus Episcopus Amaseæ eũ conatur facere sacerdotem.

ret,

ret: Phœdimus inuocato Dei nomine absentem verbo consecrauit, eiq́ue illam ciuitatem attribuit: quæ cùm esset mirè populosa, tanto idolorum tenebatur errore, vt plures quàm septemdecim, qui Christianis sacris initiati erant, inuenti non fuerint.

Creat fugiẽtem & absentem episcopum.

Cùm ergò coactus iugum illud subijisset, vt animum mentemq́ue egregiè instructam, ad tanti muneris administrationem adferret, breue ab eo tempus petijt induciarum ad ministerium accuratè considerandum. Itaq́ue precib. lachrymisq́ue die noctęq; sedulò vacans, certam minimeq́ue dubiã, nec humanis argumentis, sed diuina reuelatione confirmatam, à Deo fidei veritatisq́ue postulauit doctrinam. Erant enim tunc quidam externa virtutis specie ornati, qui probabilibus argumentis piam synceramq́ue Christianæ fidei doctrinam adulterare conabantur. Igitur fluctuanti adhuc Gregorio, & omne genus cogitationum cum animo suo voluenti, eccè noctu visus adesse quidam veste pontificia indutus; forma senili vultusq́ue dignitate, & honestate habitus, magnam præ se ferẽs per omnia virtutem. Aderat ex obliquo diuina planè specie fœmina: quæ suo splendore, discussis noctis tenebris, totum locum mirabiliter illustrabat. Stupente verò & trepidante metu Gregorio, Virgo gloriosa Ioannem Euangelistam appellans mandauit, vt iuueni veritatis mysterium ritè panderet. Nec mora: Sacer Euangelista breui & præclara oratione cuncta complectens, dubiam non modò Gregorij mentẽ confirmauit, sed tanto insuper gaudio perfudit, vt

Mysteria fidei ei reuelantur per sanctum Ioannem Euãgelistam & sanctam Deiparam.

inito episcopatu, certam sibi quodammodò de cunctis Christianæ fidei hostibus victoriá promitteret.

Igitur relicta solitudine, cùm ad vrbem nefando dæmonum cultu execrabilem tenderet, in ipso itinere vehementior pluuia subitò irruens, & nox superueniẽs templum quoddam insigne & idolorum cultu dæmonumque responsis celebre, eum subire coëgit. Ibi noctem illam cum socijs in precibus & laudibus exegit insomnem; & omnem illam dæmonum cateruam indè expulit. Cùm verò manè cęptũ cum socijs iter ingrederetur, & ędituus cõsuetum dæmonibus cultũ institueret; magnis vocibus clamare cœperunt nefas esse templũ ingredi propter Gregorium, qui Christo suo vota precesque in eo fecisset. Ea propter ędituus, animo in Gregorium concitato, mortẽ illi intentat, ni offensa deorũ numina placaret. Cùm is autem temerariam & insolentem æditui irã eximia repressisset prudentia: postremò intulit, se Christi virtute & dæmones quocunque vellet relegandi potestatem habere, & pari facilitate reuocãdi. Admiratus æditiuus & magnitudine potestatis obstupefactus rogauit, vt fugata rursum in templum reduceret dæmonia. Nec recusauit vir sanctus Christi potentiam declarare; sed arrepto calamo tria hæc verba in charta exarans, Gregorius Satanæ: Ingredere, eam æditiuo tradidit vt altari imponeret. Imposuit ille, consuetosq; offerẽs nidores & inquinamenta, dæmones momento temporis reuocauit. Ea re ingenti affectus admiratione æditiuus cursu abeuntem est prosequutus,

Scribit dæmoni epistolam Gregorius.

quutus, orans atque obtestans vt tantæ potentiæ doceret mysterium. Paruit Gregorius; sed illo verbis fidem adhuc derogante, vir sanctissimus doctrinam miraculo confirmare nõ dubitauit.

Conuertit ædituum.

Solo verbo ingentem transfert lapidem.

Erat ingens lapis, quem ædituus per solam ex fide potestatem iussu Gregorij ad alium transferri locum postulauit. Nec mora: Gregorius lapidi tanquam animato imperauit, vt se ad locum, quem designabat ædituus, ilicò transferret. Paruit immani pondere saxum fidei verbo, & ædituus Christo pari alacritate se subdens, omnibus quæ habebat relictis, adhæsit Gregorio. Ea res cum magna Gregorij gloria statim longè lateque increbuit; populũque ad virum talem tantaq; virtute præditum oculis spectandum excitauit. Et quidem illo ad vrbem veniẽte, effusa multitudo ei obuiam processit; fixis eum oculis intuens, & tanquam virum quendam diuinũ honoribus prosequẽs. Ille autem humanarum laudum contemptor egregius, ne tantillum quidem ea gloria motus incedebat quasi solitarius; mente oculisq; diuinis tantummodò rebus intentus. Quæ res multò maiorem populo admirationem commouebat; quam patrati recens miraculi in lapide magnitudo.

Contemnit laudes humanas.

Summus rerum terrenarum in eo contemptus.

Igitur ciuitatem ingressus à terrena cupiditate se excussit perfectè: ità vt nullius omninò rei ne domûs quidem possessionem admitteret. Is tam admirandus rerum omnium in viro Dei contemptus, tantam ei apud populos conciliabat auctoritatem, vt certatim eum domo sua excipere contenderent: magno videlicet se

beneficio & honore affici existimantes, si tanta virtute virum tecto reciperent. Ille verò animarum lucris auidè inhians, de rebus diuinis totos ad populum dies differebat, & quauis corporis calamitate vel dæmonio oppressos verbo curabat; breuiqúe tam ingẽtem multitudinem ad Christiana sacra perduxit, vt tẽplum protinus Christo construerẽt, rebusque omnibus præclarè adornarent. Fuit hoc ipsum basis quædam & fundamentum fidei, salutisq; Neocæsareensium: Nam cum multis post temporibus ingens & horribilis terræmotus omnia delubra subuertisset, magnamq; ædiũ partem humi strauisset, sola illa ædes sacra à Gregorio constructa perstitit immobilis: ita vt eo spectaculo, & neophyti in fide mirificè confirmarentur, & idolorũ adhuc superstitione poluti libenter sua nomina Christo darent.

Operatur miracula. Plurimos ab errore ad Christum conuertit.

Ædes sacra ab eo constructa non corruit, cæteris omnibus terræmotu quassatis.

Igitur cum & ciues, & accolæ, Apostolica in viro Dei quotidiè stuperent miracula, certatim vrbis totius regimen & cõtrouersiarum omnium ad eum detulêre iudicium: in quo tãquam alter Salomon admirandam prudentiæ virtutisque vim declarauit. Erant duo fratres ætate iuuenes, qui paternam nuper inter se diuiserant hæreditatem: in stagni cuiusdam possessione adeò pertinaciter dissidentes, vt alter alteri necem intenderet. Fuerat causæ arbiter electus Gregorius; sed neque is animos in mutuam cædem œstro quodam iracundiæ cõspirantes, nullis rationibus vel lenitate verborum placare poterat. Iamque dies certaminis aderat, quo inter se, conflata vtrinque magna subditorum manu, de summa rei confligerent.

3. Reg. 3.

rét. Quod vir sanctus vt intellexit, pridiè ad ripam stagni celeriter abijt; totamque noctem ducens insomnem, Mosaico planè miraculo, continentem ilicò reddidit aridam, & omni humore vacuam; itè vt nè in cauo quidem vllæ superessent aquarum reliquiæ: quæ antè orationem instàr pelagi exundabant. Quo spectaculo & contentio omnis dirempta est; & dissidentes animi fraterno amore verè sociati. Nec huic cedit alterum illud quod in Lyco fluuio patrauit miraculum. Cum enim fluuius ille accolis vehementer noxius, terribili inundatione non vicinos modò agros, sed ipsa etiam hominum habitacula frequenter inuaderet, miserosque mortales inopinatò opprimeret, accolæ audita viri virtute supplices ad eum venêre, vt opportunũ tanto malo remedium adhiberet. Nihil ille cunctatus, scipione innixus cũ gente ad fluuium venit; baculumque, præmissa oratione, humi defigens, eum veluti claustrum & obstaculum aquarum obiecit violentiæ. Nam haud ità longo post tẽpore, baculus, actis radicibus in arborem excreuit, & inundantes dein aquarum impetus mirabili sanè virtute repressit.

Stupendo miraculo redigit in concordiam dissidentes fratres.

Exodi 14.

Baculus eius humi defixus agit radices & arcet vim aquarum.

Dum hæc aliaque in Neocæsariensium ecclesia vir diuinus patraret, ex propinqua quadã ciuitate Comana nomine aduenere legati, qui aliquem suæ ecclesiæ à sancto pontifice antistitem postulabant. Abijt cum eis vir sanctus Comanam, vt statum Ecclesiæ oculis lustraret, & virum diuinis virtutibus egregiè excultum ei præficeret. Cumque illi, ad quos suffragia pertinebant, viros illustres & dicendi artificio

præstan-

præstantes offerrent, & laudibus quibus poterant extollerent; Gregorius, non externā corporis speciem, sed multò magis animi ornatū spectandum esse respondit. Vndè quidam animo commotus; Si, inquit, hos præcipua dignitate & genere viros despiciendos existimas, vilesque homunciones præponendos, Alexandrum licet carbonarium ad sacerdotium voces.

Alexander carbonarius vir insignis fit Comanæ episcopus.

Hoc ille ironicè quidem protulit suffragiū; sed vir Dei non sinè diuino nutu Alexandri factam esse mentionem existimans, hominem in medium produci mandat. Erat is Alexander insigni profectò virtute præditus, & cūctis iustitiæ pietatisque ornamentis egregiè excultus. Assumpserat autem vile hoc & abiectum opificium; vt latitans, propositum virtutis scopum facilius attingeret. Cùm ergò sordidis lacerisque pannis indutus, & manibus ac facie & toto denique corpore sordidatus prodiret, immodici omnium risus consecuti sunt. At Gregorius eximia viri virtute probè cognita, eum inter omnes summo illo sacerdotij honore dignissimum pronuncians, paulò pòst, cum contractas ex fuligine sordes abluisset, & cultiori se habitu, vt decebat, induisset, initiatum gratia consecrauit.

Post hæc cùm iam vesanis gentium ritibus, & detestabili inanium deorum cultu sublato Christiana pietas mirificè floreret, * Imperator, qui tunc Romana sceptra tenebat, ira & inuidia stimulatus, ad omnes gentium Præsides misit edicta, vt Christi cultores probris, cōtumelijs, ac postremò cruciatibus ad patriū dæmo-

** Decius is fuit.*

dæmonum cultum reducerent. Fuêre cõfestim terribiles suppliciorum minæ, & varia tormẽtorum genera Christianorum oculis proposita. Eratque ingens in gente confusio; cum alij alios deferebant; alij indicabant; alij latentes scrutabantur; alij fugientes inuadebant: plurimi verò iniectis in fidelium facultates oculis, sub specioso pietatis ac religionis prætextu, cognatos ac parentes expellebant. Ingens vbique terror; nec vsquam fides tuto consistebat. Filius, qui gentili errore conflictabatur, parẽtem fidelem iudici prodebat; & filium, qui crediderat, pater incredulus accusabat. Hinc cum miseranda Ecclesiæ facies magnum illum Gregorium ad misericordiam & lachrymas prouocaret, cerneretque imbecilliores ad mortẽ vsque pro pietate decertare non posse, consuluit omnibus, vt tyrannidi locum darent, fugiendoque suas potius animas conseruarent, quam in acie stantes fidei desertores fierent. Atque vt melius salutarem fugam hominibus persuaderet, ipse antè alios cedens periculo, desertum quendam collem, cum diacono suo, quem ex æditiuo ad fidem perduxerat, petijt: ibidemque latitando afflicta Ecclesiæ membra fouit. Intereà cum scelerati fidei hostes totis in eam rem viribus incumberent, vt illo tanquam duce exercitûs expugnato, omnem fidei aciem frangerent, & dissoluerent, magna persequentium multitudo vestigijs eorum inhæsit; vnoque ductore, quem locus non latebat, ad collem tandem peruenerunt. Quos vt venientes conspexit Gregorius, cum diacono suo ad preces conuersus constitit imperterritus:

Ingens oritur persecutio in Christianos.

Fugiendum in persecutione.

Latitans in persecutione fouet ecclesiã S. Gregorium.

Notarem admirandã.

Proditor S. Gregorij viso miraculo credit in Christum.

Troadius insignis martyr.

Claret prophetico spiritu S. Gregorius.

tus:& eccè nefarij illi loca omnia scrutantes; duas, sanctorum loco, arbores conspexêre, & oculorum errore diuinitus decepti stomachantes, re infecta recessêre. Post quæ relictus Iudex ad sanctum accurrens, ad eius sepedes supplex abiecit; abiectoque errore Christo credidit:& qui paulò antè fidem persequebatur, tunc pro fide simul cum fugientibus & ipse fugam inijt.

Intereà præses tota mente furibundus, quòd nulla spes consequendi Gregorium relicta esset, in reliquum Christianorũ vulgus desæuijt:& inter alios Troadium quendam egregia nobilitate iuuenem ad certamẽ pertraxit. Decertabat is pro fide & pietate admirãda animi fortitudine; clarissimaque post acerbissimos cruciatus, martyrij corona redimitus ad cælos euolauit. Cernebat ea omnia in oratione excubans per visionẽ Gregorius; cunctaque per ordinem diacono & cæteris, qui aderãt fidelibus enarrabat. Qua re obstupefactus vehementer diaconus, magistrum obnixè rogauit, vt sibi ciuitatem ingrèdi & martyris istius certamen fortitudinemque cognoscere liceret. Cumque antistes periculũ subesse nunciaret, diaconus cõtrà respondit se sperare quòd precibus illius adiutus & periculum euaderet, & cuncta, quæ volebat, oculis lustraret.

Igitur magni illius Gregorij precibus confisus, cum vesperè ciuitatem intraret, lassusque ex itinere corpus lauacro reficere vellet, accessit ad quendam balnearum locum, quem dæmon multis annis infestus obsidebat, & plurimis necẽ intulerat. Itaque cum diaconus admis-

admitti postularet, hospes vim dæmonis exitialem ei exposuit, monuitque non sine presenti mortis periculo corpᵒ eo in loco lauari posse. At diaconus precibus sui antistitis confisus locum ingressus est; & dæmones terribilibus spectris metum mortemque inferre conantes, Crucis signo in fugam conuertit. Commouit ea virtus ingentem ijs, qui loco præerant, admirationem: quod nulli antè eum diem mortē euaserant, qui nocturnis horis se balneis istis fouere præsumpserant.

Diaconus Gregorij, Crucis signo dæmones fugat.

Postquā verò diuina ope tyrannis illa soluta esset, & pax Ecclesiæ restituta Gregoriū ad sedem reduxisset, vir diuinus totā circumiens regionem, accuratè nomina eorum qui pro fide viriliter occubuerāt describi, & festos dies in honorem sanctorum martyrum à populo vniuerso celebrari curauit. Hisce rebus sedulò intentus, sub obitum totam rursus peragrauit diœcesim, vt cognosceret, num qui adhuc fidei veræque salutis expertes relicti essent. Vbi autem cognouit non plures in antiquo errore, quàm septemdecim permansisse, dixit hoc quidem esse vehementer dolendum: veruntamen iure magnas Deo esse agendas gratias, quod suo in Ecclesia successori, tot relinqueret simulacrorum cultores, quot ipse quondam accepisset Christianos. His ità constitutis cum Ecclesiæ suæ pacem precatus esset, ita excessit è vita, vir planè diuinus & rerū terrenarū contemptor admirandus, vt suis mandauerit, ne vllū locum proprium ei ad sepulturam compararent: Sed hoc, inquit, narretur posteris; quod Gregorius neque viuus alicuius

Natalitia Martyrum celebranda instituit.

Notarē admiratione dignam.

Felicissimus eius obitus.

cuius loci possessor est nominatus, & post mortem alieni sepulchri inquilinus fuerit. Admiranda profectò & omni præconio maior illa virtus, quæ solam eam possessionem iudicauit preciosam, quæ in se auaritiæ non suscepit vestigium.

terrenarum eximium.

Vide Not. C. Baron in ad Martyr. Rom.

MARTYRIVM SS. ACISCLI ET VIctoriæ Germanorum : Ex Ioanne Maldonato Hispano.

17. Noué.

CVM Dion præses, carceres, sæuos cruciatus, mortem deniq; Cordubæ Christianis indiceret, ni sacra continuò facerent dijs, Acisclus & Victoria strenui adeò & fortes in asserenda Christiana religione fuêre, vt ad præsidem ducti, nihil se facere iussa principum audacter prædicarent. Quibus Dion admiratus, Vosnè, inquit, estis, qui sacra deorum contemnitis? Præstamus nos, ait Acisclus, Christo Deo debitam seruitutem, nõ autem dæmonibus surdisque lapidibus. Erubuit præses ad tam audax responsum, & in ima carceris eos detrudi præcepit.

Præsentantur Iudici.

Mancipantur carceri.

Postera verò die producti, cùm in caminum ignis precipitarẽtur, ab angelis excepti laudes diuinas personabant. In fluentum cum saxis ingentibus protrusi, enatant psallentes, & vocẽ angelicam audiunt, irrita suorum clientum nõ fore vota. His Dion perceptis rotas iubet afferri; ignem sub rotis accendi; oleum desuper infundi. Acisclus & Victoria circumactis rotis certè assabantur; sed precibus instabant supplices, vt ignis extingueretur, ne victoria Dion exultaret. Itaque subitò prorumpens flamma, quam-

Diuersis supplicijs afficiuntur.

quamplurimos ethnicos interemit. Dion cum eos vinci tormentis posse omninò diffideret, sagittis Victoriam confecit, & Acisclum iugulauit.

Demum martyrio coronantur.

VITA S. HVGONIS, LINCOLNIENsis Episcopi; professione Carthusiani: Ex ea quæ est apud V. P. Laurent. Sur. Tempus obitûs eius patet infrà.

Vide C. Baron. Notat. ad Martyr. Rom.

S. Hugo è Burgundiæ prouincia claris natalibus ortus, patrem habuit militaris opinione virtutis cumprimis celebrē, & vulgari haudquaquam pietate præditum: vtpotè qui filium ferè octennem, vxoris iam solatio destitutus, spiritali militiæ deuotus obtulerit. Erat non longè à castro eius monasterium Canonicorum regularium, quod pater eius præcipuo quodam affectu colebat, filiumque in eo cælestibus disciplinis imbuendum curauit. Fuit nouellus Christi tyro peramanter susceptus, & seni cuidam religione & eruditione celeberrimo traditus; cuius industria ad tantam virtutum omniū perfectionem peruenit: vt pater, eius potissimum exemplo permotus, relicta dignitate terrena, in eandem militiæ societatem concesserit. Cum autem Hugo nonumdecimum ætatis attigisset annum, cunctis tunc virtutibus egregiè ornatus, sacro Leuitarum ordine est initiatus. In quo gradu cum admirandis virtutibus eniteret, statim parochię cuiusdam administratio ei concredita fuit: cui sanè cum summa virtutis & prudētiæ opinione præfuisse memoratur.

17. Nouē. Patria & parētes eius.

Nutritur in monasterio Canonicorū Regularium.

Anno ætatis suæ 19. sit diaconus.

Post hæc contigit, vt quadam vice deuotionis gratia, cum Priore suo Carthusiam visitaret: vbi statim tantam diuini amoris in suo pectore concepit flammam, vt eam nulla ratione cohibere posset. Mox igitur instat secretius; pulsat precibus fratres singulos, vt in societatem illorum admitti mereretur. Videntes autem fratres ingens eius desiderium & perseuerantem animi deuotionē, in sanctam sodalitatem suam eum perbenignè admiserunt. Nouā verò militiam ingressus, noua inimicorum experitur tentamina: de quibus tamen omnibus Dei fretus auxilio triumphum egit. Carnis infestas tentationes, licet virgineæ esset puritatis, die nocteque patiebatur innumeras: quas magnis abstinentijs, & crebris orationibus ità refrenauit, vt tandem, Domino largiente, ab ijs prorsus extaret immunis. Promotus deindè ad sacerdotium noua atque insolita deuotione perfusus, attentissimè tanti persoluit debitū officij: corpus seuerioribus multo subdens disciplinis; vigilijs, ieiunijs, flagellis, cilicio, potu aquæ cum pane arido, carnis mundiq; blanditias egregie repellebat. Sacro Quadragesimæ tempore, ter qualibet hebdomada, solo pane & aqua contentus, in vltima sabbathū insuper addebat.

Ex canonico regulari fit Carthusianus.

Carnis tentationes patitur innumeras.

Pia eius exercitia.

Videns autem Prior tantam in eo sanctitatem, humanitatem, & prudentiam, procurationem totius domûs ei demandauit; non quidem statim à suscepto sacerdotio, sed decimo ab ingressu anno. Quod ille munus tam vigilanter executus est, vt fama eius etiā vltra fines prouinciæ illius excresceret: & Henricum Angliæ Regem

Fit Procurator.

Regem eius nominis secundum magno illius amore inflammaret. Eodem illo tempore VVictamiæ domum Carthusiano instituto Rex attribuerat, sed propter incolarum & vicinorum proteruiam duo iam antè Priores nihil ibi proficere potuerant. Itaque audita Hugonis eximia & prudentia & sanctitate, eum per legatos ilicò accersijt. Fuit hoc viro sancto & contemplationis dulcedine inescato durum sanè & asperum: veruntamen obedientiæ virtute compulsus, cùm prouinciam illam subterfugere non posset, incredibili sui desiderio fratribus relicto, VVictamiam abijt; fratresque in magna paupertate degentes aduentu suo breui subleuauit. Nam cum Rex verane essent, quæ de eo audiuerat, experiri vellet, eum acciuit; & longa verborum concertatione cũ illo disseruit. Hugo verò adeò subtiliter & religiosè verba verbis aptauit, vt eo die non parum Regis crumenam exhauriret. Omnia enim quæ pro instauratione dictæ domûs petijt, Rex deinceps libenter concessit. Verum antè, quam prioratum illũ susciperet, tanta rursus carnis infestatio eum inuasit, vt similẽ nec antè nec posteà vnquam expertus fuerit. Ab hac autem post multas orationes tandẽ per sanctæ memoriæ Basilium, qui in visione ei apparuit, liberatus est: qui Basilius paucos ante dies Prior Carthusiæ fuerat, & ad sacrum Ordinem eum receperat, nec ita pridem ab hac luce migrarat.

Accersitur ab Henrico Angliæ Rege vt sit Prior in VVictha.

Secundò magnam patitur tentationem carnis.

S. Basilius Prior Carthusiæ.

Per id tempus Rege de transmarinis partibus redeunte, suborta tempestas adeò classem elidere cœpit, vt impendentem mortis terro-

rem euadere nemo confideret. Vniuersis igitur orantibus, votaque multa Deo & sanctis eius nuncupantibus, Rex tandem in hæc verba prorupit: O si vigilaret nunc Carthusiensis Hugo meus, & solitas pro nobis preces funderet, nõ ita in longum obliuisceretur mei Deus. Et altius ingemiscens, Deus, inquit, cui in veritate seruit Prior Victamiæ, illius interuentu ac meritis, nobis in tantam ob peccata nostra angustiam iure coniectis, clemẽter succurre. Nec mora; trãquillitas redijt insperata, & prospero cursu nauis ad portũ delata est. Fertur Rex in illo discrimine vouisse Deo, se eum ad episcopatum promoturum, si periculum euaderet. Ab eo sanè tempore in tanta eum veneratione habuit, vt nec vnus quidẽ in toto Britanniæ regno esset, in quo tam fidenter spiritus eius cõquiesceret. Fama etiã viri Dei propter hoc factum, longè lateque diffusa est. Quapropter quamplures ad eum confluentes, sacri Ordinis iugo colla submittebant: quos ille & pabulo diuini verbi & multo magis exemplo ad omnem sanctitatis perfectionem perducebat. Ante omnia strenuam sacris codicibus nauabat operam; quos religiosis quibusque necessarios, & maximè vitam ducentibus solitariam, dicere solebat. His enim pro delicijs & diuitijs tẽpore tranquillo, his bellico in procinctu pro telis & armis, his in fame pro alimonia, his in languore pro medela monachis vtendum esse memorabat.

Rex Angliæ meritis precibusq; Hugonis à mortis discrimine liberatus putatur.

Obserua quãti fecerit quantumque necessarios duxerit sacros codices: sinè quibus solitarius diu sustinere nequit.

Intereà appropinquante tempore quo vir sanctus nutu diuino ad altiora erat promouẽdus, contigit canonicos ecclesiæ Lincolniensis ad re-

ad regiam pro paſtoris electione vnanimiter venire. Vacauerat enim ſedes illa annos decẽ ferè & octo. Annuente igitur Rege & conſentiente Metropolitano, electionem ibidem celebrarunt. Quid multis? Conuenientibus omnium votis in Priorem Vvictamiæ, Hugo (quãquam non ſinè grandi labore multiſque moleſtijs, quas exhibebat, vt illud onus honoris ſubterfugeret) trahitur, rapitur, & volens nolens episcopus conſecratur. Fertur tunc miri quiddam in Lincolnienſi accidiſſe dioeceſi. Nã eodem illo die quo vir ſanctus Lincolniam intrauit, cygnus quidam non paulò maior cæteris, & nunquam anteà ibi viſus ad caſtrum quoddam aduolauit, & omnes alios, quos illic reperit plurimos, paucos intra dies occidit cygnos, vno tantũ fæminei ſexûs, ſolatij magis quã prolis propagandæ cauſa, reſeruato. Familiarẽ ſe nulli, niſi ſolo exhibebat episcopo: de cui⁹ manu ſtatim micas accepit. Caput cũ collo lõgo in eius manicam ſatis amplam quaſi in aquam immerſit: die noctuque apud eũ manſit, & fidelẽ per omnia corpori eius adhibuit cuſtodiã. Abeunte verò episcopo, mox auis regia in ſtagnum recurrit. Aduentum etiam viri ſancti, triduo aut quatriduo, antè prenunciare cõſueuit; volando, clamitando, alijſque geſtibus inſolitis: adeò vt famuli vel eo ſolum ſigno de aduentu episcopi certiores fierent. Vltimo tamen aduentu eius antè mortem, ſolito more non occurrit; imò per miniſtros ægrè adducta nullam lætitiæ aut familiaritatis ſignificationem exhibere voluit: ſed capite pendulo ægrã ſe ſimulans, mœſta redibat.

Fit Episcopus omninò inuitus.

Nota de cygno rara ſanè.

Quomodò episcopatum administrauerit.

Suſcepto itaque præſulatu, prima cura & ſolicitudo ei fuit, vt viros ſapientia & ſcientia inſtructos atque in timore Dei probatiſſimos, ſuo lateri adhiberet. Horum conſilio & auxilio fretus, paſtorale munus per quam ſtrenuè executus eſt. Videns autem Forenſium tyrannidem, qua ſummum ius in ſummam iniuriam vertebant; contra eos primum ſuſcepit bellum. Nam cum more ſolito contra eccleſiæ libertatem in ſubditos ipſius debacchari cæpiſſent, mox in primarium fulmen excommunicationis vibrauit. Attulit ea res magnam Regis animo indignationem: ſed antiſtes iuſtitiæ tenax nihil iram Regis veritus eſt. Vacabat eodem illo tempore in Lincolnienſi eccleſia eccleſiaſticum beneficium; quod Rex per legatos vni ex ſeruis ſuis ab epiſcopo poſtulabat. Sed vir ſanctus diuino timori poſtponens humanum, poſtulatũ reiecit; & regios legatos à ſe inanes remiſit, dicens: Habet dominus Rex, vndè mercedem ſeruientibus ſibi tribuat: nec decet ſummo Regi famulantes iuſtis priuare prouentibus, vt indè ſeruis ſuis prouideri poſcat à nobis.

Intrepidè iuſtitiam defendit.

Studioſiſſimus eſt pacis.

Pacis amator & conſeruator in tantum fuit, vt bono pacis in hac vita nihil præferendũ, nec ſeditionis & turbatiõis peſte quidquã amplius fugiendum aſſereret. Itaq; monebat indifferẽter quoslibet prẹlatos, vt vnitatis & cõcordiẹ vinculũ cum ſuis ſubditis inuiolabiliter conſeruarent: ſi facerent, nunquã internam pectoris ſecuritatẽ perderẽt, quæ ſempiternam nobis tranquillitatẽ conciliat. In menſa vir ſanctus hilaris ſemper, & quanquam non ſinè gra-

uitate

uitate & modeſtia, iucundus fuit; hortabatur-
que alios ad eandem animi lætitiam dicens:
Læti ſimus ſecundum faciem ſanctorum. Si
quandò muſici, aut alij mundana ſolatia affe-
rentes quauis occaſione intereſſent, tũ vel ma-
ximè grauitati ſtudebat; ne peregrina conſo-
latio, animum eius ab æternorum contempla-
tione auocaret. A carnis eſu abſtinuit ſem-
per; piſcibus crebrò veſcebatur: & moderatum
vini vſum non reſpuebat. In epiſcopali quo-
que munere conſtitutus, de victûs parſimonia
nonnihil remittere viſus eſt. Magna ſubditos
beneuolentia & humanitate proſequebatur; &
peccatores tanta commiſeratione, vt ſangui-
nem pro eorum ſalute, ſi opus fuiſſet, profun-
dere non dubitaſſet. Regi Richardo, qui Hen-
rico in imperio ſucceſſit, & maximas frequen-
ter ei moleſtias exhibuit, pro ſubditorum in-
columitate conſtanter ſemper reſtitit, eiuſque
iram implacabilem interdum mira dexteri-
tate extinxit.

Aliæ eius virtutes.

Richardus Angliæ Rex ſucceſſor Henrici.

Fuit verò non minus Zeloſus, contrà quoſ-
libet alios pauperum oppreſſores, Eccleſiaſti-
cæq; libertatis violatores; quos indiſcriminatim
abſq; vlla perſonarũ acceptione arguebat,
admonebat; etſi cõtumaces perſiſterẽt, etiã ex-
communicationis ſententia feriebat. Excom-
municati autem plerique ilicò terribiliter di-
uinitus puniebantur; nonnulli ſubitò nõ com-
parebant: alij à malo dæmone præfocati proti-
nus expirabant. Inter micantes gladios, nudo
capite ſæpius ſtetit imperterrit⁹, & nec ad mo-
mentũ ab obiurgationib. ceſſauit, vbicũq; res
poſtulare videretur, pro iuſtitię defenſiõe. Tãta

Zelus eius aduerſus libertatis Eccleſiaſticæ violatores.

siquidem fiducia illi semper erat ergà Dominum, vt non parum se peccasse fateretur, si vel tenuiter eas ob res formidâsset, propter quas formidare, trepidare & angi solet humana infirmitas. Singularem quoque à Domino gratiâ acceperat iustum ab iniusto discernendi: ita vt peritissimi iureconsulti cum admiratione dicerent, nunquam se talem virum reperisse in decidendis etiam difficilibus subtilissimisque causis: quamuis ille eiusmodi praxim nusquâ didicerat. Vndè & grauiora totius prouinciæ negotia ei expedienda summi Pontifices subindè delegârunt.

Admiranda in eo æqui et iniqui cognitio.

Quanta autem deuotione ergà reuerendissimum altaris Sacramentum fuerit, ex hoc solo satis perpendi potest, quòd crebro pius Dominus in forma speciosissimi pueruli, sacrificâti illi visibiliter apparere dignatus est: quod quidem religiosis quibusdam personis diuino nutu non rarò intueri concessum fuit. Preces Canonicas statuto persoluebat tẽpore, etiam in itinere cõstitutus: nec induci poterat vt aut præueniret illud, aut differret. Sed enim in magnis tractatibus sicut quidam ad consultandum siuè deliberandum egredi solent, sic ipse immortali Regi debitum laudis oblaturus, simulatque venisset hora, mox exire solebat. Nihil siquidem diuino officio anteponendũ Carthusiano more vir fidelis didicerat: quod etiam vsque in finem exactè seruauit. Post longa tandem huius vitæ certamina, acri correptus febre, inter continua orationis verba beatũ Deo spiritũ reddidit, circa annũ Domini 1200, iam sexagenarius, cum sedisset annis 15, diebus 58: vir san-

Christum ei in Venerab. Sacramento sæpè apparet.

Vt Preces horarias per soluerit.

Feliciter è vita abit.

vir sanctitate admirabilis; Pōtificum baculus; & Regum malleus; quem multis & illustribus sanè miraculis Dominus sicut priùs in vita, sic & post obitum mirificauit.

Ceterùm sacrum corpus eius fuit cum magna celebritate ad sedem propriam deportatum, ac summa in AEde honorificè admodum terræ mandatum: atque hoc Epitaphio decoratum. *Locus sepulturæ eius.*

Pontificum baculus, monachorum norma, scholarū Consultor: Regum malleus Hugo fuit. *Epitaphium eius.*

Anno verò Christi millesimo ducentesimo octogesimo, Octobris sexto die, eleuatum atque translatum est: cùm iam antè ab Honorio 3. Pontifice Maximo in Sanctos relatus esset. In hac autem eleuatione corpus, quasi integrum, vestes verò incorruptæ planè repertæ sunt, & loculus magnā purissimi olei exhibuit copiā. Tandem in theca auro, argento, & pretiosis lapidibus ornata reconditum est, ipsaque theca loco cōgruo satisq; sublimi, è marmore structo honorificè collocata est, nō lōgè à sanctissimo eius capite: quod iuxtà altare beatissimi Ioannis Baptistæ in Lincolniēsi Ecclesia, à corpore separatum, ac auro, argento & gemmis inclusum reposuerunt. *Eluatio ac translatio eius.*

MARTYRIVM S. ROMANI, EX Ecclesiasticæ Historiæ Eusebij Cæsareensis. lib. 8. cap. 12. interprete Ioāne Christophorsono Anglo. Coronatus est anno Christi 301. Marcel. Papæ 6. Diocletiani & Maximiani Imperat. 19. *Vide Tom. 2. Annal. & Notat. ad Martyrol. Rom.*

18. Nouē. *Patria eius.*

ROMANVS, Palæstinus genere, ecclesiæ Cæsareensis Diaconus & exorcista, cùm pariter Antiochiæ in ecclesiarum vastatione fortè versaretur, complures viros simul cum vxoribus & liberis aceruatim ad idolorũ delubra properantes, & ijsdem hostias immolantes, intuitus, spectaculum neutiquam tolerandum arbitratus est: & propterea singulari pietatis studio incensus, accedit propius, & magna voce exclamans, eos grauiter redarguit. Qui propter hoc tam audax facinus præhensus, generosissimus, si quisquam alius, testis declaratur veritatis. Nam cum Iudex mortem illi ignis incendio infligẽdam pronunciasset, ille vultu hilari & animo maximè læto, sententiam lubens amplexatus, ad supplicij locũ abducitur. Deindè vbi alligatur ad palum, & dum ligna illi circumcirca coaceruabantur, & hi qui incenderent rogum, Imperatoris iam præsentis sententiam expectabant, clamauit: Vbi mihi ignis quæso?

Redarguit publicè idolorum cultores.

Damnatur incendio ignis.

Hæc locutus accersitur ad Imperatorem, quò nouum & inusitatum supplicij genus sustineret, vt lingua nimirum illi amputaretur. Quod fortissimè perpessus, rebus omnibus declarauit, diuinam vim illis, qui aliquid pro pietate subeant acerbitatis, opem semper apportare solere; cum labores & ærumnas alleuãdo, tum animi alacritatem firmiter corroborando. Iste enim simulatque nouum illum supplicij modum intellexit, præ generoso animi alacritate neutiquàm obstupefactus, lubens extendit linguam, & paratissimo animo eam lictoribus quasi instructam præbet. Post quod supplicium in vin-

Lingua ei amputatur.

in vincula coniectus, longinquo temporis spatio ibi afflictatus, tandem cùm vigesimus annus regni Imperatoris aduentaret (quo ex decreto concessum erat, vt libertas omnibus, qui in vinculis vbiq̃ue constricti tenebantur, palam prædicaretur) solus iste in compedibus iacens, vtroque pede ad quintum foramen distracto, laqueo collo circumiecto strangulatus, martyrio demùm, sicut ei erat in optatis, decoratur.

Strangulatur.

VITA S. MAXIMI EPISCOPI Moguntini: Ex ea quæ est iussu Reuerendissimi & Illustrissimi Alberti Archiepiscopi Moguntini à Ioanne Trithemio conscripta. Numeratur eius sedis episcopus nonusdecimus. Obijt verò anno Domini trecentesimo septuagesimo octauo. Pontificatus sui 24.

Vide C. Baro. et Not. ad Marty. Rom. & Annal. Tom. 3.

BEATVS Maximus Moguntiæ honestis & Christiana pietate eximijs natus parentibus, optima prestantiq; indole puer literis traditus, tantos in ijs breuissimo temporis spacio fecit progressus, vt nulli sodalium esset secundus. Sæuiebat eo tempore cùm aliorum hæreticorum, tum Arianorum præcipuè perfidia: quæ inter alios Lucium quoque Anneum Moguntinum antistitem pro fide Catholica apud Phrygiam cum duobus presbyteris Paulo & Crescentio exulantem insidijs circũuenit, ac postremò strenuè decertantem strangulauit. Ei viro sanctissimo & magnarum in Christo virtutum insigni Maximus stabili semper charitate adhæserat: eaq̃ue propter beatissimus Præsul Moguntia discedens, Maximũ pres-

18. Nouẽ.

Patria eius.

Eximius profectus eius in studijs.

Srangulatur ab Arianis Lucius Anneus Moguntinus episcopus.

presbyterum pro confirmādis in recta fide populis apud Moguntiam reliquerat. Relictus igitur cùm nequaquàm suo antistiti virtute inferior, veras Christi oues pabulo diuini verbi sedulo pasceret, & irruētes lupos dictis factisque submoueret, mox audita Lucij Annei nece, reliquiæ fidelium continuò eum communi consensu in defuncti sedem collocarunt, & Moguntinæ Ecclesiæ Præsulem, anno salutis humanæ trecentesimo quinquagesimo quarto, dignissimum declararunt.

Ei succedit Maximus.

Eo igitur munere haud segniter suscepto, irreprehensibilem se Domino exhibuit ministrum: paratus pro amore Dei populique salute non persecutiones solùm, & carceres sustinere, sed ipsam quoq; mortem; & si quid morte esset crudelius, constanter subire. Erat vir diuinarum humanarumque rerum sciētia præclarè instructus, & tantis insuper virtutibus ornatus, vt vita ab Apostolica perfectione nihil distaret. Corpus assiduis ieiunijs & vigilijs penè continuis castigabat, sanctis orationibus & Euangelicæ prædicationi sinè intermissione intētus. Peragrabat vicos & vrbes nudis, vt plurimū, pedibus, Presbytero, Diacono & Subdiacono comitatus; cunctisq; per gyrū populis salutarē doctrinam opportunè & importunè inculcabat: & multos, frementib. licet Arianis, à perfidia ad fidem veram & Orthodoxam reducebat. Ea res cùm dæmonis satellites haberet pessimè, tùm nihil non moliebantur, vt adeò præstanti virtute & doctrina virum vel morte mulctarent, vel certè perpetuò exilio à pascendis Christi ouibus arcerent. Septies itaque

Zelus eius pro defensione fidei.

Aliæ eius virtutes.

itaq; Pontificatus ſui tempore ab impijs Arianis vrbe Moguntina pulſus eſt; ſepties quoque diuina prouidentia reſtitutus : animo menteque per omnia inuictus : vtpotè quem nullæ hæreticorum inſidiæ, nullæ calumniæ vel impugnationes frangere poterant. Pro tuenda namque Catholicæ Orthodoxæque fidei aſſertione, nec mortem timuit ; nec vincula, nec carcerem aut exilium ſubire formidauit. Docuit publicè cùm licuit; docuit & occultè, cùm aliter non poterat: docuit verbis, docuit ſcriptis: actãdem poſt varias pro fide Chriſti perſecutiones, & innumeras tribulationes, plenus dierum atque virtutum ad Dominum migrauit fœliciter: anno Incarnati verbi trecenteſimo ſeptuageſimo octauo: Pontificatus ſui viceſimo quarto.

Septies mittitur in exilium ab Arrianis & multa patitur.

Migrat ad Dominum.

Porrò Arianorum perfidiam, quatuor libris pietate & eruditione plenis oppugnauit; ediditque præterea de Incarnatione Domini libros duos: De Spiritu ſancto totidem. De Conſtantia fidei Catholicæ librum vnum: De Martyrio Sanctorum ſimiliter vnum. Homilias & Sermones multos & vtiles ad populum, aliaque nonnulla ſcripſiſſe dicitur : quæ ad notitiam noſtræ lectionis peruenire minimè potuerunt. At verò beatiſſimi Pontificis corpus à diſcipulis in Eccleſia diui Præſulis Hilarij, poſteà nuncupata in Dalheim (vbi ciuitas Moguntina eo tempore legitur fuiſſe conſtructa) debito cum honore, iuxta tumbam S. Creſcentis, primi Epiſcopi, fuit ſepultum : in quo quidem loco humatum permanſit annis quingentis quinquaginta ſeptem , vſque ad tempora Hilde-

Scriptæ eius.

Locus ſepulturæ eius.

Hildeberti, post S. Bonifacium Moguntinensis ecclesiæ Archiepiscopum, duodecimi: qui anno Dominicæ incarnationis 935. decem Ecclesiæ Moguntinæ Pontificum ossa è Sacello D. Hilarij memorato, solemni cum processione Cleri & populi, ad Ecclesiam monasterij diui martyris Albani transtulit: & in choro summa cum reuerentia collocauit: inter quæ, corpus quoque beatissimi Pontificis Maximi, fuisse memoratur.

Translatio reliquiarum eius & aliorum.

MARTYRIVM S. BARLAAM: EX HOmilia B. Basilij magni desumptum: quod Cæsareæ in Cappadocia inuicto robore consummauit, anno Domini 304. Marcelli Papæ 1. Galerij Maximiani Imp. 1. similiter.

Vide Tom. 2 Annal C. Baron.

19. Nouēb. PRIMVM quidem Sanctorum mors planctu ac lachrymis cohonestabatur: nunc verò moriētibus sanctis exultamus. Tristium namque post Crucem Domini immutata est natura. Iam non amplius Sanctorum obitus lamentationibus prosequimur, sed tripudijs diuinis circum ipsorum sepulchra veluti choreas ducimus: Somnus autē iustis est mors: imò magis ad vitam meliorem migratio. Hinc est, quod martyres exultant, dum trucidantur: Non enim pericula, sed coronas respicit martyr: & plagas non horret, sed præmia numerat. Non videt lictores infernè flagellantes: sed Angelos supernè lætus omnibus acclamantes imaginatur: non spectat ad temporaria pericula, sed ad præmiorum æternitatem. Idipsum sanè hodie forti ac strenuo Barlaam vsu venit: qui homo quidem agrestis insuperabilem nobis

Mors sanctorum somnus.

bis pietatis exhibet doctrinam: quem Tyrannus rapuit quidem veluti facilem prædam ac venationem nactus; posteà verò insuperabilem militem sensit: quem tanquàm insana ac delira loquentem risit, mox verò angelica virtute strenuum horruit. Mores enim hominis non fuerunt cum organo linguæ barbari, nec ratio cum syllabis, claudicare visa est. Sed erat alter Paulus cum Paulo dicens: Etiamsi sermone sim rudis, non tamen scientia. Torpebant iam flagellando lictores, martyr verò robustior inueniebatur. Lacerantium manus eneruabantur, verum mens lacerati haudquaquam flectebatur. Neruorum harmonias iam flagra remiserant, ac fidei vigor vehementius stringebatur. Perfossa latera absumebantur, mentis verò philosophia florebat. Maior carnis ipsi' portio emortua erat: at ipse martyr, quasi nondũ inito certamine, firmus erat. Nam quãdo pietatis amor animum hominis præoccupat, quodcunque illi pugnarum genus ridiculum reddit; & quotquot illum desideratæ rei gratia conuellunt: delectant magis, quàm consternunt.

2. Cor. 11.

Flagellatur S. Barlaam.

Vis diuini amoris.

Talis & nobis hodie laudatur miles; qui supplicia loco gaudij duxit. Dexteram habuit igne firmiorem; quam, post varia tormenta, carceres & flagra, hostes illius igne concremarũt. Aræ namque pro more dæmoniaci libaminis igne imposito martyrem adductum sistentes, focoque incenso dexteram illius thure incenso plenam adhibuerunt: ea spe vt ignis vi expugnata manus, necessariò ac velociter thus in aram excuteret. Sed martyr impiam illorum

Dextera illius igne crematur.

En ministro-

rum Satanæ insidias.

Admiranda illius fortitudo.

lorum ſpem admiranda planè conſtantia deluſit: nam manum adeò fortiter tenuit immobilem, vt ſtupentibus barbaris, flamma penitus eam abſumeret: ſed nequaquam martyris virtutem vel tantillum infringeret.] Hæc & alia plura affert in facti egregij commendationem Baſilius: adeò vt Mutij Romani, omnium penè ſcriptorum chartis commendatum exemplũ, iam videatur huius comparatione vileſcere; ac veluti ſolis fulgore, quæ lucebat in nocte lucerna, propemodum obſcurari. Etenim ad tale facinus illum error impulit; porrigereq; dexteram, crimen maieſtatis etiam caput exigens, perſuaſit: martyrem verò Chriſti veritas, cultuſque pietatis reddidit fortiorem. At nõ in vno tantum Barlaam Chriſtiana religio gloriatur; ſed alios propè innumeros huic ſimiles atq; præſtãtiores habuit; ijs alijſq; tẽporibus, eiuſmodi atq; maiorũ facinorũ patratores. Nõ enim in vno Barlaã, ſed alijs quamplurimis ſæua tyrannis, quo ſpecietenùs viderentur Chriſtiani aræ incenſæ cum thure admouiſſe manum, eiuſmodi eſt experta noua crudelitatis arte ſæuitiam.

Hæc C. Baron. Tom. 2. Annal.

Vide Notat. C. Baron. in Martyr. Rom.

VITA S. ELIZABETH REGIS HVNgarorum filiæ: Ex ea quæ eſt per Iacobum Montanum Spirenſem. Tempus obitûs eius &c. patet infrà.

19. Nouẽ. *Parentes eius.*

ELIZABETH nobiliſſimis in Hungaria parentibus, patre Andrea Rege belli iuxta ac pacis artibus præſtantiſſimo, matre verò Gertrude Regina, virilis animi fœmina, progenita eſt. Quam lactantem adhuc Herma-

Hermannus Turingiæ Maximus princeps (Lãtgrauium vulgò vocant) Ludouico filio infanti desponderi procurauit. Cuius petitioni regina mater non modò libenter annuere est visa, sed postea etiam quadrimam, enixè id per legatos postulante Hermanno, splẽdido & magnifico admodùm apparatu, eò destinauit; & in Turingia maximo illi Principi futuram filij sui sponsam nutriendã cõmisit. Ibi postquàm triennium exegisset, fędo rumore percrebuit, Reginam insidiosa procerum quorundam machinatione fato cõcessisse. Hoc igitur æui altero parente orba nobilissima virgo, magna quædam sæpenumerò futurę sanctitatis veluti progymnasmata edere cœpit. Vbi annum ætatis nonũ ingressa est spõsi sui patre vita functo, mox tota mente Deũ sibi ob oculos statuens, omnes actiões suas ad illius potissimũ laudes & gloriam mirificè cõposuit: vestiũ splendorem carnis lenocinia, & mundi vanitatem egregiè contempsit. Educabatur vna cùm illa Agnes, spõsi soror, eximia pulchritudine virgo: q̃ cum matre sua Sophia molestè interdum Elizabeth humilitatem ferebat, monebatque vt, si vellet optatis fratris sui nuptijs potiri, fastum mundique gloriam sectaretur, & vitam regio splẽdore & magnificentia dignam institueret. At illa nihil quotidianis conuicijs atque cachinnis, quibus eam nonnulli ex aulicis appetebãt, mota, in virtutum studio & exercitatione constans permanebat; relictisq; nobilibus & purpuratis, pauperum magis & ancillarum gaudebat consortio, fruebatur alloquijs, & operibus occupabatur.

Elizabeth adhuc infans desponderur.

Nutritur in Turingia.

Pietas eius in puerili ætate.

In hiſce pietatis virtutumque exercitijs ætate puerili tranſmiſſa tandem Princeps nubilem, vxorem duxit; cum Elizabeth nihil non modò de priſtini feruoris intentione remiſit, ſed inſuper in dies auxit, accumulauitque bonarum actionum ſtudia. Enimuerò animũ cæleſtium rerum contemplatione paſcens, corpuſculum vigilijs, ieiunijs & precibus exercebat: votiuas quotidiè Deo fundens preces; quas ſi interdiu quopiam impedita negotio intermiſiſſet, noctu perſoluebat. Quam nocturnam deprecandi deuotionem tanto feruore aſſumpſerat, vt ſæpiuſculè pro lecto, ſtrato ſit vſa tapeto. Deindè temporis progreſſu arctioribus ſe ſponte ſubdens diſciplinis, ſexta qualibet feria, virgarum flagellis in tenerum corpus animaduertebat.

Igitur Principi matrimonio.

Ieiunia & Vigiliæ eius.

Caſtigationes corporis.

Per id tempus eximius Chriſti ſacerdos Cõradus Marpurgenſis, vita & eruditione clarus, ius cõferendi Sacerdotia, templorumque præfecturas à Ludouico principe obtinebat. Eius viri tanta erat pretereà virtutis & pietatis opinio, vt Elizabeth, ſumma Principis mariti ſui voluntate, eidem congruentem matrimonio obedientiam promitteret: quam illa, non ſolũ toto biennio, quo Princeps ſuperuixit, ſed reliquo deinceps vitæ tempore tam exactè ſeruauit, vt res, quã narraturi ſumus, haud vulgari admiratione digna ſit. Habiturus aliquando de rebus (vt ſolebat) diuinis concionem idem Conradus, eidem Chriſti famulæ intereſſe præceperat. Illa autem inopinato ſororis viri ſui aduentu præpedita, hoc ipſum neglexerat: quapropter ille eam poſteà velut indignabundus

Conradus ſacerdos insignis.

Elizabeth ei obedientiã promittit.

dus auersari visus est. Quod simulac regia mulier præsensit, nulla habita generis sui ratione, eius aduoluta pedibus, negligentiæ suæ veniam humiliter postulare non dubitauit.

En insigne exemplum humilitatis & obedientiæ.

Sed exigua sunt hæc in tanta matrona, si reliquas eius virtutes euoluere velimus Fuit in ea admirandum pauperibus benignè faciendi studium: quo omnium incommoda sublevare, pauperesque tanquam proprios filios fouere non desinebat. Anno à Christi natali millesimo ducentesimo vigesimo quinto, cùm dira fames per vniuersam Alemaniâ horrendè grassaretur, degente per id tempus in Apulia apud Imperatorem Principe, ipsa explédæ pietatis occasionê nacta, primò collectum omne suæ ditionis frumentum pauperibus largissima manu erogare cæpit. Deindè cùm aduerteret plurimos egenorum præ aduersa valetudine aut membrorum incommodis eleemosynæ communis manere expertes, quòd ascensu montis, in cuius vertice arx sita erat, præpedirentur, insigne quoque xenodochium loco humili sub arce quamprimùm construi, curauit. In eo verò xenodochio eos potissimum fouebat pauperes, quos vel morborum vexabat iniquitas, vel membrorum debilitas insigni dehonestamento notabat: quos ipsa quotidie per se pascere, è strato suo tollere, gestare brachijs, fœtoremque singulorum perferre non grauabatur. Duodetrigintà verò pauperes ita in xenodochio illo disposuerat, vt statim defuncti cuiuspiam lecto alius potiretur. Nongenti autem mendici quo-

Benignitas eius in pauperes incomparabilis.

Fames valida in Alemania.

Construit xenodochiũ.

tidie ſub oculis eius alebantur; exceptis, quos per latiſſimam ditionis ſuæ prouinciam paſcebat abſens: apud quos tanta indefeſſæ humanitatis exercuit beneficia, vt non rarò redditibus iam erogatis, corporis ſui ornamenta diſtraheret, nè Chriſti membra fame tabeſcerent.

Et quidem reuerſum ex Apulia Principem mox graues œconomorum excipiunt querelę: quod redditus omnes frugesque locupletiſſimas intempeſtiua erogatione in pauperes profunderet Elizabeth. At verò ille dignum profectò Principe reddens reſponſum: Sinite, inquit, ſororem meā, vt cępit, benefacere; modo arces mihi incolumes ſuperſint. Non deerit, ſcio, victus, quamdiu illam egenis ſubuenire permiſerimus. Sed hanc tantam tamq; eximiā pientiſſimæ matronæ virtutem, mox à mariti obitu grauiſſima quorundam excepit inuidia. Magnates enim qui Henrico defuncti Principis fratri, per ætatē ad regni gubernacula necdum idoneo, adhærebant, poſthabito Dei timore ac publica honeſtate, Chriſti famulam fortunis omnibus exutam, ceu ignobilem aliquam arce coēgerunt excedere; idque eo modo vt vix quiſquam hoſpitio eiectam excipere auderet, propter ſæuitiam, qua crudeles illi in eam bacchabantur. Quo tempore ipſa, humano ſolatio planè deſtituta, ad cœnobium Fratrum Minorum veniens, hymnū quem, Te Deū laudamus, vocant, decantari obnixè rogauit: præclarè ſecum ſtatuens, Chriſti numen multo magis in aduerſis quàm proſperis reb' hymnis & laudibus proſequēdum eſſe. Ibi, ne quid cala-

Notent iſta auari & immiſericordes.

Defuncto marito à ſuis expellitur meſereque vexatur.

calamitatis deesset, eius quoque liberi nouo inhumanitatis genere delati fuêre. Itaque filia Regis, ab altissimo diuitiarum culmine deiecta, eò paupertatis deuenit, vt ablatis vitæ necessarijs, angustias erguli magis quàm diuersorij non sinè mendicitate adipisceretur. In ijs constitutam miserijs (si tamen miseriæ dicendæ sunt, quæ pro Christi amore in hac vita tolerantur) matertera eius Sanctimonialiũ Præfecta, ad se quamprimùm acciri aduehiq́ue curauit: aduectam ad Babenbergensis Ecclesiæ Episcopum ipsius auunculum transmisit honorificè.

Et quidem humanissimè ab eo suscepta, paulò pòst illius & aliorum procerũ opera in arcem quidẽ restituta fuit: sed illa verita nè fortè diuina se gratia indignam redderet, mox iterum populari se vitæ ac paupertati sponte addixit: magnatibus illis (quos supra notauimus) eam nequicquàm insanam, fatuam, ac superstitiosam clamitantibus. Erat itaque impijs ostentui, sed pijs summæ venerationi: adeò vt Pontifex Maximus Gregorius Nonus, audita fama virtutum eius, tanquá filiam sub Apostolicæ legis protectione eam assumpserit: assumptam Christi sacerdoti Conrado Marpurgensi commendauerit; commendatæ solatium pariter & adhortationem adhibuerit.

Sponte renunciat omnibus pompis & diuitijs mundi.

Gregorius 9. Papa.

Intereà ædificato intra vrbem expedito magis quàm sumptuoso domicilio, reuersa ibidẽ Deo in omni sanctitate famulari, simulq́ue cõstructum à se quõdam Xenodochium crebrius inuisere, ac Christi membra, quibus poterat, fouere solatijs perrexit. Quanquàm autẽ qui-

Nota quod etiam delectus pauperũ haberi possit.

quibusuis, pro facultate, pauperibus eleemosynas largiretur; delectum tamen eorum quos Xenodochij domicilio donabat, perquàm diligentem agebat: ijs videlicet potissimùm assumptis, quos vel Christianæ religionis studiũ præ cæteris commendabat, vel affecta valetudo ad maiorem misericordiam tribuendam prouocabat.

Manibus victum sibi comparat.

Vestem à magistro Conrado colore accepit natiuo; textu rustico; valore admodum vili abiectoque. Porrò lanificio operam dans, victum indè quæstuaria procurabat, cũctis Regum delicijs sibi gratiorem. Quã in paupertate degẽtem, missus ex Hungaria Comes cùm non sinè stupore vehementi inuenisset, tentaretque ad opes natalis soli reducere, affirmans eo se nomine illuc missum à patre, nequaquàm tamen illis Elizabeth est mota, sed constanter in illo suo paupertatis amore permãsit; & multis miraculorum à Deo decorata virtutibus ac signis tandem inter puelli Iesu nati magnalia placidè obdormiuit in Domino: anno Religionis nostræ 1231. tertiodecimo Kal. Decemb. Quam mox plurimis coruscantem miraculis, quarto postquàm decesserat anno, Gregorius IX. Diuarum catologo dignissimam censuit.

Obitus eius felicissimus.

Vide Tom. 10 C. Baron. & Notat. in Martyrol. Rom.

MARTYRIVM S. EADMVNDI REGIS Angliæ: Ex eo quod est per Abbonem Floriacẽsem Abbatem. Passus est anno Christi 870. Regni verò sui 16.

20. Nouẽ.

EADMVNDVS Eastengle prouinciæ Rex nobilissima antiquorum Saxonum prosapia ortus, à primæuo ætatis suæ tẽpore, cul-

cultor extitit fidei Christianæ veracissimus. Qui atauis Regibus editus non tantùm ex generis successione, sed multo magis quòd bonis polleret moribus, essetque specie imperio dignissima, ad summum illud honoris culmen, vnanimi procerũ omniũ fauore, euectus fuit. Ea verò regiæ dignitatis amplitudine inauguratus, inter suos coæuos mirabili mansuetudine dominus, absque vllo fastu superbiæ residebat. Erat in eo tam excellens virtutum omniũ præsidium, vt cũctis suis subditis mirificè charus esset, eiusque studijs & vigilantia, conspicuis admodum bonorum actuum ornamentis Ecclesia illa emineret.

Dotes animi eius & corporis.

Hanc verò tantam Ecclesię pacem, inimicus omnis boni dæmon, inuidens duos malitię suę satellites excitauit egregios: Inguar & Hubbã; qui coniunctis nefaria conspiratione animis, totiùs Britanniæ fines exterminare aggressi sunt. Itaque furibunda mente, infesta in *Nordanhumbrorum prouinciam signa inferentes, eam graui & miseranda valdè depopulatione peruagati sunt. Cumque obuia quæque loca flammis cremâssent, & nulli omninò ætati vel sexui immani crudelitate pepercissent, tãdem Eadmundum quoque Regem ad necem Inguar tyrannus inquirere cœpit. Morabatur is eo tẽpore in villa quadam, quæ lingua eorum Hagilisdum dicitur. Eo confestim barbarus vnum è suis direxit commilitonibus; qui Regi flammã ferrumq; & acerbissimos deniq; cruciatus minitaretur, ni antiquos thesauros & paternas diuitias, sub eo deinceps regnatur[9], diuideret. Eo tam subito atrociq; nuncio perculsus Rex, con-

Inguar & Hubbam Danorum Duces, depopulantur Britanniam.

**Nordanimbrorum.*

Persequuntur Regem.

confestim vnum è suis Episcopis in consilium adhibet, vt quid facto opus esset maturè cognosceret. Antistes de Regis vita magnoperè solicitus, deditionem faciendam consuluit.

Episcopus consulit Regi fugam, aut deditionem.

Nam, inquit, nisi fugæ præsidio, aut infausto deditionis patrocinio præcaueas, mox aderũt tortores, quorum nefando obsequio pœnas lues. Ad ea Rex beatissimus: Hoc est, ait, quod desidero, quod votis omnibus antepono: ne charissimis meis fidelibus quos truculentus pyrata ferro trucidauit, superstes inueniar. Et quid suggeris, vt in extremis vitæ desolatus meo satellite, fugiendo crimen inferam glorię nostræ? Hæc cùm Antistiti dixisset, tandẽ conuersus ad eum, qui de cõditione regni locuturus ab impijssimo Inguar missus fuerat, Madefactus, inquit, meorũ cruore, mortis supplicio dignus extiteras: sed planè Christi mei exemplum sequutus, nolo puras cõmaculare manus: qui pro eius nomine, si ità cõtigerit, libẽter paratus sum vestris telis occumbere. Ideò pernici gradu rediens festinus, domino tuo hæc responsa perfer quantocyùs: Benè filius diaboli patrem tuum imitaris, qui superbiendo intumescens cælo corruit: & mendacio suo humanum genus inuoluere gestiens, plurimos suæ pœnæ obnoxios fecit. Cuius sectator præcipuus, me nec minis terrere præuales, nec blãdę perditionis lenocinijs illectum decipies: quẽ ex Christi institutis inermẽ reperies. Thesauros & diuitias, quas nobis hactenùs propitia contulit diuinitas, sumat, consumat tua insatiabilis auiditas: quoniam etsi hoc corpus caducum & fragile confringas veluti vas fictile, vera

Ille constanter abnuit.

Obseruare-ipsum quod Legato tyranni dat.

Præclara vox in Rege.

vera libertas animi nunquam tibi vel ad momentum ſuberit.

Vix ſanctus verba compleuerat, & renũciaturus miles pedem domo extulerat, cùm eccè. Inguar obuius, breuibus reſponſa Regis pandi iubet. Quæ ille dum exequitur, tyrannus circumfuſo protinus milite ſolum Regem quem ſuis legibus rebellem iam cognouerat, teneri imperat. Tum ſanctus Rex proiectis in palatio armis, vt membrum Chriſti capitur, & vinculis arctioribus conſtringitur; cupiens eius inſiſtere veſtigijs, qui pro nobis omnibus immolatus eſt hoſtia. Vinctus itaque multis modis illuditur; ac tandem fuſtigatus acri inſtantia, ad vicinam quandam perducitur arborẽ; ad quam religatus flagris diutiſſimè vexatur diriſſimis; ſed vno Chriſti nomine conſtanter inuocato, nequaquam vincitur. Qua re aduerſarij in furorem verſi, quaſi ludendo ad ſignũ, toto eum corpore ſagittarum iaculis confodiunt; crebriſque telorum iactibus vulnera multiplicãt, donec terebratis ſpiculorum circumfoſſus aculeis palpitãs horreret. Cumque nec ſic Inguar furcifer eum laniſtis aſſenſum præbere conſpiceret, Chriſtum inclamantem iugiter; lictori mandat protinus, vt caput ei amputet. Ille ſeminecem, cui adhuc vitalis in tepido pectore palpitabat calor cruento ſtipiti auellit feſtinus; auulſumque retectis coſtarum latebris præ punctionibus crebris, caput quod ſemper regali diademate fuerat inſigne iubet extendere. Cumque ſtaret mitiſſimus, diuinis intentus beneficijs, ſpiculator arrepto mucrone ceruicem illi vno ictu præcidit: ſicq; cum

Rex ſanctus capitur, & multis ſupplicijs afficitur.

Caput ei amputatur poſt plurima tormenta.

cum palma victoriæ & corona iustitiæ, Rex & martyr cælestem curiam gloriabundus intrauit.

Cuius corpus ita truncum & aculeis hirsutum Dani illi relinquentes, caput in syluam Hagilesdum asportârunt: & inter densa veprium fruteta lōgius proiectum occuluerunt: id omni sagacitate elaborantes, ne à Christianis, quos vix paucos reliquerant, sacratissimæ martyris reliquiæ, honestæ traderentur sepulturæ. Verumenimuerò quantulacunque reddita Ecclesijs pace, Christiani de latebris consurgentes, corpus quidem sanctissimi Regis adhuc sub dio positum facilè inuenerunt: sed caput in inuia siluarum delatum repertu difficile fuit. Spe tamen recuperandi tanti thesauri nullis pepercêre laboribus; sed collecta plurimorum multitudine, densitatem saltûs studiosè lustrârunt; lustrandoque non sinè ingenti & inaudito planè miraculo inuenerunt. Cum enim socij diuisim inuia quæque penetrârent, & alter ad alterum subindè clamaret, Vbi es? sacratissimum caput (res sanè dictu mirabilis) patria lingua prorupit in vocem, Her, Her, Her. Nec vnquam eadem repetendo clamare destitit, quoad omnes ad se perduxit. Cui miraculo rerum conditor aliud annexuit, dum cælesti thesauro insolitum custodem dedit. Quippe immanis lupus eo loci diuina miseratione est repertus; qui sacrum illud caput inter brachia complexus, procumbebat humi; excubias impendens martyri. Nec sibi depositum quampiam bestiarum permisit lædere; quod inuiolabile solote-

Caput à ceruicibus abscissum loquitur.

Caput seruatur ab immani lupo.

lotenus prostratus, oblita voracitate, seruabat attentius.

Assumentes igitur vnanimi deuotione inæstimabilis precij margaritam, cum profuso prę gaudio lachrymarum imbre retulerũt ad corpus, prosequente vsque ad locum sepulchri lupo, earundem reliquiarum custode & baiulo. Qui eis à tergo imminens, & quasi pro credito pignore lugens, postremò nota dilectæ solitudinis secreta illæsus repetijt; nec vlterius ijs in locis tam terribili specie lupus apparuit. Cæterum capite corpori iuncto, vtrumque pariter competenti mauseolo condiderunt; quod post longissima temporum interualla, ita sanũ & incolume repertum est, vt non dicam caput redintegratum, suoque corpori compaginatum, sed omninò in eo nihil vulneris, nihil cicatricis apparuerit.

Lupus idem sacras reliquias ad sepulturam prosequitur: En miraculũ insigne. Obseruet autẽ hic studiosus lector, quod cũ Eusebius quartũ ponat indictæ persecutionis annũ, hanc esse causam; vt in multis alijs contingit: Quod licet Diocl. & Max. imperio se abdicassent, cũ hic martyr pateretur; nihilominus cœptæ eorũ edictis persecutio, eorundẽ nomine dici perseuerauit. quod Baron. frequẽter in Annal. rememorat.

CERTAMEN GLORIOSI MARTYRIS

Agapij: Ex Eusebij Cæsariensis Ecclesiasticæ Historiæ lib. 8. cap. 16. Passus est anno persecutionis Diocletiani 4. Iuxtà Baronium Annal. Tom. 2. Anno Christi 305. Marcelli Pap. 2. Constant. & Galer. Imp. 2.

QVARTO anno persecutiõis in nos grassantis, ad duodecimũ Kal. Decemb. hoc est, vigesimo die mẽsis qui Dius vocatur; die Veneris; in eadem vrbe Cæsarea, tale facinus, dignum reuerà quod literarum monumẽtis commendetur, ipso tyranno * Maximiano præsente (qui eodẽ die, qui natalis suus dies erat, spectacula populo, magno cũ apparatu ac sumptu edebat) patratũ fuit. Et quia cõsuetudo inue-

20. Notẽ.

* al. Maximino.

Spectacula præsentibus Imperatoribus edi solita.

inueterauerat, vt varia spectacula (si etiam vnquam alias) præsentibus ipsis Imperatoribus summa cum magnificentia ac splendore, proponerentur spectatoribus, ad eorum animos oblectandos, eaq; nouis ac peregrinis formis, præter communem & vsitatum morem variarentur, sic vt interdum animalia, ex India & AEthiopia, aut aliundè acta in amphiteatrũ introducerentur, interdum viri mimicis corporis gestibus permira animorum oblectamenta spectantibus ostenderent: ob eam causam cum iam Imperator ipse ludos faceret, eximiũ quoddam spectaculum, & quod multum haberet admirationis in magnifico eorum apparatu omninò elucere oportebat. Quodnam igitur erat istud quidem? Martyr & testis nostræ in Christo religionis adducitur in medium; strenuè pro sola & vera pietate decertaturus Agapius nomine: quem vnà cum Thecla sociatum, bestijsque traditum ad deuorandum paulò antè demonstrauimus. Iste aliâs è custodia eductus, simulque cum maleficis ad spectacula populo edenda coniunctus, cùm palam egregiè suas partes in stadio egisset; idque ter ac sæpius, propterea quod iudex post minas varijs temporibus illi oppositas, siue illum commiseratus, siue spe propositi & sententiæ eius cõmutandæ inductus, ad alia semper noua certamina distulerat, tandem ipso præsente Imperatore denuò producitur velut opportunè & commodè in illud tempus reseruatus: vt hoc dictum salutare, quod Dominus discipulis suis diuina præscientia prædixisset (nimirum quod coram Regibus adducerentur propter testi-

S. Agapius in medium adducitur decertaturus.

Matth. 10.

testimonium eius) verè in eo compleretur.

Primum igitur in medium stadium, cũ quodam malefico & scelesto homine, quem cædis domini sui reum fuisse ferunt, vnà rapitur. Deindè hic domini sui interfector, qui bestijs obijci debuisset, misericordia & clementia Imperatoris (propè ad similitudinem Barrabæ latronis, quem Seruatoris loco Iudæi mortis periculo eripiebant) nece liberatus est: & propterea strepitu & acclamationibus personabat theatrum, quod homicida Imperatoris beneficentia, non solum seruatus esset, verumetiam honore & libertate donatus. Cæterum hic veræ diuinæ pietatis athleta, primùm à tyranno accersitur; deindè inficiationem suæ voluntatis & instituti rogatus est: promittitur ei libertas; at ille magna voce palam testatur, non turpis & nefarij criminis causa, sed pietatis in Deum omnium rerum opificem, libenter & cũ voluptate omnia supplicia quęcunque sibi imponerentur, se pacato & trãquillo animo subiturum. Atque hoc elocutus, dicto citius factum exequitur: & vrso in illum dimisso, ex aduerso veluti curriculo factus obuiam, seipsum libentissimè vorandum dat. Post adhuc superstes spiritum ducens, in carcerem mittitur; vbi vno die in vita commoratus, postridiè lapidibus ad pedes eius appensis in medium mare demergitur. Tale Agapij martyrium fuisse constat.

Eccè Iudaicum tyrannum.

Luc. 23.

Ioban. 19.

Martyris constantia.

Vrso ferocissimo obijcitur.

In mare demergitur.

VITA

VITA S. *BERVVARDI EPISCOPI

Hildesemensis: Ex ea quæ est per Tangmarum presbyterum: eius Præceptorem. Quo tempore floruerit & obierit patet infrà.

*al. Bernuardi. Vide Ioan. Molan. in Martyr. Vsuardi.

20. Nouẽ. *Patria & parẽtes eius.*

SBeruuardus illustri admodum Saxonum prosapia ortus, ex filia nimirum Adelberonis Palatini Comitis, Tangmaro presbytero multæ eruditionis viro, literis imbuendus, ac moribus instruendus commendatus fuit. Et quidem cũ esset egregiæ indolis puer, multis parasangis coæuos suos superabat. Mirum enim in modum tenera ætas, cælesti irradiata lumine, subtili meditatione interiora diuinæ sapientiæ iugi studio rimabatur; nunc communi studio cum alijs, núc quos diligentiores in sancta exercitatione cernebat, familiarius seorsum assumens, propositis quæstionibus scrupulosa quæque ad medullam euentilabat: moreque prudentissimæ apis singulas lectiones, remotiori loco sedens, intento auditu captabat. Sicque progressu temporis omni scientiarum genere egregiè instructus, cunctisque sacris ordinibus ritè susceptis, tanta insuper claruit vitæ sanctimonia, vt Otho eius nominis tertius Imperator septennis adhuc puer, fidei illius literis imbuendus, moribusque instituendus, consensu cunctorum procerum à venerabili matre eius Domina Teophania Augusta commendatus sit. Qua non multo post ex humanis sublata, vtroque iam parente orbatus Imperator, totum se regendum in stationem fidissimi magistri sui contulit: quem familiaritate

Sedulò dat operam literis Beruuardus.

Initiatur sacris ordinibus.

Fit Præceptor Imperatoris.

tate complectebatur præcipua, nec ab vllo inferius tractari patiebatur, quem vniuerso virtutum decore respersum venerabatur.

Quantus apud Imperatorem.

Contigit autem per idem tempus Osdagum Antistitem Hildesiensem viam vniuersæ carnis ingredi, cum protinus hic religiosus vir Beruuardus votis omnium ad Pontificatum eligitur: ac tandem Anno Dominicæ Incarnationis 993. Indictione Sexta à VVillegiso Archiepiscopo, Episcopus Hildesemensis Ecclesiæ consecratur 18. Calend. Februarias.

Succedit Osdago in Episcopatu Hildesiensi.

Adeptus itaque pontificatum, quanta continentia, vigiliarum, precumq; assiduitate iuuenile corpus ad virtutũ culmẽ coegerit, dici nõ potest: modũ tamen ac discretionẽ in cunctis agendis precipuè amplectebatur. Nocturnum ac diurnum diuinum officium cum clero in Ecclesia persoluebat. Post Missarum verò solennia in publicum progressus forenses causas & oppressorum negotia breuiter examinabat; quia ingenio ac facundia apprimè pollebat; habuitque clericum dispensatorem, qui eleemosynæ ac pauperibus præerat: quorum centenos videlicet vel eo amplius dietim abũdantissimè victu refecit. Plerosq; etiam vel argento aut cæteris subsidijs, prout facultas concessit, subleuabat. Inde officinas, vbi diuersi vsûs metalla fiebant, circumiẽs, singulorũ opera librabat: donec circa horam Nonã ritè omnibus peractis, cum timore ac Domini benedictione ad mensam, fratrum populique stipatus frequentia consedit: nõ pôpatice quidẽ, sed religioso silẽtio cunctis ad lectionẽ intẽtis, quæ inter reficiendum non breuis legebatur.

Qualis in Episcopatu.

Quam sedulus in diuinis.

Item in externis.

Quam benignus in pauperes.

Qualis in mensa.

Porrò

Porrò nihil artis erat, quod non attentaret, etiamsi ad vnguem pertingere non valeret. In scribendo verò apprimè enituit; picturam etiam limatè exercuit: frabrili quoque scientia & arte clusoria omniqúe structura mirificè excelluit; vt in plerisque ædificijs, quæ pompatico decore composuit, post quoque claruit. In negotijs verò domesticis, & ad vsum familiaris rei pertinentibus viuacissimus executor, ac si his à puero innutritus, calluit. Sed enim cum in Christi gazophylacio quęcunque idonea sciuit, fidei deuotione congereret: non minus tamen Cæsari sua persoluebat. Saxoniam à frequentibus Barbarorum incursionibus, vigilantissimus Pastor, extructis duabus munitionibus, locis opportunis, egregiè tutauit, ac demum ab hostili feritate omninò liberauit.

Etiam mechanicis artibus excellit.

Optimus Oeconimus.

Matth. 22.

Hostium irruptiones comprimit.

Multũ auget facultates Ecclesiæ suæ.

In prædijs autem Ecclesiæ suæ tanta congessit, vt triginta vel plures præcipuas chortes cum litorum ac colonorum familijs, clarissimis ædificijs prænitentes comparârit; cum in alijs complurimis locis decem mansos vel octo plus vel minus, prout causa acciderat conferret. Antiqua siquidem loca, ab Antecessoribus suis neglecta, optimis ædificijs collustrauit. Ecclesiam quoque suam miro studio decorare ardenter instabat: picturis nimirum lucidissimis; Codicibus auro & gemmis clarissimis; thymia materijs quoque precij & magnifici ponderis: similiter & calicibus. Coronam quoque auro argentoque radiantem miræ magnitudinis in facie templi suspendit: ciuitatéque muro ac turribus insignibus ad orienté & occi-

Collapsa restaurat.

Exornat Ecclesiã suam.

Munit ciuitatem.

occidentem. Ecclesiam quoque valde splendidam in honore viuificæ Crucis extruxit; cuius etiam aliquam partem, largiente Imperatore, ibidem clarissimis gemmis auroque purissimo inclusam condidit: vbi etiam diuina pietas plurima signorum miracula ostēdit. Monasterium quoq; S. Michaelis in septentrionali parte ciuitatis, à fundo extruxit, totaque deuotione & apparatu decenti instituit: quod prædijs sufficientibus dotatum, cænobitis Deo famulātibus ibi collectis delegauit. In cuius Ecclesiæ crypta 66. corpora reliquiarum digna veneratione ab eo condita sunt.

Condit Templū S. Crucis.

Ibidem fiunt miracula.

Monasteriū S. Michaelis extruit & exornat reliquijs Sanctorum.

Ceterum cum iam transitûs sui diem, quem semper optauerat, imminere præuideret, sacellum quoddam inter S. Crucis & * suum monasterium, constructum in honorem S. Martini dedicari fecit: ibidemque pro augmento religionis ipso die habitum priorē mutans, monasticæ professionis iugū suscepit. Tactus deindè infirmitate vltima, ad eandē Capellā se transferri præcepit vir beatissimus; ibidemq; diutina quinquennali nimirum corporis molestia tritus anno à Christo nato 1022. 12 Calend. Decemb. Pontificatûs sui circiter 30. è carnis ergastulo ad æternitatis gloriā in cælos emigrauit: tota regione, illius obitu non mediocriter consternata & afflicta. More autem ecclesiastico exequijs ritè celebratis, sacrum corpus eius in crypta * Cænobij quod ipse fundauerat antè altare S. Mariæ maxima cum Christi fideliū deuotione sepelitur. Quantis autem post hæc Dominus miraculorum insignijs sanctum suū glorificauerit: non est nostræ paruitatis ob

** S. Michaelis.*

Induit habitum monasticum.

Migrat in cælum.

Quo tēpore.

** S. Michaelis.*

Locus sepulturæ eius.

Miracula ad tumulũ eius. nimiam prolixitatem singulatim hîc explanare. Et quidem præter sanitatũ collata beneficia ad tumulũ eius: ibidem & noctu psalmodiæ cãtus auditus, ac luminaria diuinitus accẽsa subindè visa, miriq; odoris fragrãtia longè lateq; diffusa. Successit verò huic sacro Antistiti, S. Gothehardus: cuius vita extat 4. Maij. Tom. 2.

Vide Tom. 7. Annal. & 8. C. Baron.

VITA S. COLVMBANI ABBATIS: EX ea quæ est per Ionam eius discipulum & Abbatẽ conscripta insertis quibusdam ex vita S. Galli. Obijt anno Dominici Natalis 615 temporibus Clotarij Francorum Regis Chilperici filij.

21. Nouẽ. *Patria eius.*

COLVMBANVS, qui etiam Columba dictus est, in Hybernia, inter ipsa fidei illic nascentis primordia, oriundus, nõ sine futuræ sanctitatis præsagio in lucem prodijt. Eius namque genitrix, cùm concepto fœtu grauida esset, vidit nocte quadam intempesta è sinu suo rutilantem nimioque fulgore micantem procedere solem, & mundo ingens lumen præbere. Porrò Columbanus exactis infantiæ annis, pubescente ætate, artium liberalium & Grammaticorum literis capaci inprimis ingenio operam nauare cæpit: eamque ad virilem vsque ætatem magna animi contentione prosecutus est. Sed cum eum formæ elegantia, corporis candor, & nobilis pubertas omnibus gratum redderet, cœpit antiquus hostis lethifera sua in eum torquere tela: vt quem tanto cernebat pollere ingenio, suis, si posset, nexibus implicaret. Aggreditur igitur lasciuas puellas, illasque eius amore inflam-

Visio matris S. Columbani.

Dat operam literis.

Diabolus insidiatur eius puditiæ.

flammat; maximè quas formæ corporis perfunctorius decor horrendo desiderio in miserorum animos insinuare & immergere solet. Sed cũ egregius miles tot vndique telis appeti & vrgeri se conspiceret; micantemq; versuti hostis sicã in se vibrari cerneret, humanæ fragilitatis non ignarus, sciens etiã nihil esse tam sanctum religione, tamque custodia clausum, quo penetrare libido nequeat, cõtra immanes hostium cuneos ad pugnam se accingit; ne frustrato labore, quẽ nõ mediocri ingenio in Grãmatica, Rhetorica, Geometria & ipsis quoque scripturis diuinis consumpserat, seculi illecebris occuparetur.

Ei fortiter Vir sanctus resistit.

Itaque relicto natali solo, & matris lachrymis admiranda animi virtute contẽptis, ad virum venerabilem, qui Senilis dicebatur, singulari religione & scripturarum eruditione pollentem se contulit: aquid quem tantos in omni scientia fecit processus; vt adhuc intra adolescentiæ metas constitutus, multa literarũ monumentis dignissima conscripserit. Sed antè quam maternis se amplexibus expedire posset, dictu mirum quas non luctas, pius adolescens superauerit. Mater enim simulac de abitu eius certior est facta, perurgente dolore, ne se desereret, multis precibus rogare cœpit. Illo autem preces repellente, mater totis viribus obsistere, & limini inhærens abeuntem retinere. Deindè eiulans & in pauimentũ prostrata, vbera quibus eũ nutrierat exhibere, & copioso lachrymarum imbre mentem eius emollire conari. At ille oculis perpetuò in Christum coniectis, egregiè sustinuit pugnã; ac tan-

Relinquit patriam & parentes.

Ingens tentatio matris.

Ita faciendũ docet S. Hieronymus in epistola ad Heliodorũ.

ac tãdem limen matremque transiliẽs, orat eã vt bono sit animo, magnum à Deo in cęlis prę-mium pro ea re perceptura.

Ingreditur monasteriũ Benchor.

Igitur hac difficultate, auxiliante Christi numine, superata, primo ad Senilem, vt diximus confugit: deindè monachorum se societati adiunxit. Erat per id tempus in monasterio Benchor Comogellus Abbas studio religionis & regularis disciplinæ cultu præcipuus: cui se Colũbanus in disciplinã tradens prima sub eo spiritalis militię fecit stipẽdia. Quo in monasterio vt multos annos magna cum opinione virtutis exegit, tandem tactus desiderio peregrinandi, assumptis in opus Euangelij viris duodecim, pietate & eruditione præstãtibus ex Hybernia in Gallias postremò delatus est. Vbi à Rege Sigeberto humaniter suscepti, eremum pariter petiêre Vosagum, vastã sanè, sed Christi amatoribus inprimis gratam: in qua locum muris antiquitus septum & aquis calidis irriguum inuenerunt, sed iam vetustate collapsum; quem vulgò Luxouium vocabant. Eo in loco oratorium in honorem S. Petri cõstruentes, tuguriola pariter cõdiderunt; in quibus die nocteque cælestibus tantũ intẽti rebus suauissimum conuersationis suæ longe lateq; diffundebãt odorem: ita vt multi admodũ mirifica virtutum fragrãtia illecti ad ipsos confluerent, & se suaq; omnia in eandem vitæ societatem conferrent. Cernens autẽ vir sanctus tantam multitudinem vnius cœnobij limitibus compræhendi vix posse, alio idoneo reperto loco, aliud illic monasterium ædificauit: quod fontanas voluit appellari, ob aquarũ ibidem

Cum 12 socijs ex Hybernia proficiscitur.

Luxouiense monasteriũ extruit.

Multi ad eos confluũt.

Item Fontanense.

ibidem abundantiam. His igitur in locis cum monachos instituisset, canonem siue regulam quam sequerentur spiritu sancto plenus condidit: cumque præcipua sanctitate & miraculorum insuper gloria floreret, tum tentationum procellæ nequaquam deerant: quæ tamen fidei ipsius anchoram in Deo multo magis firmabant. Cum aliquandò per opaca saltûs inter deuia ambularet, & de scripturis sacris secũ conferret, subitò eius animo incidit cogitatio vtrũ potius eligeret hominũ iniurias perpeti, an ferarũ sæuitiam sustinere. Quæ cogitatio cum illi importuna esset, eumque vehementer vrgeret, crebrò frontẽ Crucis signo armans atque orans intrà se ait; præstare bestiarum ferocitatem absque alieno peccato, quam hominum rabiem cum animarum damno perpeti. Cumque hæc animo volueret, eccè lupi duodecim aduentãtes dextera læuaque mediũ cingunt, oraque sua ad eius vestimenta adiungunt. At cum ille constanter clypeum fidei eis opponeret, & Christi numen placidè inuocaret, feræ bestiæ interritum relinquunt, & securum per saltum iter carpentem quasi obstupescunt. Ea verò tentatione superata, mox frequentium per auia oberrãtium audit voces latronum; quibus tamen nihil motus gradum confecit: sicque pari animi constantia eandem quoque tentationem profligauit. Hoc autem an reuerà ità se habuerit, an verò dæmonum terriculamenta fuerint, perspicuè non cognouit.

Præscribit monachis canonem.

Importuna quædam cogitatio eum infestat.

Erat autem illi in more positum, vt Dominicis diebus & præcipuis Sanctorum solenni-

tatibus, ab aliorum societate seperatus in loca abdita se reciperet: & lõgioris spatij eremi secreta expeteret. Itaque die quodam vastã eremum penetrans, reperit immane saxum, præruptaque cuiusdã rupis latera, hominibus inaccessa. Ea ingressus, cernit in interiori sinu vrsum latitantem, cui protinùs mansuete vt abiret, nec deinceps eos calles repeteret, imperauit. Paruit ille mira facilitate, & vir sanctus concauum in caute sinum ingressus, vndè ferã expulerat, ibi suæ orationis locum deinceps constituit; vbi etiam fontem suis precibus elicuit perennem: qui vsque hodie scaturire non desinit.

Vrsum iubet abscedere.

Fontem precibus impetrat.

His alijsq; penè innumeris sanctitatis operibus adeò nomen eius apud omnes euaserat celebre, vt Theodoricus Rex filij Childeberti, nepos Sigeberti, qui eo tempore Burgundionibus imperabat, mirum in modũ viri familiaritate delectaretur: sæpiusque eũ visitans summa deuotione precũ eius deposceret suffragia. Verùm cum vir sanctus acrius interdum eum increparet, quod impudicis quarũdam fœminarum polluereturamplexibus, Brunechildis auia Regis, videns Regem attentas salutaribus viri Dei monitis præbẽtem aures, cœpit insidias viro sancto moliri, modisq; omnibus Regẽ incitare, vt Columbanum cum socijs regno suo deturbet. Timebat enim, ne, si abiectis cõcubinis, Regina in cõsortium regni assumeretur, dignitas eius planè cõcideret; ac deinceps nulla apud Regem regniq; proceres in precio esset. Itaque Theodoricus qui ad illum vsque diem summa veneratione virum sanctum prosecu-

Brunechildis auia Regis Theodorici ei insidiatur ac tandem regno expellit.

secutus fuerat, superba auiæ suæ malitia inductus, misso militari præsidio, post eremi illius incolatum anno vigesimo, è monasterio tam eximia sanctitate virum expulit.

Expulsus & iuxta Vesontionense oppidum in exilium abactus, audiuit eo in loco carcerem esse damnatorum hominum plenũ, vltima supplicia iam iam expectãtium. Eo itaque ocyus accedens, ostium, nullo obstante, ingreditur; damnatisque salutaria monita deprimens, hortatur omnes, vt patrata facinora dignis pœnitentiæ fructibus expiare festinent. Illi nullos pœnitentiæ labores recusant, si modo aliqua spes veniæ affulgeret. Tum Columbanus ministro suo Domoali imperat, vt ferrum, quo compedes irretitæ atque innexæ erant, manu ad se trahat. Et eccè illo appræhensum ad se ferrum trahente, mox instar putrefacti fruticis particulatim comminuitur. Solutis itaque compedibus, vir Dei, peracto ministerio Euangelico, pedes singulorum lauit, linteoque extersit. Deinde iubet omnes Ecclesiã petere, vt concepta flagitia pœnitentia & lachrymis expiare festinent. Properantes illi, ecclesiæ fores inuenere obseratas, tribuno militũ eorum interim vestigia persequente: & damnatos suos ad supplicia postulante. Illi verò à tergo appropinquantẽ videntes militem, foresque ecclesiæ obseratas, gemina vallati angustia, virum Dei vt eruantur, compellant. Anxio ille pectore caput sursum attollens precatur Dominũ, vt ipsius virtute à vinculis ereptos, nõ sinat denuo à militib. vinciri. Nec mora. Fores firmis obseratę claustris, con-

Liberat carcere vinctos vltimo supplicio afficiendos.

Diuinitus reserantur fores tẽpli.

confestim in angustijs positis aditum pandunt; illisq; intrò receptis rursus diuina virtute obserantur. Et quidem eis hoc modo ex ipsis penè mortis faucibus ereptis, nemo deinceps iniuriam inferre ausus fuit.

Reuertitur ad suum monasterium.

Post hæc vir Dei animo fiduciæ pleno, ad monasterium suum reuerti non dubitauit. Quod simulac Regi Theodorico & Brunechildi innotuit, illi atrocioribus iræ aculeis stimulati, militum cohortem confestim miserunt, qui Columbanum vi indè abstractũ ad pristinum exilium reuocarent. Sed accidit tũc spectaculum sanè pulcherrimum. Milites enim cũ tribuno in monasterium irruentes, residentem in atrio Ecclesiæ occæcatis virtute diuina luminibus videre nõ poterant: Ipse verò lætabundus quærentes se cernebat. Veruntamẽ ne sua constantia alijs periculum crearet, spontè cessit: & deducentibus eum Sophronio Nannetensi episcopo & Theobaldo Comite iuxta Regis imperium, nauim conscendit, vt in Hyberniam remearet. Sed fuit huic itineri diuina voluntas multis indicijs planè contraria: quæ eum patrium solum repetere prohibebat. Itaque ad Clotarium Chilperici Regis filium, qui in Austrasijs regnabat, profectus est. A quo peramãter exceptus, & benignè aliquamdiu habitus, cum sedem ibi figere nollet, ne ipsi Clotario vllam inimicitiarum occasionem cum Theodorico præberet, rebus ad iter necessarijs ab eo adiutus, postremò in Italiam venit: vbi ab Agilulpho Longobardorum Rege summa cum humanitate, nec minore cum honore exceptus est. Ibi cum apud Medio-

Non potest cerni à persecutoribus.

Spontè egreditur & quarè.

Venit ad Clotarium Regem, & benignè ab eo suscipitur.

Venit in Italiam.

Mediolanum moraretur, & hæresum fraudes atque Arianæ perfidiæ machinas scripturarum cauterio discerperet ac disficaret, editoque libello scientia & eruditione florentissimo profligaret, vir quidam Iucundus nomine ad Regem venit, indicans se scire basilicam in ruribus Apenninis Apostolorum principi sacram: virtutibus & miraculis clarissimam: locum prætereà esse vbertate fœcundum: aquis irriguum: & piscium copia abundantem: veterum traditione eum Bobium appellari: à riuo quodam sic dicto illic manante: cui adiunctus sit amnis Trebia, ad quem olim Annibal hyemãs ingentem suorum stragem passus fuisse fertur. Eo cùm vir Dei magna animi intentione peruenisset, basilicam semirutam pristino decori restituit; & monasterium ædificijs insigne non minùs quàm commodum construxit: vbi postquàm annum vnum in omni sanctitate exegisset, soluto mortalitatis ergastulo ad cælos migrauit: æquè post obitum gloriosis clarus miraculis.

Construit Bobiense monasterium & postmodum moritur.

IN SOLENNITATE PRAESENTAtionis seu Oblationis gloriosissimæ Virginis Mariæ: Ex R. P. D. Petro Canisio societatis Iesu Theologo. Libr. 1. cap. 12. de eadem Deipara virgine.

Vide Notat. C. Baron. ad Martyr. Rom.

IAMPRIDEM traditum & multorum auctoritate corroboratum est, Ioachim & Annam, integerrimos Virginis nostræ parentes, post longam sterilitatem fœcunditatis suæ desideratissimum munus, natam scilicet ac abla- 21. Nouẽ.

Trimula sanctissima Virgo in tẽplo præsentatur.

ablactatam puellam, eamque trimam in templum Hierosolymitanum reuerenter adduxisse; atque adductam, vt votum suum reipsa perficerent, diuino numini & eius temporis Sacerdotibus solenniter obtulisse. Quæ quidem oblatio, siue vt vulgò dicunt, præsentatio, partim ob ipsorum parentum offerentium eximiã pietatem, partim propter oblatæ puellæ, quæ seipsam auctori Deo libenter dedicabat, præclaram volũtatem, non potuit summo Deo nõ esse pergrata: meritoque in hunc diem vsque commendatur. Etenim ex hoc munere singulari, non minùs quàm ex peccatoris vnius conuersione, proculdubio Angelis nouum in cælo gaudium creabatur: deindè memorandum in Ecclesia imò imitandum exemplum tum parẽtibus, tùm filijs arcano Dei consilio statuebatur. Etenim quod in libris Regum de Samuele puero, eiusque matre traditur, multis modis huic negotio affine est, quod de Maria puella & eius parente tractamus. Nam sicut de Anna Ioachimi cõiuge, sic etiam de Samuelis matre & Helcanæ vxore scribitur, quòd multo tempore sterilis vixerit; q̃ prolis desiderio magno teneretur; quòd pro fœcunditate Deum sedulò precaretur; quòd libenter versaretur in templo; quòd honesta esset ac religiosa matrona; quòd voto se obstrinxerit, prolem natam offerendi Deo, sacroque ministerio in templo consecrandi: demùm quòd statim post ablactationem promissum exoluerit, suamq; prolem in templo obtulerit; & oblatam, vt piè illic educaretur, reliquerit. Tam pulchrè matres hæ duæ inter se consentiunt, totque modis similia

Lucæ 15.

1. Reg. 1. & 2.

Concinna cõparatio B. Annæ Ioachimi coniugis, cũ Anna Helcanæ vxore.

milia faciunt, vt non fruſtrà eodem etiam dici nomine & quaſi germanæ ſorores & eiuſdem ferè claſſis eſſe viderentur. Quod prior Anna obſterilitatem contempta, precibus à Deo cõtendit & exorauit, vt Deo charam haberet offerretque in templo ſobolem, id noſtra etiam Anna, cùm ſimili modo laboraret ac eodem remedij genere vteretur, fœliciter eſt conſecuta: pro Samuele Mariam ſummo DEO dedicans, ac in templo inſtituendam relinquens.

Et quidem trimula in templo præſentata, ibi in ſanctis ſanctorum vndecim traduxit annos. Deindè ſacerdotum manibus Ioſepho ad cuſtodiam eſt tradita: apud quem quum menſes exegiſſet quatuor, ab Angelo Gabriele lætum illud accepit nuncium.

Quatuordecim annorũ deſpondetur Ioſepho. Luca 1.

MARTYRIVM S. ET GLORIOSAE VIRginis Cæciliæ: & qui cum ipſa erant SS. Valeriani, Tiburtij & Maximi: Ex eo quod eſt apud Metaphraſten. Coronata eſt anno Chriſti 232. Vrbani Papæ 6. & vltimo, Alexandri verò Imperat. 9.

Vide Tom. 2 & 9. Annal. C. Baron. & Notat. ad Marty. Rom.

QVAM admirandum veræ dignitatis lumen in ſacratiſſima hac virgine Cæcilia eluceat, nemo vllis verbis pro dignitate explicare poterit. A teneris namque annis cunctas cogitationes ita ab humanis rebus ad religionis & ſanctimoniæ ſtudium traduxit, vt non modò in ſeipſa tenues humanæ mentis opes incredibili conſtantia roborauerit, ſed in alijs etiam diuinæ mentis effigiem illuuie infuſcatam admirabili ſplendore illuſtraue-

22. Nouẽ.

Valerianus ambit eius nuptias.

Cæcilia induta cilicio sub preciosis vestibus.

Psalm. 118.

Alijs epulãtibus illa ieiunijs suam Deo cõmendat castitatem.

Aperit suo sponso secretum cordis sui, & suadet vt credat ac baptizetur.

strauerit. Cùm enim Valerianus eximia corporis animiq́ue specie iuuenis, immodico illius amore accensus, nihil non moliretur vt cupitis eius nuptijs summa parentum voluntate, potiri posset; Cæcilia quanquã auro gemmisq́ue extrinsecùs ornata, mundo ad oculum nonnihil seruire cogeretur, ad carnem tamen cilicio induta illicitos motus egregiè refrenabat, animumq́ue Euãgelica lectione ad solum Christi amorem assiduò excitabat. Cumq́ue Valerianus amore cæcus eò rem deduxisset, vt parentes filiam ei suã magno cum gaudio despondissent, iamq́ue dies thalamo constitutus adesset, & omnia immodica lætitiæ significatione resonarent, Cæcilia, quæ solo Christi amore ardebat, tacito corde hæc sine intermissione Deo psallebat. Fiat, Domine, cor meum & corpus immaculatum in iustificationibus, vt non pudore afficiar. Cumq́ue alij epulis & lætitijs die nocteq́ue operam darent, illa toto biduo triduove ieiuna precibus lachrymisq́ue suam Deo castitatem commendabat: & sanctos sanctasq́ue omnes vt perpetuam castimoniæ virtutem pariter à Christo impetrarent, enixè rogabat.

Intereà nox illa aduenit, in qua spõsus Valerianus desideratis diu amplexibus frueretur. Tum verò Cæcilia virgineo pudore sponsum intuens blando eum compellans alloquio: O, inquit, dulcissime charissimeq́ue adolescẽs, est mihi arcanum quod tibi aperiam; si tamen iureiurando affirmare velis, te omnia celaturũ. Dedit sine mora fidem Valerianus, se nullis insidijs vel quacunque demùm necessitate charissi-

rissimæ sponsæ arcana proditurum. Tunc illa: Noueris, inquit, Angelum Dei me habere amicum, qui summo zelo corpus meum custodit. Itaque si vel leuiter incesto me amore polluere tentaueris, is protinus iram in te suã exprimet, floremque pulcherrimæ iuuentutis tuæ disperdet. Sin autem cognouerit quòd simplici & immaculato mei amore tenearis, & virginitatem meam integram & impollutam custodias, ille pari te prosequetur amore, & ineffabilem tibi gratiam ostendet. His auditis Valerianus timore quodam non sine Dei numine affectus: Si vis, inquit, me fidem verbis tuis adhibere, ostende mihi ipsum Angelum. Sin autem alium virũ in amore mihi proponis, profectò ego & te & illum mucrone confodiam. Tunc virgo castissima: Si velis, inquit, fonte salutari animum tuum expiare, certè poteris Dei Angelum contemplari. Est verò tertio ab Vrbe lapide quidam ætate venerandus, qui tibi cæleste potest conferre lauacrum: quo ablutus & candidis indutus vestimentis Angelũ Dei confestim videbis. Vade igitur ad viam Appiam vbi magnam pauperum reperies multitudinem: qui quidem arcani mei præclarè conscij venerandum tibi senem exhibebunt.

Vestes baptizatorum.

Tunc profectus Valerianus ijsdem indicijs sanctum inuenit Vrbanum Pontificem secunda iam confessione insignem, qui in sanctorum martyrum monimentis latebat occultus. Is missum ad se à sancta Cæcilia Valerianum magno excepit cum gaudio, fusisque præ lætitia lachrymis Christi numen ardenter precatus est, vt tetram erroris caliginem ab oculis Valeria-

S. Vrbanus Pontifex.

leriani auferre dignaretur. Et eccè illo adhuc orante, senex repentè ante eum apparuit, candidissimo vestiũ splendore coruscans, quitabellam aureis inscriptam litteris tenebat. Quo conspecto Valerianus propè exanimis factus repentè concidit: totusque tremebundus ægrè ab ipso sene erectus est. Iussus deindè scripturam legere hæc eadem ibi verba exarata inuenit: Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma: Vnus Deus & pater omnium qui est super omnia, & in omnibus, Amen.

Ephes. 4.

Hæc vt legit: Sacerdos, num ijs fidem præberet, interrogauit. Cumque Valerianus magna voce exclamans se credere dixisset, senex ab oculis eius repentè euanuit, & ipse manibus S. Vrbani Pontificis sacro baptismate lustratus est. Indè verò candidis indutus vestibus domũ reuertens, Cæciliam inuenit precibus vacantem, cui Dei angelus micantis glorię specie adstabat scintillans, duas manu tenens coronas, rosis lilijsque mirificè splendentes. Quarum vnam dedit Cæciliæ, alteram verò Valeriano dicens: Has corde immaculato & puro corpore custodite, ex ipso paradiso Dei ad vos allatas. Nunquàm marcescent, neque suauitatem odoris amittent: neque ab vllo mortaliũ conspici poterunt, nisi cui castitas placet, quomodo probatum est, eam vobis placere. Et tu, ô Valeriane, quia castitatis consilio assensus es, mandat per me tibi Christus IESVS, vt postules quidquid animo tuo collibitum fuerit, certus te nequaquam postulato frustratum iri. Valerianus hæc audiens vix præ lætitia mentis cõpos exclamauit: Cùm nihil mihi sit vnici fra-

Valerianus à S. Vrbano baptizatur.

Videt Angelum Dei apud Cæciliam.

fratris mei præsentia in hac vita dulcius, supplex contendo vt mecum pariter ab insano idolorum cultu liberatus in Christi confessione perfectus euadat.

Sancta & honesta Valeriani petitio.

Hisce ergo finitis sermonibus, forma visionis angelicæ ab oculis eorum ablata est: illisq; in Christo lætantibus, aduenit Tiburtius, qui casto osculo fratris sui sponsam salutans, protinus suauissimum rosarum liliorumque percepit odorem. Vndè admirans: Ecquid est hoc, inquit, quod insolito hoc tẽpore rosas & lilia olfacio? Fateor, adeò hoc odore recreat' sum, vt nouum planè spiritum mihi concepisse videar. Cui Valerianus: Bonum odorem accepisti frater, cùm ego, vt acciperes, Deum rogarim. Accipies autem & amaranthinam coronã cùm eum fide menteque perceperis, cuius in rosis ipsis sanguis florescit, & in lilijs cuius corpus albescit. Habemus enim coronas, quas oculorum tuorum acies intueri nequit, igneo rosæ rubore niueoque candore fulgentes. Dicit ei Tiburtius: In somnisnè hæc audio: an veritate dicis Valeriane frater? Cui Valerianus: In somnis hucusque viximus, ô frater charissime. Iam enim Dei gratia illustrati in veritate sumus, & non est in nobis mendacium. Dij nãque quos hucusque nefario & detestabili cultu prosecuti sumus, reuera sunt dæmonia. Vndè, inquit Tiburtius, cognouisti esse dæmonia? Respondit Valerianus: Ab Angelo edoctus cognoui, quem tu quoque intueri poteris, si ab omnibus idolorum sordibus mundus extiteris. Tum Tiburtius: Si angelum, inquit, intueri licet, nulla quæso sit expiationis mora.

Tiburtius frater Valeriani.

His

S. Cæcilia disserit egregiè de fidei mysterijs.

His ita constitutis Cæcilia idolorum vanitatem & abominationem luculentis verbis ei ob oculos proposuit, tantaque Christianę eloquentiæ præstantia de vno Deo & Sanctissimæ Trinitatis mysterio, ac postremò, de vitæ huius fragilitate, infinitisque ærumnis & calamitatibus circumuenta, disseruit, vt Tiburtius ad pedes eius prouolutus, cum multis lachrymis gemitibusque exclamaret: Habeant insipientes lucrum præsentis temporis: Ego autem, qui in hodiernum vsque diem omnis rationis vixi expers, absit vt de cætero vitam ducam priori conformem. His dictis, vna cum fratre Valeriano ad Vrbanum Pontificem festinus abijt, eique se supplex lustrandum exhibuit. Lustratus ilicò cum fratre totum se pietatis operibus dedidit, consecrauitque: ita vt sepeliendis sanctorum martyrum corporibus totos dies insudarent.

Tiburtius credit in Christum.

Tiburtius à S. Vrbano baptizatur.

Exercitia SS. Valer. & Tiburt.

** Turgius.*

*Turcius, quem etiam Almachium dictum ferunt, Vrbis eo tempore Prefectus, immanem in Christi seruos persecutionem exercebat; qui cùm Valerianum & Tiburtium sepeliendis sanctorum corporibus præcipuam operam nauare intelligeret, confestim eos comprehendi & tribunali suo offerri præcepit. Itaque à militari cohorte cõprehensi, ad Almachium Præfectum vincti perducti sunt. Quos Almachius aduentantes subridens ita affatus est: Insipientes, miseri, & nescio quo errore decepti, itanè, præclaro & nobilissimo stemmate pro nihilo habito, vos abiecistis, vt mendicis & vlcerosis hominibus, &, quod dictu fœdius est, sceleratorum hominum corporibus sepeliendis

SS. Martyres comprehensi iudici exhibentur.

dis operam vestrā nauare statuatis? Ad ea Valerianus placida mente ita respōdisse dicitur: Tu quidem nos deliros, pro tua prudentia, iudicas, quòd communi cum alijs lætitia in hac vita non fruamur. Sed aderit aliquando tempus, quo pro hisce laborib. & lachrymis, millecuplos recipiemus fructus; & summa cum exultatione metemus, quæ nunc in lachrymis seminamus. Vos autem, qui huius vitæ delicias tanto studio & securitate exquiritis, ecquid vobis præmij post hanc vitam repositum existimatis?

Valerianus egregiè iudici respondet.

Psalm. 125.

Præfectus his auditis animi furorem compescere nequiens, virgis in Valerianum animaduerti præcepit. Valerianus dum cæderetur læto animo & vultu hilari Romanos hortabatur, ne ijs supplicijs à Christi confessione terrerētur. Præfectus verò: Tarquinij, qui ei à consilijs erat, hortatu inductus, vt celerem vtriq; mortem inferret, nè amplissimas suas facultates pauperibus distribuerēt; tam Valerianum qtā Tiburtium à Maximo cubiculario suo ad Iouis statuam deduci, & sacrificare recusantes vltimo affici supplicio præcepit.

Cæditur virgis Valerianus.

Porrò Maximus cum duos fratres iuuentutis flore vernātes incredibili alacritate ad supplicium properare cerneret, obortis lachrymis eos deflere & magno eiulatu prosequi. Nec se diutius continere valens: Quæ est, inquit, hæc mentis vestræ dementia, vt tanto cum gaudio in pestem antè oculos positā ruatis? Cui Tiburtius: Nos si non aliam vitam, omnibus delicijs, & diuitijs, & honoribus florentissimam expectaremus, profectò non tanta alacritate ad ter-

SS. ad mortē festinant, lætantes.

minum præsentis vitæ properaremus. Et quæ, inquit Maximus, alia potest superesse vita? Respondit Valerianus: Eam tuis ipse oculis in nostro agone contemplari poteris; si tamen promittere velis, te ex animo idolorum errori renunciaturum. Ad ea Maximus, anathemate seipsum deuouens, respondit: Equidem flammis ignis sempiterni consumi velim, nisi vnum Deum libens confiteri paratus sim, si modò aliam cunctis mortalibus, post hanc vitam, constitutam esse ostenderis. Et quidem ostendemus, inquiunt sancti martyres: tantùm nos domum tuam abduci præcipe. Abducti igitur à lictoribus in domum Maximi, mox luculenter cuncta Christianæ fidei mysteria Maximo eiusque familiæ explicârunt: breuique omnes ab errore in admirabile Christi lumen transtulerunt.

Maximus et multi alij conuertuntur ad Dominum.

Post quæ pariter ad locum certaminis, qui Pagus dicitur, quarto ab vrbe lapide situs, deducti, capitis abscissiõe gloriosas martyrij coronas adepti sunt. Intererat spectaculo Maximus recens baptizatus: qui angelos Dei cælico fulgore micantes martyrum animas niue candidiores excipere conspiciens, & lachrymabundus rem q̃ cernebat, alijs enarrans: multos ab errore ad veritatem traduxit. Quapropter iussu Almachij plumbeis tamdiu cęsus est globis, donec in Christi confessione spiritum traderet. Quem sacra virgo Christi Cæcilia vna cùm Valeriani & Tiburtij corporibus honorificè condidit.

Plectuntur capite SS. Valerian & Tiburtius.

Maximus cernit SS. martyrum animas ab angelis in cælũ deduci.

Plumbeis globis necatur.

Illis autem hoc modo martyrio coronatis Præfectus cùm tota auiditate in scrutãdis eorum

rum facultatibus excubaret, ipsam quoq; Cæciliam, quod eas pauperib. distribuisset, comprehendit: comprehensamque vltimo supplicio affici iussit. Cumque duceretur, ingens poli multitudo, visa virginis eximia pulchritudine, eam profusis lachrymis prosecuti sunt; indignum facinus clamitantes, tanto decore, nobilitate, & prudentia virginem ad supplicium trudi. Multi deindè eam rogare & obtestari, ne ita temerè decorem amitteret, & ætatem specie florentissimam atroci morti subijceret. At illa hilari & magno animo ad flentes lugentesque conuersa: Non est, inquit, ô fratres, hoc vitam perdere, sed commutare. Quid? An vobis luctu lachrymisque digna videor, quæ hodiè lutum offero, vt aurum accipiam? Hæc aliaque, admiranda cum pietate dicens, tandem sublimiorem quandam conscendit petram; vndè tanta cum prudentia ad populum disseruit, vt homines plusquàm quadringenti, ad sanctissima Christi sacra transirent, seseque Vrbano Papæ expiandos offerrent.

S. Cæcilia comprehenditur.

S. Cæcilia docet per mortē temporalem peruenirī ad æternam vitam.

400. baptizantur à S. Vrbano.

Dum hæc fierent, Almachius Martyrem suo tribunali sisti iussit. Ibi cùm Tyrannus de genere, religione, rebusque alijs multa inquireret, & illa responsum daret sua fide & prudentia dignum, Præfectus virginis constantiam admiratus: An ignoras, inquit, quanta polleam potestate? Respondit virgo: Tu quidem certè ignoras; nam si ex me scire libet, equidem paucis indicabo. Humana potestas perindè est, ac vter vento inflatus: quem si acu pupugeris, omnis tumor repentè flaccescit. Post hæc alia-

Præclarum S. Virginis responsum.

aliaque multa verba vltrò citroq; habita, Almachius plenus furore & amentia, in domum suam eam reduci, & balnei flamma torreri iussit. [a] Fuit itaque in aëre balnei sui inclusa, & toto die ac nocte ingenti lignorum strue subtus ardente, ibidem detenta; sed Domino protegente ne leui quidem sudore aspersa; ita vt locus illi potius refrigerio quàm calori esset. Quo audito Almachius misso carnifice capite eam plecti iussit. Et quidem crudelis lictor niueam eius ceruicem tribus ictibus feriēs amputare nō potuit, sed semiputato capite eam reliquit. Illa verò, toto, quo superuixit, triduo, non cessauit alumnos suos & discipulos fidei mysteria docere; hortariqúe, vt ad similem martyrij gloriam pijs indefinenter operibus aspirarent. Sacrum eius corpus S. Vrbanus Papa noctu inter collegas suos episcopos & martyres sepulturæ mandauit: eiusque domum ex vltima virginis voluntate in ecclesiam consecrauit: vbi diuina in hodiernum vsque diem celebrantur mysteria.

a Erat hic ille locus in balneis, vbi erat aër calidus; nullaq; in eo aquæ; sed æstus ad sudandum; sub cui⁹ loci pauimento ignis succendebatur, quo pauimentum feruentius redderetur.

Tertiò cæsa in capite, triduo superuixit.

Porrò Anno à Christi Incarnatione 821. corpus sacratissimæ Virginis à Paschali Romano Pontifice, ipsa reuelante, repertum est, aureis velatum indumentis sanguine adhuc infusis: quod inuentum simul cum corporibus sanctorum Martyrum Valeriani eius sponsi, Tiburtij, Maximi, nec non Vrbani atque Lucij Romanorum Pontificum, transtulit in Ecclesiam eiusdem Sanctæ Cæciliæ nomine nuncupatam; quam & plurimis donis auxit.

Corpus S. Cæciliæ ac sociorum repertum à Paschali Papa anno Domini 821.

Cuius transtationis memoriam testatam reliquit

reliquit idem Paschalis Papa: posita antè faciē altaris, inferius in confessione, in marmorea tabula huiusmodi inscriptione:

Hanc fidei zelo Paschalis primus ab imo
Ecclesiā renouās: dum corpora sacra requirit,
Eleuat inuentum venerandum Martyris almæ
Cæciliæ corpus: hoc illud marmore condens.
Lucius, Vrbanus huic Pontifices sociantur:
Vosq; Dei testes Tiburti, Valeriane,
Maxime; cum dictis consortia digna tenetis:
Hos colit egregios deuotè Roma Patronos.

Hæc C. Baron. Tom. 9. Annal. & plura.

Iterum verò post annos ferè octingētos, anno quippè Dominicæ Incarnationis 1599. die 20. Octobris, cum ijsdem SS. Martyribus sub Clemente Papa, eius nominis 8. lucem aspexit. Cuius beatissimæ virginis corpus, præfatus Pontifex, veteri cupressina capsa in qua iacebat, thecæ argenteę prægrandi, stellis auri fulgore micantibus exornatæ, valoris 4392. aureorum, inclusa: intactum, immutatumque, eodem loco in quo fuerat collocatum, post peracta Missarum solemnia, maxima cum deuotione & lachrymis, toto spectante populo, reposuit XXII. Nouembris; ipso festo virginis die. Ad cuius latus in alia seorsum capsa prædicti tres martyres Valerianus, Tiburtius & Maximus requiescunt. Nec non sub ipso virginis corpore, in alia similiter arca, præfati duo martyres ac Pontifices Lucius & Vrbanus; prout à Paschali Pontifice omnes in ijs conditi sunt. In pretiosa arca argentea quæ pretiosissimum Sacræ virginis Cæciliæ continet

Secunda inuentio anno Christi 1599. & Eleuatio per Clementem 8. Papā.

Corpora SS. Cæciliæ, Valeriani, Tiburtij, & Maximi. Item Lucij & Vrbani, Romæ asseruantur.

tinet corpus, eiusmodi est foris posita inscriptio.

Corpus S. Cęciliæ virginis & Martyris; à Clemente 8. Pontif. Max. inclusum: Anno M.D.IC. Pontif. 8.

Vide Notat. in Martyr. Roman. & Baron. Annal. Tom. 2. & 1. vbi hæc eadem fusiùs prosequitur.

VITA S. CLEMENTIS MARTYRIS Episcopi Romani, discipuli S. Petri: qui tertius ab eo Sedem tenuit: ex ea quæ est apud Metaphrasten. Passus anno Christi centesimo secundo, Traiani Imperatoris 3. cùm sedisset annis nouem, mensibus sex, & diebus totidem: numerando ab vltimo die Vacationis sedis Cleti.

23. Nouẽ. CVM S. Clemens Romanæ Vrbis antistes sanctitate & miraculorum gloria præcellens innumerabilẽ paganorũ multitudinem ad fidem traduceret, Christiq; ecclesiam & multitudine fidelium & bonorum operum fructu florẽtem redderet, Torcutianus officiorum Comes, inuidiæ stimulis concitatus, Vrbis Pręfectos pecuniarum largitione corruptos induxit, vt populum odio & seditione in Christianum nomen cõmouerent. Vrbis præfecturam obtinebat Mamertinus, cum minores præfecti plebem nouarũ rerum cupidam nullo penè negotio concitarunt, vt Christianorũ Pontificem Clementem ad necem postularẽt. Aliqui tamen nominis illius studiosi contra asserebant, virum illum esse cunctis virtutibus egregiè ornatum, & Reipublicæ salutis vehemen-

Seditio populi aduersus S. Clementem.

menter cupidũ. Quis enim, dicebant, vnquã illius opem in rebus afflictis implorauit, & continuò pręsens ab eo remedium non est cõsecutus? Pauperes, miseros, ægrotos benignè visitat, & cunctis consilia, pecunias, & sanitatem cõfert. Hæccinè sunt opera supplicio aut morte digna? Hæc aliaq́ue quibusdam asserentibus, alij quidam diabolico furore concitati clamabant, magicis eum hæc omnia artibus operari. Deorum enim esse contemptorem; ideoq́; impium, ac dignum qui atrocissimis excruciatus supplicijs pœnas luat.

Hac occasione arrepta Mamertinus eum ad se adduci præcepit, adductumq́ue hisce verbis affatus est: Clara quidem & generosa stirpe ortus esse diceris, sed nescio qua religionis superstitione conflictaris: ideoq́ue populus animo grauiter commotus in te exsurgit, & plectendum affirmat. Ad ea S. Clemens respondens: Cùm inquit, seditio ab imperito vulgo semper proficiscatur, nec tutũ aliquid aut verum habeat, equidem optarem vt tua prudentia non ex populi seditione, sed ex mea doctrina causam dijudicare velis. Nam licèt canes multi suo nos latratu appetant, non tamen propterea rationẽ nobis à Deo datam eripiẽt. Illi autem quid aliud quàm canes latrantes, & homines nomine tenus dici possunt? Hac ratione Mamertinus obmutescens ilicò rem totam ad Imperatorem Traianum per literas detulit: qui Clementem sacrificare recusantem exilio vltra * mare Pontum in desertam ciuitatem prope Chersonam damnandum rescripsit.

S. Clemens Præfecto sapienter respondit.

**Sic legendum esse cẽset Baron. in Not. Martyr. Roman. Alij enim scribunt vltra mare & Pontum, adduntq́; Chersonesum Liciæ: Sed malè.*

Mamertinus Præfectus exilio damnatum Clementem defleet.

Hoc rescripto accepto, S. Pontifex ad exiliũ prompto animo sese composuit: quem Iudex ipse Mamertinus non sinè multis lachrymis prosecutus est. Cernebat enim eum virum esse vitæ integritate & virtute insignem: ideoq; ad nauim eum deducens & rebus necessarijs abũdè instruẽs copioso lachrymarum imbre perfusus ait ad eum: Deus, quem tu sincerè colis, opem tibi feret, eritque, vt spero, & solatio & auxilio.

Cùm autem ad locum exilij appulisset, magnamque Christianorum multitudinem, nimirum plusquàm duo hominum millia, ad opus fodiendi & cædendi marmoris inuenisset, merore pariter & gaudio perfusus: Non, inquit, abs re huc misit me Dominus; sed vt particeps vestrarũ tribulationum, exemplum quoq; cõsolationis & tolerantiæ præberem. Illi verò viso Pontifice vim lachrymarum præ gaudio fuderunt, & pedibus illius aduoluti narrarũt, quòd extrema aquæ penuria laborantes à sex milliarib. suis eam humeris adferre deberent. Quibus Clemens intimo animi affectu compatiens: Rogemus, inquit, Dominum vt fidei suæ confessoribus aquæ fontem aperiat, qui quondam in deserto populo suo è durissima silice aquas elicuit. Nec mora: Omnibus vnanimiter in preces incumbentibus, S. Pontifex procul cõspicit agnum; qui, dextero pede leuato, Clementi locum indicare visus est. Tunc Pontifex cogitans eum esse Christũ Iesum, festinè ad locũ profectus est; arreptoq; ligone fodiẽs, repentè fons pulcherrimus aquis scaturientibus emersit, qui magno deindè impetu fluuiũ fecit.

Exod 17.

Precibus suis S. Clemens impetrat fontem insignem.

secit. Quo sanè miraculo tanta populi multitudo ad Christi fidem conuersa est, vt quotidiè quingenti & plures baptismate lustrarentur: intraque vnius anni spatium quinque & septuaginta ecclesiæ ea in prouincia conderẽtur. Itaque simulachra omnia confracta & fana diruta, luciqúe ad trecenta vsque milliaria in orbem concisi & constrati sunt.

Permulti cõuertuntur ad Christum extructis ecclesiis.

Quæ res vt fama celeberrima ad aures Traiani Imperatoris peruenit, animo vehementer commotus protinus eò Aufidianum Præsidem destinauit, qui plurimos Christianos diuersis tormentis sustulit. Videns verò multitudinem summa cum alacritate ad martyrij palmã contendere, rabiem suam in Pontificem conuertit, eumque in medium maris præcipitem dari iussit. Aderat ingens Christianorum multitudo, quæ Pontificis sui agonem precibus & lachrymis Deo commendabat. Porrò Cornelius & Phœbus viri sancti discipuli hortati sunt omnes vt precibus sacras eius reliquias à Deo obtinere contenderent. Orante ergò populo, mare ad tria millia retrocessisse fertur, populoq; liberũ ad ipsas vsque reliquias siccis pedibus aditum præbuisse. Inuenerunt verò paratum in figura marmorei templi à Deo habitaculum, in quo sanctissimi Pontificis corpus honestè quiescebat. Nec longè ab eo, ancora, cum qua proiectus fuerat, reperta est. Cęterum discipulis cælesti visione reuelatum est, ne corpus indè tollerent; sed ãnis singulis festiuo gaudio certamen illius celebrarẽt: Cessurum namque venientibus mare; & continuis 7. diebus siccum eis iter præbiturum. Quod

Demergitur in mare.

Insigne miraculum.

quidem Deus in hodiernum vsque diem ad nominis sui gloriam facere dignatur; qui etiã eodem in loco ad martyris sui memoriam, varia sanitatis beneficia mortalibus concedere non cessat. Cæterum inter alia miracula fama & virtute celeberrima, lubet hic vnum fide dignissimũ & virtute admirãdum cõmemorare.

Describit hoc miraculum S. Martyr Ephræus Episcopus Chersonis.

Cum ciues Chersonis ad contemplandam miraculi magnitudinem confluxissent, inter omnes vir quidam eximius cũ vxore & paruulo filio adfuit; qui vt sarcophagum & templum venerabundi lustrârunt, peractis demũ precibus, regressi sunt: filio interim non tam obliuione, quam Dei voluntate relicto. Cumque longius progressi essent, & mare iam denuo templum fluctibus operuisset, filio non inuento, suspicati sunt, id quod res erat, paruulum in templi quodam angulo remansisse. Itaque casu repentinæ miseriæ grauiter perculsi, aëra miserandis valdè eiulatibus cõpleuerunt, & filium incredibili lachrymarum vi deplorarunt. Totique lachrymis & luctu deformati domum regressi sunt. Anno autem redeunte filij memores, ad eandem cum cæteris solennitatem reuersi sunt; tenui sanè concepta fiducia, vt vel aliquas ossium eius reliquias inuenirent. At verò vt primi omnium, mare paulatim cedente, templum ingressi sunt, filium (dictu mirum & seculis omnibus inauditum) saluum & incolumen & lætitia gestientem conspicati sunt. Eo spectaculo haud immeritò stupefacti proni in facies suas conciderunt, summisque lætitiæ vocibus cum magna gratiarũ actione Deum in sancto

Illustre inprimis & diuinum miraculum.

suo

suo mirabilem collaudârunt: filiumque, martyris patrocinio à mille mortis periculis anno integro seruatum, lætitia & admiratione pleni domum suam reduxerunt.

VITA S. TRVDONIS PRESBYTERI & Confessoris Hasbaniorum Apostoli: Ex ea quæ est per Theodoricũ Abbatẽ S. Trudonis. Obijt Anno Christi Domini 693. qui fuit Sergij Papæ. 6.

Vide Notat. C. Baron. in Martyr. Rom. & Tom. 8. Annal.

23. Nouẽ.

S Trudo in Hasbania, quæ olim cum Lotharingia censebatur, claris & diuitiarum gloria præcellentibus a natus maioribus, ab ipsis penè ætatis primordijs tanta cœpit pietate & religionis gratia florescere, vt lineam illam nobilitatis, quam ab omnibus retrò atauis, Francorum principum sanguis & Austrasiorum ducum vena in eum transfuderat, nouo quodam virtutis genere ab excelsiore animo prodeunte longè superauerit. Veruntamen nec parentes, licet cunctis opibus & humana gloria circunfluentes, à summo pietatis studio alieni fuêre: imò tam eximijs pariter religionis & pietatis floruêre operibus, vt matris eius Adelę corpus in Zeelem (quod iuris hæreditarij erat) apud Diesthemium tumulatũ postea in altari eleuatum sit; cuius os permagnũ & pars item maxillæ, in Trudonensi monasterio summo honore asseruatur.

Patria & parẽtes eius.

a Natus est anno Christi 628 iuxtà Iann. Molan. in Indiculo SS. Belgij.

Adela mater eius prope Diesthemium quiescit.

Porrò Trudo admodum adhuc puer, cum alijs animi corporisq; dotibus egregiè ornatus, tum benignè faciendi studio erat admirabilis: ita prorsus vt nunquam tam calore æstiuali, quam

Benignitas pueri egregia in pauperes.

quam hyemali frigore, prohibitus sit, quin obuium sibi quemlibet nudum aut indigẽtem propria vestiret tunica, largaque manu pauperum inopiam subleuaret.

Cum autem primos adolescentiæ annos attingeret, cælestia assiduò meditans cæpit ex ingenti lapidum aceruo ludibundus quasi tẽplum construere, compositisque miro ordine lapidibus, totum se in oratione prostrauit. Id conspicata mulier quædam, familiare dæmonis mancipium, protinus aduolat, totamque illam lapidum cõgeriem in templi forma dispositam pede subuertit; fulminansque conuicia, pium adolescentem impostorem, & sub obtentu religionis simulatorẽ sanctitatis appellat. Eam contumeliam cum Trudo mira cũ grauitatis miseratione perferret, eccè cæleste numen æstuantem furore mulierem cæcitate percussit: quam post dies aliquot sanctus adolescens multorum precibus & lachrymis fatigatus mirabiliter restituit. Hoc primum eius summæ virtutis indicium cunctis eum honorabilem reddidit. Pater verò, qui affectu tenerrimo filium diligebat, toto conatu ad seculi honorificentiam eum excitabat; suadebat coniugium; prædia spondebat; ostendebat familiam; hortabatur ad militiam. Adolescentes item & coæui nobiles iaculari, equitare, venari, cæteraque id genus quotidiè suadebãt; monachumque in laico cum derisione reprehendebãt. At ille istas Sirenarum voces obturata aure pertrãsiẽs, pro prędijs cælũ respiciebat; pro cõiugio cælibatum; pro familia angelos; ꝑ militia deniq; Dei obsequiũ cogitabat.

Improba mulier euertit structuram eius.

Diuinitus orbata luminibus à Trudone sanatur.

Pater eum inuitat ad ea quæ mundi sunt.

Ille egregiè contemnit.

Sed

Sed quanquam hisce & alijs sanè admirandis virtutibus clarus esset, vna tamen cura stimulabat animum, quod omnis literaturæ planè rudis, Deum, quem in scripturis Euangelia loquuntur, prophetæ testantur, legendo non mereretur agnoscere. Itaque tædens mœrensque ad Dominum conuersus, frequẽtibus cœpit exorare suspirijs, vt clauim omnis scientię largiri dignaretur; qua libri illius signacula reserare posset, cuius clausuram nemo præter Iesum dignus inuentus est aperire. Hæc assiduò orans cælesti per Angelũ oraculo in somnis monitus est, vt beatum Remaclum Tungrensem episcopum adiret: plenissimam literarum, quam petebat, consecuturus scientiam. Ea visione mirificè exhilaratus Remaclum adijt, à quo peramanter exceptus, ad * Glodulphum Metensem antistitem missus est: qui eũ viro cuidam primario & prudentia ac religione præstantissimo literis imbuendum tradidit: sub quo tantos fecit processus vt nulli sodalium esset secũdus. Porrò ibidem quicquid in Hasbania patrimonij habebat, Ecclesię Metensi in honorem S. Stephani resignauit.

Angelus ei dormienti apparet.

** Clodulphum.*

Multa legat Ecclesiæ Metensi.

Post quæ à Glodulpho sacerdotij honore initiatus doctrina iam præcipuus, mox ad partes Hasbaniæ remissus est; vt quæ magna ex parte idolis adhuc deseruiebat, eius prædicatione citò in plenam Euangelij libertatem veniret. Et quidem ibi cum primò, quod puer vouerat templum construxisset, in gentilitio agro, in honorem Quintini martyris & Remigij Episcopi, ilicò in corda incolarum lætissima sparsit Euangelij sata; quæ vberes adeò fru-

Remittitur in Hasbaniã ad concionandum.

Construit templum.

fructus protulêre, vt extirpata penitus superstitione, sanctissima Christi religio mirè effloruerit. Qua re plurimũ delectatus vir sanctus, optimum factu arbitratus est, si Christianum illum exercitum cænobiali etiam vallo circũdaret; vbi tutius deindè inimici insultus oratione à se suisque propulsaret. Nec mora. Iactis cœnobij fundamentis, doteq́ue ex fideliũ collatione adiecta, nouum repẽtè Christo arctius seruire cupiẽntiũ contraxit exercitum, quem & doctrina & exemplo ad cælestem disciplinam instruxit egregiè. Cõdidit autem & aliud quoq; monasteriũ, simulq́; dotauit, quod medio à Brugis Flandriæ ciuitate (quæ id temporis cum vniuerso suo agro, iure paterno, ditionis eius erat) dissitum milliario, & personarũ multitudine & sanctitatis gloria quõdã fuit florentissimum: quod vulgo sancti Trudonis appellatur.

Item Monasterium.

Condit secũdum monasterium propè Brugas.

Intereà angeli occultæ sanctitatis ei⁹ testes fidissimi, præliantis cõciuis sui attendebãt labores, & fulgẽtes beatæ immortalitatis nectebant coronas; cũ arescentibus languore membris & rigentibus neruis, nihil tamẽ de cõsueto pietatis remittebat ardore; sed deficiẽte penè spiritu de cõtemptu mundi, de Dei amore disserere nõ destitit; donec viuificis mysteriorũ munitus Sacramẽtis, anno ætatis 65. sanctã animã in manus Creatoris fœliciter efflaret: tot ac tantis postmodũ vti prius in vita clarus miraculis, vt nullo orationis fluento cõdignè explicari valeant. Quiescit apud Hasbanos, in oppido & Abbatia S. Trudonis patriæ Leodiensis.

Obitus eius felicissimus.

Acta

Acta? Chrysogoni habet Lector in vita S. Anastasiæ Tom. 1.

INVENTIO ET TRANSLATIO CLA*rissimi Martyris S. Gereonis. A Rudolpho Abbate S. Trudonis & posteà S. Pantaleonis in Colonia, cōscripta, anno Domini 1121 aut circiter.*

ANNO incarnati verbi millesimo centesimo vigesimo primo, turbatis iam antè per aliquot annos Ecclesia & regno, sub Imperatore Henrico, quem Papa Calixtus secundus anathemate percusserat, ego Rudolphus, multis Episcopis & Abbatibus de sedibus suis eiectis, tandem è cœnobio beati Trudonis, cui annos duodecim, menses duos & dies quatuordecim indignus præfueram, expulsus sum: venienſque Coloniam à Friderico Coloniensi antistite humaniter susceptus, & in beati Pantaleonis monasterio Abbas cōstitutus sum. Quo tempore petente quodam Dei seruo & prędicatore magno Norberto cū de corporibus martyrū Thebæorum, quæ in S. Gereonis monasterio condita iacent, apertum est vnius eorum sepulchrum, præsentibus tota nocte ad vigilias religiosis clericis, monachis, atq; abbatibus: inter quos, ego peccator vocat' adfui. Eleuato ergò superiori lapide sarcophagi, post octingentos & amplius annos martyrij Thebæorū, inuentum est in eo corpus magnū, per scapulas amplū, militari purpurei coloris chlamyde indutū: quæ ampla vtrinque vestis tribus subter genua dependebat digitis, genus pallij nō ignobilis. Eam vestem rursus alia tegebat breuior, ignota quidē nobis nomine, sed cogni-

24. Nouē.

Henricus Imperator excommunicatus à Papa Calixto.

Monasterium S. Gereonis hodiè collegium Canonicorum.

Inuentio corporis S. Gereonis post annos à morte 800.

cognita filo ſerico & colore nobilioris purpuræ. Subtus ad carnem, veſtem habebat nihilominus ſericam albi maximè coloris, ſed tamen ſubrubeam. Corpus totum intactum adhuc videbatur à mento, quod tantum de capite ſupererat vſque ad pedes, indiſſoluta adhuc ſuperficie veſtium, caligarum, atque calceorũ. Nam vt conijcere verius potuimus, ſic caſu pertranſierat inter caput & mentum perſecutoris gladius. Pars tantum illa, vbi vẽtris mollities fuerat, aliquantum, modeſtè tamen, ſubſederat: quam veſtis ſubſecuta, indiſſoluta permanſerat. Tali ſuppreſſione, pectus & oſſa femorum videbantur magis turgere. Supra pectus illius, ſignum Dominicæ Crucis ex aurifrigio lõgitudine penè vnius pedis, latitudine vix vnius digiti, inuentum eſt.

Crux ſuper pectus eius inuenta.

A genu ad pedes vſque tibiæ ex directo & integro decenter compoſitæ caligis adhuc integris, rotundis floribus ad modum oculorum caudæ pauonis circumquaque diſtinctis veſtitæ erant. In ipſis ſubtalaribus iuncti ſicut prima die & à talo ſurſum erecti pedes adhuc cõtinebantur: & quantum ad veſtis ſuperficiem, nihil de toto corpore videri poterat, quod adhuc corruptum ſiue commotum vnquam fuiſſet. Sub veſtibus tamen, ſicut poſteà exitus probauit, ipſa caro iam prorſus in cinerem reſoluta fuerat cũ oſſibus, exceptis paucis de maioribus: ſed fauillæ ſuperextantis integritas, carnis quoque integritatem oculis admirantium figurabat. Ad caput eius cæſpes erat gramineus totus ſanguineus.

Sed & in aliorum trium martyrum ſarcophagis

phagis hac occasione apertis, eadem Dei magnalia vidimus. Pili herbarum in ipsis cæspitibus adhuc rigebant sicci tamen sed concreto sanguine integri & rubei tenebantur. Totus cinis carnis & ossium, quasi calx nouiter fusa, candebat per totum sarcophagum. O quoties ibi cantatum multis cum lachrymis fuit. Et in sanguine Agni lauerunt stolas suas. O quoties repetitum: Lauerunt stolas suas & candidas eas fecerunt in sanguine Agni. Tandem collectus est cinis & cæspes simul sanguineus in puluerem resolutus: susceptusque in munda palla & preciosa in alio scrinio maiore recõditus est. Vniuersæ autem reliquiæ fuêre: Vestes eius crasso sanguine, sed sicco graues. Balteus eius militaris de nigro corio vnius penè vlnæ longitudinis. Nodus ferreus ad modum oui rubigine propè consumptus; quẽ capulum gladij eius fuisse credimus: quæ omnia studio & deuotione Hermanni eiusdem monasterij Præpositi translata sunt.

Item inuentio aliorum trium.

Apocal 7.

Ibidem.

De rebus eius in Iulianum Apostatã præclarè gestis meminit Sozomenus, licet nomẽ eius non exprimat. Hist. Eccl. lib 6 c. 2. vt Notat Baron. in Martyr. Rom. 25. Nouẽ.

CERTAMEN S. MARTYRIS MERcurij: *Vt refert illud Baron. in Annal. Tom. 2. Anno Christi 254. Decij Imp. 2.*

CAESAREAE in Cappadocia inter alios insignes Martyres Mercurius pro fide Christi nobile certamen exegit: cũ prius egregia nauata opera in bello aduersus Persas, ab eodẽ Imperatore fuisset honoribus auctus, vt ordinum ductor fieret. Hic natus patre Gordiano Primicerio legionis * Fretensis, Christiana fide imbutus & angelica visione roboratus, ingẽtem de Persis victoriam consecutus,

** alias Martensis.*

Causam dicit coram Decio.

cutus, delatus à Catulo Consulare, quod Christianus esset, à Decio vocatus causam dixit magna constantia: cuius rei occasione multa passus, demùm capite truncatus, corona martyrij insignitus de impietate & perfidia illiberalis Principis triumphauit. Hic ipse sequenti seculo, quo ostenderetur sanctos martyres in cælis viuere, & in necessitatibus eos inuocantibus præstò esse, pro Christiana religione aduersus apostatam Iulianum pugnâsse repertus est. Cũ enim impius ille in Ecclesiam grassaretur, & vir quidam *pietate insignis Dominæ nostræ adstaret imagini (in qua etiam Mercurij celebris martyris figura descripta erat) supplicans vt impius Apostata è medio tolleretur, mox, quid euenturum esset, visione didicit. Vidit enim martyrem ad exiguum tempus obscurũ; nõ multo autem post hastam cruentam tenentem; cuius iaculo Iulianum traiectum fuisse constans est opinio.

Nota lector sanctos in cælis non ignorare quæ in terris fiũt. Ioan. Damasc. de I. mag orat 1.

**Fuit is S. Basilius. Debis vide Baron. Annal Tom. 4. Iuliani Imp. Anno 2.*

MARTYRIVM S. ET CLARISSIMAE Virginis Catharinæ: Ex eo quod est apud Simeonem Metaphrasten. Passa est anno Christi 307. Marcelli Pap. 4. Constantini Imp. anno 2.*

al. A Beaterinæ & Hecaterinæ. Vide Tom. 3. Annal. C. Baron.

25. Nouẽ.

IMPERANTE impio * Maxentio, terribili per vniuersum imperiũ edicto, ab eo cautum est, vt omnes insolita & noua quadam sacrificiorum magnificentia, suam in deos religionem, cultumque declararent. Agebat is

** Maximino, legẽdum. Ruffinus hãc ipsam nominat Dorotheam: nam quòd Hecaterinæ ab Hecate nomen deriuatum, esse videtur, id illi fuisse inditum apparet cum adhuc Gentilis esset. Factam autem Christianam, mutasse nomen ac dictam esse Dorotheam, sed priori nomine magis notam. Hæc Baronius eodem Tomo.*

Alexan-

Alexandriæ ; cum diuulgato per orbem edicto innumerabilis hominum multitudo, metu minarum potius , quam religione coacta, eò confluueret & oues bouesque aliaque animalia pro facultatum ratione ad sacrificij solennitatem pertraheret . Ipse igitur imperator visa populi & sacrificiorum multitudine, non modò impensè lætabatur , sed multo magis operam dabat , vt summa & inaudita quadam magnificentia sacrificium perageret. Itaque cum certatim vnusquisque Imperatoris sui voluntati obsequi studeret , tantus erat hominum concursus, vt non dico fanum, sed ne ipsa quidē ciuitas cunctos caperet: brutorum verò animantium clamore tota regio ità circunsonabat, vt alter alterum loquentem vix audiret: nidorque & fumus aspectum pene adimerent.

Alexandria nefaria idolatria exercetur.

Dum hæc fierent , virgo quædam natalibus clarissima, diuitijs opulenta, formæ pulchritudine florentissima , scientijs disertissima, nullique quod rarum est in fœmina, prudentiæ opinione secunda , Hecaterina nomine, videns tam nefaria religionis superstitione innumerabilem populi multitudinem ad insaniam vsque flagrātem, & in pestem animæ sempiternam miserè ruentem, ardentissimo fidei zelo incitata , paucis comitata puellis famulisque, protinus ad templū profecta est : in quo vniuersa cū Rege multitudo sacrificia nefaria immolabat . Cūq; virgo ætate iuuenis, & specie corporis animiq; decora, in ipso limine templi hæreret, omniumq; oculos animosque prouocaret, nūciatū est Regi præ tēpli foribus

Dotes animi & corporis S. Catherinæ.

adesse Hecaterinã necessarium aliquid quod ei dicat habentem : qui præ gaudio exultans summo cum honore eam introduci præcepit.

Constanter repræhendit Imperatorẽ idolis sacrificantem.

Illa verò summa cum modestia & omnium admiratione gradum inferens, Tyrannum sacrificijs occupatum hisce ferè verbis allocuta est: Oportebat quidem te, ô Imperator, ipso naturæ instinctu vanam religionis huius agnoscere superstitionem; sed quoniam potenti nimis dæmonis fraude longius te à veritate in errorem abductum video, saltem ipsis, qui apud vos sunt, sapientibus adhibe fidem; qui apertè deorum vanitatem redarguunt. Satis multas hactenus in barathrum damnationis æternæ pertraxisti animas: vel iam tandem ad meliorem ac saniorem reuertere mentem, ni malis iusto Dei iudicio æternę gehẽnę subire supplicia. Hæc aliaque virgo prudentissima cum diceret;* Maxentius ira repletus responsum quidem dare volebat, sed impotẽti furoris sui dominatu superatus, vox faucibus hærens non poterat. Tandem totus adhuc stupore oppressus præ admiratione sacrificij consummationem eam præstolari iubet. Eo igitur peracto in Regiam reuersus, accersitam ad se beatam hisce ferè verbis affari exorsus est : Dic nobis, quænam es tu, aut quæ sunt ea verba, quæ es nobis locuta? Ad quæ Catharina: An ignoras, me filiam Imperatoris esse, qui te in hac ipsa dignitate præcessit? Si tamen nomen scire libet, equidem Hecatherina dicor; omniũ artium disciplinis erudita : sed cuncta hæc pro nihilo ducens, vt immortali sponso Christo despondear; qui per Prophetam locutus est:

** Maximinus.*

Esaiæ. 29.

Per-

perdam sapientiam sapientum, & prudentiã prudentum reprobabo.

His auditis Imperator prudentiam eius sinè fine admirans, facibus libidinis repentè inflammatus est; totusque ad blanditias conuersus, nihil non fecit vt animi eius virtutem emolliret, & ijsdem scelerati amoris facibus quam ardentissimè incenderet. At illa cernẽs hominem cæco amore miserrimè captum, Quid, inquit, tam miserè dæmonis fraude deciperis, qui te ad libidinem, & intemperantiam, & nefarias cupiditates impellit? Ego cuiusmodicunque sum, certè puluis sum & lutum; Creatoris potentia & gratia in hanc formam inducta, eiusque imagine honorata. Quamobrem vel ex hoc solum Opificis conuenit te admirari sapientiam, quod in luto, & materia tam vili, tantam potuerit extruere pulchritudinem. Et quidem si parumper à dæmonum fraude mentem auocare velis, efficiam profectò, vt verum Deum, æternũ & immortalem luce meridiana clarius cognoscas, cuius tanta est potentia, vt solum eius nomen, vel crux in aëre formata, deos tuos in fugam vertere potest.

Incenditur magno illius amore Imperator.

Præclarè eũ monet Catherina.

Ad hæc Imperator cum responsum dare nõ posset, simulata grauitate, quasi indignum foret Imperatorem cũ fœmina disserere; Comprime, inquit, parumper illam dicẽdi libertatem, & ego meos ad te oratores adduci præcipiam, qui & rationes tuas, quibus inniteris abundè confutabunt, & te meliora edoctam ad deorum nostrorum cultum reducent. Hæc dicens martyrem quidem in custodiam abduci,

Abducitur in Custodiã.

ex toto verò regno oratores ingenij acumine, & dicendi artificio præstantissimos adduci præcepit : qui certamen disputationis cum Catharina susciperent. Conuenerunt breui numero quinquaginta; viri opinione prudentiæ, & dicendi facultate admirandi. Qui vt causam, propter quam tanto studio aduocati fuerant, intellexêre, animis nonnihil commoti sunt, quod tanti numero ad certamen cum fœmina ineũdum vocati essent. Vndè eorum vnus, eximius inter omnes, vt eam ignominiam confestim deleret, ait ad Imperatorem: Fieri quidem potest, fœminam, quã dicis, aliqua prudentia vel doctrina excultam esse, sed quæ fœminarum tanta inueniri poterit, vt congressum doctissimorum oratorũ, qui ætatem omnem in literis triuerunt, sustineat? Itaque ad me ocyus perducatur, vt omnes intelligant, quam vana sit opinio eorum, qui fœminam cum viris doctissimis conferendam putant.

50. *Oratores conuocantur vt eam disputando superent.*

His auditis* Maxentius lætitia gestiẽs quasi parta iam victoria Catharinam adduci præcepit: quam orator ille fastu superbiæ & inanis sapientiæ opinione tumidus, intuens, Tunè es illa, inquit, quæ deos nostros tã impudenter & insolenter iniuria afficis & conuicijs proscindis? Martyr autem placidè leniterque respondens, Ego sum, inquit; sed non impudenter vel insolenter. Deindè disputatione instituta, virgo clarissima ex ipsis veterũ poetarũ carminibus, quibus oratores deorum numina astruere conabantur, ita eos conuicit, atq; ex Apollinis oraculo, & Sybillæ folijs æternum Christi numen

** Maximin.*

S. Catharina Oratores clarissimos disputando conuincit & ad Christum cõuertit.

men ità potenter confirmauit vt apertissimis superati rationibus manus virgini dare, seque victos planè esse fateri cogerẽtur. Qua re *Maxentius tanto animi furore concitatus est, vt omnes illos oratores flãmarum incendio condemnaret. Hac audita sentẽtia proni omnes ad pedes beatæ Catherinæ se abiecerunt, vt baptismate lustrarentur. Quos illa optimo animo esse iubẽs, certissima immortalis vitæ spe plenos ad martyrij certamen præmisit: quod septimodecimo mensis Nouembris lætabũdi peregerunt.

* Maximinum.

Oratores coronantur martyrio.

Ijs per ignis incendium martyrio coronatis, *Maxentius rursus blanditijs Catharinam est aggressus. Spondebat diuitias, honores, regni denique communionem: si dijs libamina offerre vellet. At illa ne illibatæ integritatis dispendium pateretur, depone, inquit, ô Imperator, animũ illum fraudulentũ, vafraque consilia, atq; blanditias. Dixi enim me Christo consecratam esse, stolamque martyrij cuiuis purpuratæ regiæ longè præponere. Hęc cum diceret, *Maxentius in furorem & rabiem cõuersus, iubet eam regali spoliatam purpura boum neruis crudelissimè cædi: cæsamque in carcerem abduci, vt interim, quo genere supplicij eam consumeret, sedulò perpenderet.

* Maximinum.

* Maximinus.

Catherina flagellatur.

Dũ hæc geruntur, Augusta Imperatoris cõiũx magno Catharinæ desiderio tacta, Prophyrionẽ adijt, eique exposuit, accepta prius ab eo silentij fide, quod Catharinã in carcere conuenire vellet. Nec mora: Prophyrio, carceris custodibus pecunia delinitis, Imperatrici aditum patefecit: quæ viso virginis vultu,

Augusta cõiunx Imperatoris Catharinam inuisens credit.

tam vehementer animo exhilarata est, vt ad eius pedes procideret, fusisque præ gaudio lachrymis, tum demùm verè se Imperatricem, verè beatam prædicaret. Cui martyr: Profectò beata es, verè beata; cui ipsos angelos immortalem video offerre coronam, quam post diem tertium martyrio redimita à Christo æternũ regnatura accipies. Illa verò trepidãte & suppliciorum atrocitatem toto corpore perhorrescente, Catharina eam confirmãs nihil cruciatus ijs timendos esse docuit, qui Christum in certamine adiutorem haberent. Porphyrio inter ea audito Christi nomine, ait ad virginẽ: Et quid quæso præmij consequerer, si & ego deinceps Christo militare cuperem? Cui Catharina: Præmiũ, quod pijs omnibus à Christo post hanc vitam in cælis est constitutum, nulla humana mens, non dico exprimere, sed ne cõcipere quidem vllo modo potest. Tale enim tantumque est, vt omnes humani ingenij vires & mẽtis cogitationes longè excedat. Porphyrio his auditis ilicò cum 202. militibus, repudiata idolorum superstitione, Christo nomen dedit; totusque lætabundus domum, nocte cõcubia, reuersus est. Catharina verò totis illis duodecim diebus, quibus in carcere fuit, colũbæ cuiusdam ministerio alimenta accipiens, postremò ab ipso quoque Christo Iesu ad constantiam confirmata est.

Itẽ Porphyrio cum 200 militibus.

Alitur per Columbam in carcere S. Catharina.

Igitur Christi præsentia mirificè recreata & noua insuper pulchritudine decorata rursus ad *Maxẽtij tribunal euocata fuit. Stupebãt omnes ad mirabilem virginis decorẽ, ipseque inprimis Imperator specie eius emollitus; Te, inquit,

* *Maximini.*

inquit, decet ô filia imperium. Age igitur dijs sacrifica, & nobiscum impera, & noli tantam pulchritudinem tormentis subdere. Illa autē: Hæc, (inquit) quam tu admiraris pulchritudinem, terra est & cinis; quam & tēpus efflorescere facit, & morbus tabefacit: vtpotè quæ nihil stabile, nihil firmum habet.

Æstuat rursus amore illius Imperator Maximinus.

Dum hęc dicuntur, Prefectus quidam Chursasadem nomine, acri dolore *Maxentij vicem miseratus, simulque Imperatoris beneuolentiam captans: Ego, inquit, ô Imperator viam modumque inueni, quo hanc vel tibi dicto audientem reddes, vel momento temporis dissipabis. Iube sub vna fibula quatuor fieri rotas, serris & clauis acutissimis munitas: eamq; machinam funibus paruisque rotis maximo impetu agitari præcipe. Eo terrore eius constantia protinùs vel concidet, vel certè corpus in mille particulas dissecabitur.

*Maximini.

Horribilis rota ad torquendā virginem.

Fuêre cuncta hæc ordine impleta, & martyr in rotam coniecta: sed mox ipsa machina ab Angelo tanta vi & impetu, martyre illæsa permanente, dissipata, vt multi è circumstantibus discerperentur: plurimi verò clamarent: Magnus est Deus Christianorum. Efferbuit tūc furor *Maxentij incredibiliter: eoque noua in martyrem supplicia cogitante, eccè coniunx Augusta accedens ad Imperatorem: Absolue quæso, inquit, magni Dei famulam, quam, vt vides, tormenta superare non possunt. Reuera enim erras toto cælo, & planè desipis, si existimas te Deo viuo & vero potentiorem esse. Audiēs hæc Imperator cōfestim vniuersam mentis suæ rabiem in coniugem conuertit: eamque abscis-

Ea ab angelo dissipatur.

*Maximini.

Maximinus in propriam coniugē horrendè sæuit & martyrio afficit.

abſciſſis prius, crudeli ſanè ſpectaculo, mammillis, capite truncari iuſſit. Illa verò, accepta ſententia, læta dixit martyri: Ora pro me. Et Catharina: Vade, inquit, in pace, æternum cum Chriſto regnatura. Ea igitur martyro conſummata. Porphyrio cum ſuo exercitu conſtanter accedens: Et ego, inquit, Chriſtianus ſum, paratus cum hiſce commilitonibus idem pro Chriſto certamen ſubire. His auditis, eiulauit præ dolore * Maxentius; & frendens gemensque cunctos crudeli ferro trucidari præcepit.

Item Porphyrio cum ſuis fit martyr.

** Maximinus.*

Indè conuerſus ad Catharinam, Tyrannus cum irrito conatu minas ac blanditias adhibuiſſet poſtremas, eam ſimiliter truncari iuſſit. Itaque virgo illa clariſſima & cunctis ſciẽtijs ad miraculum vſque ornatiſſima, tot tantisque certaminibus inclyta ad martyrij locum deducta fuit; quam cum multæ virgines & matronæ nobiliſſimæ acerbiſſimis lachrymis atque lamentis proſequerentur, illa vultu conſtanti, & ad hilaritatem compoſito, ab omni luctu ad ſummam lætitiam omnes prouocabat; ſublatisque in cælum manibus orationem fudit; ſicque niueam extendens ceruicem lictori eam feriendam præbuit: è qua pro ſanguine lac fluxiſſe viſum eſt. Corpus verò omni veneratione digniſſimum angelorum miniſterio in montem Sina perlatum fuit: vbi clariſſimis inclytum miraculis etiamnum eius viſitur ſepulchrum.

Damnatur capitis S. Catharina.

Lac pro ſanguine è ceruicibus eius fluit.

Locus ſepulturæ eius.

VITA S. CONRADI EPISCOPI CONstantiensis: Ex addit. ad Petrum episcopum Equilinū. Migrauit ex humanis anno Dom. 976. Numeratur 30. eius sedis Episcopus.

Vide C. Baron. in Not. ad Martyr. Roman.

26. Nouē.

SConradus genere Alemannus, parentibus simul & virtutibus nobilis, primò à Notingo Constantiensi episcopo causarum auditor: episcopatui præfectus: ac deindè etiam maiori Ecclesiæ præpositus est. Vbi cùm in magna perfectione se dudum gessisset, tandem defuncto Notingo, à sācto Vdalrico, post indictum triduanum ieiunium, Constantiensis episcopus quamuis renitens cōstituitur: vbi tres insigni opere erexit Ecclesias: in quarum vna videlicet beati Mauricij, sepulchrum Domini Hierosolymitano illi simillimum extrui curauit: nec non & Dei genitricis templum preciosis reliquijs decorauit. Ter, deuotione impulsus, sepulchrum Domini Hierusalem visitauit. Sed enim contigit die quodam Paschæ peracta consecratione araneam in calicem delabi quam vir sanctus (ad euitandam fortè cōfusionem & scandalum) fiducialiter deglutiuit; quæ & posteà, non sinè miraculo, ipso ad mensam expectante, omnibus videntibus ex ore eius exiuit. Porrò & Gebbardo adolescenti, post Gamelonium sibi successurum in episcopalem sedem prædixit: quod & ita euenit.

Fit præpositus maioris ecclesiæ.

Fit episcopus & tres ædificat ecclesias.

Ter visitauit sepulchrū Domini.

Claruit spiritu prophetiæ.

Et sic demùm plenus operibus bonis diem in Domino clausit extremum; multis post mortem miraculis clarus.

Obit feliciter.

VITA

Vide Notat. C. Baron. in Martyrol. Roman. & Tō 6. Ann. Item Ioan. Mola in Ind. SS. Belgij.

VITA S. MAXIMI EPISCOPI RHEgiensis in Gallia Cisalpina: Ex ea quæ est per Dinamium Patriciū. Successit S. Prospero anno Domini 466. ferturq; Vimæ obijsse in Territorio Taruanensi: Vbi quadruplici solennitate colitur. Verùm propter vrbis excidium Capsarum liquiarum eius est Ypris Flandorum.

27. Nouē. *S. Maximi natales & patria.*

BEATVS Maximus in vico proprio, cui Decomeco nomen est, Christianis ortus parentibus, ab ipsis infantię rudimentis, ità lubricos adolescentiæ annos morum maturitate castigauit, luxuriæque illecebras & blandimenta animi magisterio & censura edomuit, vt rarum in eo castimoniæ exemplum eluceret. Sed ijs minimè cōtentus, vt abundantiori Christi gratia frueretur, terrenis facultatibus posthabitis, Lirinēse monasterium sempiternas diuitias congesturus petijt: vbi tam eximia vitæ integritate ac sanctitate floruit, vt cunctis mirificè charus, tandem Honorato decessori suo summis virtutibus ornatissimo, meritis haud inferior succederet. Qua in functione cùm rara quadam prudentię & virtutis opinione versaretur, fama insignium virtutum eius per orbem volitante, ad Rhegiensis vrbis episcopatum non minus raptus quàm electus, & quamuis inuitus ilicò consecratus est.

Pollet insigni castitate.

Confert se ad Lirinense monasteriū.

Fit ibidem Abbas. Creatur episcopus Rhegiensis.

Porrò in Episcopatu multis & summis virtutum ornamentis cultissimus, cùm in Rhegiensi castello templum in honorem beati Albini condere statuisset, hoc inprimis admirabile in ea structura contigisse memoratur. Erant immani vastitate columnę, quas iuga boum ad

temi-

templum pertrahebant. Cumque præsente Episcopo oneri iungerentur, nullam tanti ponderis molestiam sentiebant; eo verò absente, adeò earum pondere, nequissimi dæmonis occulta machinatione, premebantur, vt nullis stimulis ad progrediendum adigi possent. Nec mirum sanè. Populo enim eam rem stupente, vir diuinus, cuius oculos inimicus fallere non poterat, paruum cernebat AEthiopem bobus sese obijcientem. Cumque flexis genibus supplices Deo preces funderet, vt hostis insidias auerteret, malignus vim precum non ferens, ocyùs, non sine teterrimo fœtore, recedebat.

En nequitiã dæmonis.

Fertur quoque puerum à morte ad vitam reuocasse, itemque puellam; adolescentem quoque qui rabidi canis laniatu, miserè extinctus erat, non solum vitæ restituit, sed & plurimos, qui saucij vix euaserant, signo Crucis confestim curauit. Porrò innumera sunt reliqua beatissimi Antistitis miracula: cum ei facillimum esset illuminare cæcos, sanare claudos & vita functos excitare.

Excitat mortuum puerũ & puellam.

Item adolescentem.

Cæterùm teneros corporis sui artus perpetua cilicij asperitate domabat: tota, virtute in eam rem incumbens, vt ab omni peccati contagione purus populum sibi creditum ad pascua vitæ æternæ, & verbo & exemplo pertraheret. Imminente autem sui obitus die, quem diuina reuelatione cognouerat, ad natale solum, vt propinquos inuiseret & cælesti doctrina ditaret, reuersus est: vbi leui infirmitate correptus, extremum halitum V. Kalend. Decembris efflauit. Corpus eius in oppidum Rhegiẽse reductum fuit: ibidemque in Ecclesia B. Petri, quam

Vtitur perpetuò cilicio.

Obitus eius felicissimus.

Locus sepulturæ eius.

quam ipse condiderat, summa cum celebritate sepultum.

MARTYRIVM S. IACOBI INTERCISI: Ex eo quod fide optima extat apud P. Laur. Surium: Coronatus est sub Isdegerdo Persarum Rege, temporibus Theodosij Iunioris Romanor. Imperatoris: qui floruit anno Christi 379. & seqq.

Vide C. Baron. Nota. ad Martyrol. Rom.

27. Nouē. IACOBVS martyr ex regione Persarum ciuitate Elape oriundus, nobilis genere, sed fide nobilior, cùm à parentibus Christiana pietate egregiè imbutis, Christianissimam pariter accepisset vxorem, non potuit non eximijs pietatis operibus efflorere. Sed cùm Regi Persarum notissimus inter optimates primus haberetur, accidit vt nimio principis amore seductus, animum ad cultum idolorum paulatim inflecteret, & nefandis simulachris thura offerret. Quòd simulac mater & vxor intellexere, protinus datis ad eum literis, nefarium, quo se obstrinxerat, facinus ei ob oculos posuerunt; præcisè nunciantes se sanguinis communionem in perfido homine & fidei Christianæ desertore amplius non agnoscere. Iacobus his perceptis, non potuit non animo commoueri, totusque lachrymis infusus: Si, inquit, quę me genuit mater, & coniunx charissima tanto odio perfidiam detestatur: Christus Dominus, qui me suo sanguine redemit, quibus me oculis nunc aspiciet? Hæc dicens facinusque detestans multis sese lamentis confecit: nihilque non fecit vt amissam

Nimia principis familiaritate à Christo abducitur.

Mater eius & vxor amplius eum nolunt agnoscere.

Redit ad mentem & acerbissimè facinus suū deflet.

sam conscientiæ pacem ac tranquillitatem recuperaret.

Ea res cùm alijs minimè occulta esset, tum ad aures *Imperatoris delata est; qui Iacobum ad se deduci præcepit: adductoque acerbissimam & propter nouitatē summè admirandā, inaudita tyrannide intulit morem. Nam iuncturis & articulis quibusque membratim resectis, cùm nihilominùs in Christi confessione inuictus permaneret, capite truncatus, martyrij coronam adeptus est.

*Regis Isdegerdis.

Membratim à capite ad calcem vsq; conciditur.

MARTYRIVM S. SATVRNINI PRIMI Episcopi Tholosani: Ex Ioanne Maldonato Hispano & Surio. Coronatus est Tholosæ in Gallia anno Christi 254. Decij Imperatoris 2.

Vide Tom. 2. Annal. C. Baron. & Notat. in Mart. Rom.

SATVRNINVS vrbis Tholosæ episcopus rem Christianam, Decio Cæsare imperante, plurimum auxit, maximasq; gentium superstitioni tenebras offudit. Nam cùm bonus antistes in ecclesiam tunc modicam iraret, & Tholosanum Capitolium inter domum eius & ecclesiam mediū interiaceret, responsis solitis deos quoties transiret, priuabat: ac mutos omninò reddebat. Quod longa diuturnaque obseruatione Tholosani ciues intelligentes, Saturninum corripuerunt, & in arcam Capitolinam pertractum, magnis vociferationibus, ni patrio more sacrificaret, se interfecturos comminati sunt. At ille Deo vero, non autem dæmonibus ac truncis immolaturum se, constanter affirmans: impios illos præ-

29. Nouē.

Promouet rem Christianam.

Deorum ora clauduntur sancti viri præsentia.

Alligatur tauro S. Saturninus & crudeli supplicio perimitur.

præclarè corripiebat. Quare malè suada plebis furore & amentia concitata, pedes eius ad latera victimarij tauri alligarunt, actumque stimulis acribus taurum, de superiori Capitolij parte in plana præcipitarunt. Quo impetu, inter primos descensus ipsius gradus, capite collisio, cerebroque excusso, & corpore omnium membrorum parte lacerato, dignam Deo animam CHRISTVS excepit: vt quam pro nomine suo fideliter dimicãtem supplicijs furor gentilis extorserat, suis post victoriam laureis coronaret.

Exanime tamen corpus neque obnoxiũ iniuriæ vllius iniuriæ, vsque ad eum locum, tauro fugiente, perductum est, vbi fune disrupto, tumultuariam eo tempore meruit sepulturam. Nam paucis id temporis Christianis, ipsisque propter furorem gentilium sancti viri corpus humare metuentibus, duæ tantùm muliercula, sexus infirmitatem fidei virtute vincentes, & viris omnibus fortiores, & sui sacerdotis exemplum, credo, ad tolerantiam passionis animatæ, beati viri corpus ligneo feretro impositum, quàm maximè in profundo loco actis fossis scrobibus condiderunt.

Duæ mulierculæ eius corpus sepeliunt.

Porrò multo post tempore, S. Exuperius Episcopus sanctas eius reliquias, indè in Basilicam nouam egregio opere visendam transtulit. Hoc ipso die Saturninus alter & Sisinnus Diaconus Romæ sub Maximiano, quòd idola deprecabundi comminuissent, & ad Christum quamplurimos perduxissent, martyrio sunt affecti.

Habetur horum Martyrium in gestis Marcelli Papæ.

VITA S. RADBODI VLTRAIECtensis episcopi: Ex ea quæ est per V.P. Lau. Sur. Obijt anno Dominici Natalis 917.

Vide Ioan. Mola. in Ind. SS. Belgij.

BEATVS Radbodus è nobili Francorum stirpe, parẽtibus ortus Christianissimis, nomen traxisse putatur à Radbodo Frisonum Duce; quem alij Regem vocant; qui matris eius attauus fuit. Cùm primùm discendi capax visus est, ad Guntherum Coloniensem Archiepiscopum missus, prima ibidem literarum iecit fundamenta. Sed cum episcopi res in angustias redactæ essent, puer egregiæ indolis primò ad Caroli Regis Frãcorum, indè ad Ludouici eius filij aulam se contulit; non quod palatinos ambiret honores, sed quod intra Regis palatium liberalium artium studia pręclarè colerentur. Præerat autem gymnasio illi Manno philosophus; cui sanctus puer, feruens discendi studio, sedulus adhærebat: instarque apis sedulæ literarum floribus insidens, multam ibi eruditionis collegit copiam; donec omnium iudicio haud vulgari doctrina præditus esset. Interim virtute animi adolescentiæ motus egregiè comprimebat, carnisque rebellionem parsimonia edomãs, mentem spiritalibus delicijs inpinguabat. Et quanquàm summo studio virtutem occultabat, propter ipsam tamen morum integritatem Regi eximiè charus erat. Postquàm verò Carolus, sub quo adolescentiæ exegit annos, è vita decessit, tactus desiderio suorum, Lomaganium (sic enim vulgò patria eius dicebatur) adijt.

29. Nouẽ.

Stẽma eius.

Radbodus Frisonũ Dux matris eius attauus.

Discendi causa degit in aulis Regum.

Multum proficit.

Eius Patria.

S. Radbodus fit Episcopus Vltraiectensis.

Intereà Egilbertus Vltraiectensis Ecclesiæ præsul vitam cum morte commutat: & Radbodus eo honore omnium iudicio dignissimus à Clero, Rege, principibus, populoque vniuerso in eius locum subrogatur. Ea re non mediocri animi dolore affectus, cùm onus honoris istius nullo modo euadere posset, mox maioribus virtutũ præsidijs opus esse statuens, monasticam Regulariũ disciplinã professus est, sicque spiritalibus armis egregiè tectus ad pugnam processit. Quidquid ex rebus mũdi huius habere poterat, id totum in pauperes erogabat: nulli benignitate erga inopes secundus; vtpotè qui non modò victum vestitumque eis præbebat abundè, sed suis ipse manibus etiam pedes lauabat. Eiusmodi studijs & officijs humanitatis & misericordiæ diu noctuque incredibili vigilantia & solicitudine indefessus vacabat, nec vnquàm id genus frangebatur laboribus, licèt biduanis triduanisque ieiunijs carnem sæpiùs frangeret, & corpusculum vix ossibus hærens summa seueritate edomaret. Carnium esus & vini potus plenè ei incognitae erant: dabatque operam ne vnquam ea abstinentia ad aliorum notitiam perueniret. Ita enim inter suos se cõparabat, vt delicatis cibis vesci putaretur: perpetuò solicitus nè fortè cunctarum virtutum nauis ad cæcos superbiæ scopulos illisa miserrimè periret. Qua in re Dominus etiam seruo suo mirabiliter opitulatus fuisse insigni miraculo perhibetur. Cùm enim quidam signis minimè dubijs assequeretur, perpetuo aquæ potu eum vti, die quodam inter conuiuandum poculum eius ex onyche factum

Profitetur monachum.

Valdè benignus est in pauperes.

Semper ieiunans & à vino ac carnibus abstinens simulat se delicatis vesci cibarijs.

factum,& auro congruenter ornatum mirabili dexteritate clàm arripuit: è quo dum biberet,episcopo suspirante & ingemiscente, aqua repentè in vinum mutatum fuisse constat: Domino id pro sua misericordia operante,ne famuli ipsius virtus in publicum prolata periclitaretur.

Aqua in vinum mutatur.

Fuit autem & spiritu prophetię clarus:nam cùm alia multa,tum obitûs sui diem multo antè prædixit: & successorem suum Baldricum tum temporis adhuc adolescentem prophetico spiritu designauit.Excessit autē è vita cum admiranda pietatis significatione, corpusque à Clero & populo Dauētriam translatum fuit: vbi à Christi fidelibus pia & grata festiuitate memoria eius recolitur.

Claret Prophetiæ spiritu.

Moritur & Sepelitur Dauentriæ.

MARTYRIVM S. ANDREAE APOSTOLI: Ex passione eius, à Presbyteris & Diaconis Ecclesiarum Achaiæ scripta, desumptum: quibusdam superadditis ex Tomo 1. Annal. C. Baronij.

Vide Tom. 1. Annal. C. Baron. & Notat. in Marty. Rom.

ANDREAS Simonis Petri frater, ætate eo senior, Iona, siue Ioanne patre, in vico Bethsaida prouinciæ Galilææ oriundus fuit.

30. Nouē. *Patria & parētes eius.*

Porrò cū cælibem quidē duceret vitam, Præcursoris Domini factus est discipulus. Procedēte verò tēpore primùm in Christi disciplinam se tradidit; deinde à Beato Petro baptizatus ac Christi benignitate ad Apostolici muneris dignitatem euectus, nequaquàm se ea functione indignū exhibuit. Quod luce meridiana clarius Euangelij testimonio comprobatur. Cæterùm

Ioan. 1.

quia sacris literis expressum non est, quo in loco Christi Euangelium diuulgauerit, & quo mortis supplicijque genere in cælum ad Christum migrauerit: non erit abs re extrissima fidelium testium relatione fusius explicare.

Igitur Andreas post Christi in cælos ascensionem ac inter Apostolos prouinciarum diuisionem & partitionem non tantum adijt ac Christum annunciauit Scythis, verum etiam Sogdianis, Sacis ac AEthiopibus. Indè verò in Græciam descendens per Epyrum in Achaiam deuenit, ac in vrbe eius prouinciæ clarissima, quæ Patræ dicitur, diuini verbi semina sparsit tanto feruore ac animi pietate, vt breui multos ad Christi fidem traduxerit. AEgeas Proconsul hac re comperta confestim Patras venit, pietati bellum indicturus: & minis pariter ac blanditijs Christi cultores ad idolorum sacrificia compulturus. Cui Andreas diuina virtute occurrens, ita dixisse fertur: Oportebat te quidem, qui hominum Iudex esse comprobaris, summum illum & incorruptum viuorum ac mortuorum Iudicem agnoscere, & agnitum colere, colendoque animum ab impio & nefario deorum cultu reuocare. Cui AEgeas: Tunè es ille Andreas qui deorum templa subuertis, & nouam religionis superstitionem hominibus persuades, cuius auctor IESVS vester à Iudæis crucis patibulo affixus fuit? Respondit Andreas: O si velles diuinissimum Crucis mysterium agnoscere, quanta charitate humani generis auctor morbos & ægritudines sceleribus nostris debitas exceperit, & dolores qui nobis

S. Andreas constanter se opponit AEgeæ proconsuli populũ à Christi cultu auocanti.

nobis subeundi erant sustinuerit, sponteque omninò Crucem conscenderit, vt cruciatu suo, nos ab exilio & cruciatu sẽpiterno liberaret, profectò vna nobiscum Crucem istam, quam tu conuicijs proscindis, summa veneratione & amore complectereris. Non enim coactus, vel Iudæorum fraudibus, aut vi circumuentus, in Crucem sublatus fuit, sed voluntate sua ardentissimo pietatis & charitatis studio impulsus, pœnas conscelerati hominibus irrogandas corpore suo excepit: vt humanum genus expiaret, & iniquitatis nostræ maculas elueret.

Docet Apostolus Christum sponte Crucem conscendisse.

AEgeas quanquàm Apostoli auctoritate superatus, impietatis tamen tenebris oppressus: Miror, inquit, te tanta prudentia & virtute vitum istum sectari velle, quem quoquo pacto aut spontè, aut inuitum, Cruci tamen confiteris affixum. Cui Andreas: Et hoc est, inquit, quod etiam me dixisse iam retines: Magnum nimirum esse Crucis mysterium. Quod si fortè attentas mihi differenti aures præbere velis, eadem hæc comprobabis. Et AEgeas: Ego quidem patienter te audiam: sed tu si me obtemperanter nõ audieris, ipsum Crucis mysterium in teipso excipies. Ad ea intrepidè respondens Andreas: Ego inquit, si Crucis patibulum expauescerem, Crucis gloriam non prædicarem. AEgeas dixit: Insanus sermo tuus supplicij gloriam prædicat, qui per audaciam mortis pœnam non times. Respondit Apostolus: Non per audaciam, sed per fidem pœnam non timeo mortis. Mors enim iustorum preciosa est: mors verò peccatorum

Non expauescit Crucis supplicium Apostolus.

Psalm. 115.
Psalm. 33.

Genes. 3.

Docet AEgeam mysterium S. Crucis.

pessima. Et ideò audire te volo Crucis mysterium, vt agnitum credas, credensque ad veram & sempiternam salutem pertingas. Primus enim homo per lignum prevaricationis mortem induxit: vndè necessarium fuit humano generi vt per lignum passionis mors, quæ ingressa fuerat, pelleretur. Et quomodò de pura & incontaminata terra primus homo in lucem prodierat, qui rebellione sua mundo mortem intulerat: ita necessarium fuit vt de immaculata Virgine CHRISTVS Dei filius natus homo, perfecta sua obedientia vitam æternam, quam perdiderant omnes, repararet.

Præclarum testimonium sacrificij Missæ, & veri corporis Christi in Eucharistia.

AEgeas ad eam Apostoli doctrinam planè stupidus: Ista, inquit, verba, ijs inculcato, qui tibi fidem adhibent, mihi autem, nisi deorum sacrificia suadenti obtemperes, in istam, quam tantis laudibus extollis, Crucem te fustigatum affigi præcipiam. Respondit Apostolus: Deorum tuorum sacrificia mihi persuadebis nunquam, qui Omnipotēti Deo omni die sacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem: sed immaculatum Agnum: cuius carnes posteaquàm credentium populus manducauerit, & sanguinem in ara Crucis semel effusum biberit, Agnus, qui immolatus est, integer perseuerat & viuus. Et quomodo, inquit, AEgeas hæc fieri possunt? Respondit Apostolus: Si Christianæ religiōis mysteriū integra fide, toto corde, amplexatus fueris, discere poteris: si autem non credideris, nunnquàm ad huius rei notitiam & indagationem peruenies.

Tunc

Tunc furore mentis concitatus AEgeas, Apostolum in carcerem retrudi iussit. Vbi cùm vinctus teneretur, populus totius penè prouinciæ indignum facinus esse clamitans tantę virtutis virum ergastulo concludi, Aegeam ad mortem postulare cœpit. *S. Andreas mittitur in carcerem.*

Porrò Apostolus furentis populi animos oratione grauitatis plena compescens, cunctos admonuit vt Christi Domini exẽplo paci studerent, & illatas iniurias patienter perferrẽt. Humanus enim (dicebat) terror & iniuriæ & supplicia, fumo sunt simillima, quæ excitata subitò euanescũt. Quare nolite repositam mihi martyrij coronam impedire, aut humanos terrores & cruciatus expauescere: sed estote magis parati, vt per tribulationes temporarias ad æterna gaudia pertingatis. *Populus vult eum liberare, sed id nõ permittit Apostolus.*

Hæc & his similia per totam noctem Apostolo ad populum disserẽte, AEgeas prima luce per satellites ad suum tribunal eum adduci iussit: quem superba mente ita affatus est: Existimaui te nocturna cogitatione à mentis tuæ stultitia resipuisse, vt possis deinceps nobiscũ huius vitæ gaudijs perfrui securè. Stultũ enim est temeraria mente ad supplicium properare, & semetipsum in exitium ante oculos positum præcipitem dare. Ad ea Apostolus: Gaudijs tecum fruar sempiternis, si execrabili deorum cultu relicto, mecum Christo credas & animæ tuæ curã geras. Ego enim missus in hanc prouinciam à Christo Saluatore nostro, ingentem populi multitudinem ab errore ad fidem & à morte ad vitam perduxi. Et hoc est, inquit, AEgeas quòd me discruciat: *Sistitur denuò tribunali AEgeæ.* *Vberrimus S. Andreæ fructus in Achaia.*

quòd deorum nostrorum cultum subuerteris, & templa demolitus sis: atque ideò, nisi confestim dignis sacrificijs irata deorum numina placaueris, ego te varijs eximijs excruciatum supplicijs Cruci affigam. Tum verò Andrea hominem in scelere suo penitus obduratum cernens ait: Audi fili mortis, & stipula æternis parata incendijs; audi me seruum Domini & Apostolum IESV Christi. Hactenùs censura fidei mitiùs tecum egi, vt rationis capax, & veritatis defensor effectus idola vana contemneres, & Deum, qui in cælis est adoraret. Sed quia in impudẽtia tua perseuerans, me existimas minas tuas formidare posse, age, quidquid tibi in supplicijs maius videtur, excogita. Tanto enim Regi meo ero acceptior, quanto pro eius nomine in tormentis certauero constantior.

Magna libertas & constantia eius.

Cæditur flagellis Apostolus.

Tunc AEgeas mentis suæ furias expediens, extensum iussit Apostolum flagellis cædi. Qui cùm septem inuicta virtute terniones transisset, eleuatus est, totoque corpore lacer AEgeæ exhibitus. Qui denuò ad blanditias conuersus: Audi me, inquit, Andrea, & ab effusione sanguinis tui consilium reuoca. Quod si non feceris, Crucis tibi supplicium erit subeundũ. Cui Andreas: Ego Crucis Christi seruus, Crucis trophæum optare potius, quã timere debeo. Neq; enim de mea passione, sed de tuo interitu sanè conturbor. Passio enim mea vnius est diei, aut vt multum, duorum. Tuus autem cruciatus nulla vnquam temporis longinquitate finem accipiet. Vndè desine tibi tuas augmentare miserias, & vel ex mea tandem perseuerantia fidem

fidem amplectere. Eam Apostoli libertatem grauiter indignatus Aegeas, Crucis supplicio eum damnauit. Cumque raperetur ad mortē, populus magno concursu clamare cœpit: Iustus homo & amicus Dei quid fecit, vt ducatur ad Crucem? Andreas verò populi clamores lenitate compescens, & incredibili gaudio exultans, ad locum certaminis properabat; cernensque paratam sibi à longè Crucem exclamauit: Salue Crux, quæin corpore Christi dedicata es, & ex membrorum eius margaritis ornata. Antequam te ascenderet Dominus, timorem terrenum habuisti: modò verò amorem cælestem obtinēs, pro voto susciperis. Sciris enim à credentibus, quanta intrà te gaudia habeas, quanta munera præparata. Securus ergò & gaudens venio ad te, ita vt tu exultans suscipias me, discipulum eius qui pependit in te: quia amator tuus semper fui, & desideraui amplecti te: O bona Crux quæ decorem & pulchritudinem de mēbris Domini suscepisti, diu desiderata, solicitè amata, sinè intermissione quæsita, & aliquando iam concupiscenti animo præparata: accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo, vt per te me recipiat, qui per te redemit me. Et hæc dicēs expoliauit se, & vestimēta sua tradidit carnificibus. Qui manus eius & pedes funibus Cruci alligârunt, ne clauis affixus citò deficeret, sed longo cruciatu Aegeæ crudelitatem satiaret. Aderant turbæ ad viginti hominum millia; inter quos Stratocles Aegeæ frater; qui simul cum populo AEgeæ tyrannidem execrans, Apostolum de pietate in Deum disse-

Damnatur Crucis supplicio.

Ecce tibi Apostolum ad Crucem tanquam ad epulas properantem.

Alligatur Cruci.

differentem audiebat. Apostolus enim mentes credentium Christo, assidua adhortatione toto illo biduo in cruce pendens confirmabat, atque ad laborum tolerantiam, excitabat: affirmans huius vitæ passiones ad æternæ remunerationis gloriam non esse condignas.

Rom. 8.

Cæterum cum populus Aegeam grauissimè incusaret, quòd virum sanctissimum indigno supplicio affecisset, ille tumultum ac populi seditionem veritus, ad deponendum eum de Cruce properabat. Cui Apostolus: Quid tu ad nos AEgea venisti? Si vis credere Christo, sicut promisi, aperietur tibi via salutis: Si autem ad hoc venisti, vt me soluas, ego hinc viuens in corpore deponi non potero. Iam enim Regem meum video, iam adoro, iá conspectui eius assisto. Sed de infœlici sorte tua doleo, quia parat° te expectat æternus interitus. Curre pro te miser, cum adhuc potes, ne tunc incipias velle, cum minimè poteris. Attollentes autem manus ad Crucem carnifices, ipsum penitus contingere non poterant: torpebãt enim brachia, virtute vtique diuina, ne diu desiderata martyrij corona Apostolus fraudaretur. Erat enim mirè solicitus Andreas, ne fortè solueretur; ideoque voce magna clamabat: Ne me permittas Domine Iesu Christe, famulum tuũ, qui propter nomen tuum pendeo in Cruce, solui; & ab AEgea homine corruptibili humiliari: sed suscipe me tu magister mi Christe, quem dilexi, quem cognoui, quem confiteor, quem videre desidero. Suscipe Domine Iesu spiritũ meũ in pace: quia iam tempus est, vt ad te veniam, desiderans te videre. Suscipe me Domi-

Aegea timens populum vult eũ soluere.

Recusat B. Apostolus.

In animum Christi amore ardentissimum.

Domine Iesu Christe, magister bone; neque permittas me ex hac cruce deponi, nisi prius spiritum meum susceperis. Hæc cùm dixisset, ingens repentè de cælo adfuit splendor; qui eum circundans, adstantium aciem ita obtundebat, vt penitus in eum oculos defigere non possent. Perseuerauit autem lux illa dimidiæ ferè horæ spatio; qua deindè abscedente, Apostolus emisit spiritum; qui simul cum ipso lumine ad Dominum perrexit.

Lux cælitus eum circundat & emittit spiritũ.

Sacratissimum illius corpus insigni pudicitia & sanctitate fœmina, Maximilla nomine senatrix, suorum adiuta solatio, cum omni reuerentia de cruce deposuit; conditumque aromatibus honorificè sepeliuit. AEgeas verò ea re ad indignationem commotus, statuit Maximillam & populum Cæsari deferre: & quæstione habita, de illis quoque supplicium sumere. Qua in re dum furore & amentia plenus occupatus esset, subitò à diabolo arreptus, in medio foro ciuitatis expirauit. Frater autem eius Stratocles Christi fidelis AEgeæ facinus detestans, opes illius omnes bonaque ne attingere quidem voluit, ne illius crimine polluetur, qui Apostolum Domini pecuniæ cupiditate & auaritia occæcatus occidere ausus fuisset. Morte verò AEgeæ tanto timore omnium animi concussi sunt, vt nemo non esset, qui idolorum cultum detestaretur, & supplex ad Christi nomen accederet: cuius diuina potentia, gloriosa ibidem præstantur petentibus beneficia. Cetera de translatione beatissimi huius Apostoli demũ facta Amalphim, in Archiuis illi Ecclesiæ,

Maximilla eius corpus sepelit.

AEgeas Proconsul à dæmone arreptus expirat.

Multi ad Christum conuertuntur.

Vltima trãslatio eius.

siæ rei gestæ monumenta continẽtur. De perẽni autem miraculo scaturientis indè liquoris medici ad curandos morbos, totus penè Christianus orbis est testis: in omnes enim regiones ex eo fonte fluxêre riui. Vnum verò eius brachium à Gregorio Papa cum adhuc diaconus esset Constantinopoli delatum asseruatur Romæ in Ecclesia S. Andreæ ad cliuum Scauri: Caput autem eiusdem ad Aedes sacras eius germani Romam in vaticanum à Pio Secundo delatum decentissimè asseruatur.

Brachium & Caput eius Romæ asseruantur.

DECEMBER.

Vide Tom. 8. Annal. C. Baron.

VITA S. ELIGII NOVIOMENSIS Episcopi; Flandrorum Apostoli nuncupati: Ex ea quæ est à beato Audoeno Rothomagensi Præsule eius æquali conscripta. Migrauit ex humanis anno Domini 665. Vitaliani Papæ 11. sub Clotario Clodouei filio, Francorum Rege.

1. Decem.

Patria & Parentes eius.

SANCTVS Eligius, Lemouice Galliarum vrbe in villa Catalacensi oriundus, parentes habuit ingenuos cumprimis & Christiana religione eximios: patrem Eucherium, matrẽ verò Terrigiam. Quæ cũ filio grauida esset, vidit nocte quadam, secundum quietem insigni pulchritudine aquilam, supra stratum suum volitantem, & semel iterumque ac tertio se inclamãtem. Erat præsagium nascituri filij; quòd præclara aliqua, in vita, polleret virtute, quæ cunctis admirationi futura esset. Igitur natus infans, cui pater Eligij nomen imposuit, antè omnia

Visio matris eius.

omnia magnum ſagacis ingenij præbebat ſpecimen: quem tamen parentes non liberalium artium ſtudijs, ſed Chriſtiana ritè pietate imbutum mechanico operi admouerunt. Erat in vrbe Lemouica aurifaber, Abbo nomine, qui publicam fiſcalis monetæ officinam gerebat; cui eodem artificio inſtituendus traditus Eligius, breui huius officij vſum pleniſſimè eſt aſſecutus.

Proficiſcitur in Franciam.

Intereà poſt aliquot annorum curricula, relicta patria Franciam adijt; vbi in intimam Regis Clotarij, artis ſuæ præſtantia, peruenit notitiam. Volebat enim Rex eò tempore ſellã ſibi auro gemmiſque vrbanè diſtinctam fieri; cuius rei gratia Eligio copioſam auri contulit impenſam, ne quid ad ſummam ſellæ magnificentiam atque ſplendorem deeſſe pateretur. At Eligius admiranda non modò induſtria opus elaborauit, ſed tanta inſuper fide auri laminas extendit, vt non vnam ſed duas affabre factas Regi exhiberet ſellas. Quæ res Regi & ſummæ admirationi fuit, & Eligium adeò acceptum reddidit, vt nihil non eſſet quod Rex illius fidei concreditum vellet.

Conficit Regi duas ſellas ſumma fide & induſtria.

Studia pietatis eius.

Interim Eligius opum & honorum cõtemptor eximius, totum ſe diuinis rebus ſedulò mancipabat; Inediæ & vigiliarum patiens noctes & dies precibus & lachrymis incumbebat; indeſinenter ſolicitus vt ab omni peccati contagione purus Chriſti gratiam vberrimè mereretur. Erat illi in cubiculo ſanctarum reliquiarum magnus theſaurus, quem vnice diligebat; & antè eum totis frequenter noctibus peruigil feruentes Domino preces fundebat:

Supplicat Deo frequẽter antè ſacras reliquias.

& eccè

& eccè nocte quadam cum ſupplex Dominum deprecatus eſſet, vt ſi ſibi accepta eius eſſet pœnitentia, quoquo modo certam dignaretur dare ſignificationem (dictu mirum) viſus illi adſtare ſanctorum aliquis; qui de ſomno eum excitans ait: Eligi, exauditæ ſunt orationes tuę indiciaque eccè olim quæſita nunc tibi cóceſſa. Mox ille excitatus, cum dubitaret, veranè res, an ſomnium eſſet; ilicò admirandum fragrantiæ hauſit odorem, guttas quoque ſuauiſſimas ex gerulo reliquiarum ſuper caput ſuum defluentes ſenſit: quæ fidem fecêre, quempiam ſanctorum præſentem fuiſſe.

Nota miraculum.

Sub id verò tẽpus mortuo Clotario, Dagobert' eius fili' regni ſuſcepit gubernacula, qui Eligiũ nõ minori, quàm pater, & fide & amore complexus eſt. Erat nomen illius non artificij ſolum præſtantia, ſed multò magis ſanctitatis opinione celeberrimũ: ità vt è longinquis regionibus legati ad regiã confluẽtes eius inprimis cõſpectu & colloquio frui vellẽt. Fuit autem ardens in eo benignè faciendi ſtudiũ: ità vt nõ rarò ſe ſuaque omnia oppignoraret, quò debitoribus ſubueniret, & inopiam multorũ ſubleuaret, vel captiuos redimeret. Si fortè à peregrino aut ignoto domi quæſitus nõ inueniretur, ſtatim nõ alio in loco quàm apud pauperũ cœtum inueniendus erat. Et primò quidẽ auro gemmiſque, vt cæteri, ornatus incedebat, vt oſtẽtationẽ vitaret; intrinſecus nihilominus aſpero indutus cilicio: ſed poſtquã ſolidiora pietatis iecit fundamenta, quæ humani fauoris turbinem non extimeſcebant, ilicò cuncta ornamẽta egenis diſtribuit; vilibuſque dein-

Summa eius benignitas in pauperes.

Sub preciosis vestibus gerit cilicium.

deindè vestimentis contectus, & funiculo cinctus pauperũ domicilia benefactor lustrabat: & quidquid à Rege, & principibus obtinebat, id protinùs in egentium eleemosynas expendebat. Erat autem Regi adeò charus, vt verbo, quidquid vellet, ab eo impetraret.

Inter cætera autẽ petijt à Rege villam quãdam in rure Lemouicino, Solemniacum nomine; quam mox in virorum conuertit monasterium; vbi centum & quinquaginta strenuos Christianæ militiæ professores congregauit: reditusque ad vitæ sustentationem necessarios delegauit. Post quæ in vrbe Parisiensi sacrarũ virginum condidit domicilium, trecentarum numero puellarum florens; cui Abbatissam, Auream nomine, Maurini & Quiriæ filiam, præfecit. Quibus actibus sedulò intentum Dominus pro sua misericordia tanta virtute & gratia decorauit, vt laicus adhuc miraculis coruscaret; & modo cæcum, modò claudum sanaret modò exiguo vino multos reficeret; alijsq; id genus virtutibus fulgeret. Nec minor illius erat in curandis animabus industria; vtpotè qui Christianæ eloquentię præstantia florentissimus, & cognitione scripturarũ egregiè instructus, populũ, quocunq; pergeret, euangelicis monitis viã salutis præclarè docebat.

Extruit monasteriũ Solemniacum.

Itẽ Parisiis monasteriũ virginum.

Claret miraculis.

Hisce igitur maximarũ virtutum ornamentis inclytus, cunctisque admirandus, ad Nouiomensis ecclesiæ regimen vocatus fuit: atque ita aurifaber inuitus detonsus, vrbium seu municipiorum custos constituitur; Veromanduensis scilicet; Tornacensis; Nouiomensis & Flandrensis; Gandensis atq; * Corturiacensis; idque

Fit Episcopus.

** Curtracensis.*

idque vel hoc maximè, quòd eius regionis incolæ magna adhuc ex parte gentilitatis errore detinerentur: quos ille populos cælesti alimonia sedulò pascens, omniaque suæ diœcesis loca studiosè peragrans, & verbo & exemplo ad pietatem & fidem adducebat. Et quidem Flandrenses atque Andouerpienses; Frisones quoque & * Sueui; & barbari quique circa maris littora degentes; quos velut in extremis remotos, nullus adhuc prædicationis vomere exarauerat, principio eum hostili animo & aduersa mente exceperunt. Sed vbi eximiæ sanctissimi viri virtutes eis innotuerunt, pars maxima trucis ac barbari populi, relictis idolis, gaudens Christo nomen dedit. Et quidem multoties mors, illius ceruicibus impendés, atrocia quæque ob veritatis assertionem minabatur: quam ille toto desiderio martyrij auidus expetebat, sed nunquam voti compos fieri potuit. Reseruabat enim eum Dominus multorii adhuc saluti necessarium; vtpotè qui postmodum in Nouiomensi oppido, virginum Christi condidit monasterium; & alia multa, tum per se tum per discipulos construxit: in quibus cælestis disciplina egregiè viget. Corpus S. Quintini martyris, aliaque complura, post multam inuestigationem, inuenit. Postremò autem & post multarum virtutum insignia, post miraculorum coruscationes, inter quæ sunt, & cõfractæ diuinitus carcerum seræ, & compeditorum vincula; post multa quoque & varia ab eo veridicè prædicta, annos iam amplius natus septuaginta in Nouiomensi oppido beatum Deo spiritum tradidit: præclarissimis & postea

** Suedi. Flandrenses, Anduerpienses & alios, ad Christi fidē conuertit.*

Fæliciter obit.

posteà vti prius in vita coruſcans miraculis.

VITA S. PETRI COGNOMENTO Chryſologi; Rauennatis Archiepiſcopi: Ex ea quæ eſt per Hieronymum Rubeum l. 2. Hiſtoriarum Rauennatum. Obijt anno Chriſti 449. vel ſequenti, ſub Leone Papa, & Valentiniano Imp.

Vide Tom. 6 Annal. C. Baron. & Not. Martyr. Rom.

2. Decem.

PETRVS Rauennatum antiſtes, cum alijs virtutibus clarus, tum ea potiſſimũ ratione Chryſologus dictus eſt, quod mira ſermonis ſuauitate pollens, aureum ex ſe orationis flumen funderet. Hic ex Foro Cornelij, vbi natus fuiſſe perhibetur, in Archiepiſcopũ Rauennatẽ, non humano fauore vel induſtria, ſed diuina prorſus virtute electus fuit. Cũm enim defuncto Ioanne Rauennatũ Archiepiſcopo, ciues, vt moris erat, antiſtitem ab eis electum Romam ad Xiſtum tertium, Pontificem, vnà cum Cornelio, Fori Cornelij epiſcopo, confirmandum miſiſſent, ferũt Xyſto per quietem Principem apoſtolorum & Apollinarem apparuiſſe, mandaſſeque, vt quem medium ſibi adoleſcentem habebant, Rauennatem Archiepiſcopum, altero illo à Rauennatibus adducto reiecto, crearet. Quapropter cum poſtridie Rauennates adeſſent, Xyſtus primò reiecit quem elegerant: deindè omnes præſtò eſſe iubens, vt quem Petrus & Apollinaris deſignauerant, Archiepiſcopum faceret, cum nominem ex Rauennatibus illius ſimilem fuiſſet conſpicatus, Cornelio epiſcopo mandat, vt ſuos in medium proferat. Eminebat inter cæteros, vitæ innocẽtia ac doctrina Petrus, Cornelij Diaconus. Hunc cum illius ſimilẽ Xyſtus

Petrus quarè dictus ſit Chryſologus. Vbi natus.

Diuinitus fit episcopus.

cognouisset, quem in somno viderat, Archiepiscopum Rauennatibus pręfecit. Id verò illis ægrè ferentibus, rem omnem aperit; vndè tanta reuerentia Petro apud omnes conflata est: vt summa cum gratulatione, quanquam inuitus & non sinè ingenti molestia, primum ab Valentiniano & Galla Placidia, deindè ab omnibus, exciperetur.

Synodus Chalcedonẽsis.

Itaque ad id honoris fastigium euectus, cũ Eutyches Byzantius Abbas factiosorum ope falsam disseminaret doctrinam, qua diuinam Christi naturam cum humana in idem recidisse asseuerabat; & Leo Pontifex, qui Xysto successerat, conuocato trecentorum & sexaginta episcoporum Chalcedonem Cõcilio, eam pestem restinguere niteretur, Petrum Chrysologum iussit ad Concilium aduersus Eutychem scripto decertare. Quod ille adeò luculenter grauiterque & piè præstitit, vt ad hanc vsque ætatem ea scripta viri omnes docti mirentur, & primo loco habeant.

Petrus Chrysologus scribit aduersus Eutychen.

Accessit hoc tempore Rauennã ad Valentinianũ Germanus* Altisiodorensis antistes, eximia vir sanctitate; qui nõ multo post pręuisam iam antè ab se mortem atque pręnunciatã, Rauennæ cum vita commutauit: cuius cadauerà Petro Chrysologo condîtum in Galliam trãsmissum fuit: & Petrus sancti viri cucullam & cilicium, nequid pius hæres ex intestati bonis non possideret, sibi vendicauit. Cum verò hoc tempore, Rauennates ad deorum commentitiorum simulachrum, quos antiquitas, antè partum Virginis errore delusa coluerat, personati Kalend. Ianuarijs, tota vrbe per ludum discur-

** Antisiodorensis.*

S. Germanus Altißiodorensis episcopus Rauennæ moritur: eius vita extat 31. Iulij.

discurrere consuêssent, ipse multis concionibus habitis, eam perniciosam consuetudinem tollere conatus est. *Cultum falsorum deorum tollit.*

Tandem cum imminere sibi extremum vitæ diem diuinitus intelligeret, decimumque iam annum Rauennati Ecclesiæ præfuisset, contulit se ad forum Cornelij vbi diui Cassiani martyris templum ingressus, muneribus tributis, Deum precatus atque ipsum Cassianum martyrem, vt benigne eius animam exciperet: hortatusque Rauennates, qui illum fuerant insecuti, vt in deligendo optimo pastore inuigilarent, nec discederent à diuinis mandatis; placidè ac tranquillè ex hac vita migrauit, quarto nonas Decembris. Sepultus est ibidem iuxtà aram D. Cassiani, vbi & nunc quiescit. Eius tamen brachium auro ac gemmis ornatum, in Vrsiana æde veneramur. Inter alia quæ reliquit doctrinæ monumenta, eius ad populum, conciones, diuino spiritu & eximia pietate religioneque illustres ab omnibus bonis & doctis iudicantur. Communi omnium consensu in Diuos relatus est; eique anniuersarij honores ob id decreti. *Obit fœliciter.* *Canonizatur.*

VITA S. BIRINI DORCESTRIENsis Episcopi: Ex ea quæ est per Gulielmũ Ramesiũ, Ordinis S. Benedicti. Claruit anno Domini Sexcentesimo Trigesimo quinto & sequẽtibus. *Vide C. Baron Not. in Martyr. Rom. & Tom. 8. Annal.* 3. Decem.

S. Birinus à Papa Honorio ad prædicandum verba salutis Anglorum gẽti directus, eiusdemque Pontificis iussu per Asterium Genuensem episcopum antistes con-

Consecratur episcopus ab Asterio Genuensi antistite, iussu Honorij Pap.

secratus, primò ad Britannici freti littus peruenit. Vbi cum nauem ascensurus diuina celebraret mysteria, & sibi suisque salutaris hostiæ viaticum pararet, vixdum peracto sacrificio, vrgente nauigationis articulo, ad nauem festinans introducitur. Cumque prospero venterum flatu alta sulcarent pelagi, Birinus seram præcipuè charam in littore, vndè ascenderat, reliquisse recordatur. Acceperat enim ab Honorio Pontifice, maximi muneris loco pallam, vt vocant; super quam sacratissimum Christi consecrabat corpus; eidemque syndoni sacra mysteria inuoluta atque ex collo suspensa secum deferebat. Igitur ne re sacrosanctis mysterijs valdè necessaria fraudaretur,

In admirandum fidei miraculum.

fide armatus in mare descendit; siccisque pedibus aquas inambulans, recepto quod reliquerat ad nauem regressus est: quæ ad viri sancti reditum constitit immobilis. Eo tam admirando spectaculo nautæ stupefacti, flexis genibus Birinum tanquam Deum quendam venerati sunt; & complures eorum ad Christi fidem conuersi.

Porrò intrante illo Occidentalium Sanorum portum, & Euangelij semina vberrimo cum fructu spargente, annosa quędam mulier, oculorum & aurium beneficio longo tempore priuata, supplex accessit; quam ille Crucis signo repente sanauit. Eo miraculo alijsque plurimis sancti viri auctoritas mirè apud gentem illam crescere cœpit: ita vt dicta eius purgantis auribus auidè exciperent, Christoque sua nomina libenter darent. Cinigilsus ea tempestate regni gubernacula tractabat; qui doctrinæ

Cæcã sanat signo Crucis.

Birini

Birini illustratus & catchesi instructus, baptismate expiatus est: quem Osualdus Nordanhũbrorum Rex de sacrofonte suscipiens, pari studio & pietate in Christianæ fidei religione profecit: eiusque filiam coniugem accepit. Itaque duo illi Reges fidei mysterijs iniati, Birino Dorcestram ciuitatem donauerunt, vt in ea, sede episcopali constituta & confirmata, alijs in circuitu populis Christum annunciaret. Neque passus est vir diuinus vllis se frangi laboribus, sed pari alacritate atque virtute in VVestsaxoniam quoque fidem inuexit. Et hæc quidem tricesimo octauo ab ingressu S. Augustini in Angliam anno cum magna sanctitatis opinione peregit. Anno verò Domini 635. tempore Regis Cinigilsi, regulares apud Dorcestam instituit canonicos, vbi ipse & successores eius viginti & septem episcopi, annis circiter quadringentis & quinquaginta septem fuère: sed Gulielmo Conquæstore regnante, Remigius episcopus eam sedem Lincolniam transtulit. Stephano autem regni gubernacula moderante, Alexander episcopus canonicos regulares Dorcestriæ instituit. Cæterum Birinus sanctitate & miraculis clarus ità è vita excessit, vt cunctis fidelibus magnum sui desiderium cũ multis lachrymis coniunctum relinqueret.

Cinigilsus Rex ab eo conuertitur.

Constituit sedem episcopalẽ Dorcestriæ S. Birinus.

Huius S. Augustini vita extat 26. Maij.

Instituit canonicos regulares.

Episcopi sedes transfertur Lincoliniam.

Obitus S. Viri.

VITA ET CERTAMEN GLORIOSAE

Virginis & Martyris Barbaræ; ex actis, quæ nomine Ioannis Damasceni & Arsenij feruntur; passa est Nicomediæ tepore Maximini Imperatoris qui post Alexādrum regnauit, Anno Christi 237. & sequentibus secundum a sententiam Doctissimi & præstantissimi viri Baronij.

NOBILIS planè virgo & multis virtutib⁹ ac miraculis illustris Barbara* Maximino imperij sceptra tenente, Christiani nominis hoste infensissimo, præclarum pro pietate & Christianæ religionis defensione certamen subijt. Hæc patre Dioscoro Græco homine, nobili quidem viro & diuitijs inclyto, at impio & idolorum cultui vel maximè dedito, nata, ab Origine c sacris literis imbuta fertur. Certè patri filia planè dissimilis, ab ineunte ætate ità se à rerum humilium & caducarum cogitatione abduxit, vt cùm mundi fabricam sæpè intentoque animo consideraret, magnitudineque eius & pulchritudine, animaduersa, perpetuam constantiam & certum rerum ordinem admiraretur, facilè indè perspexit, tanti operis laudem fortunæ ac falsis idolis non esse tribuendā: sed aliquem pręesse, qui hęc omnia fabricatus, summa sapientia moderetur atq; conseruet. Hac cōtemplatione summū rerū opificē colligens, idolorum nefariam superstitionem detestabatur; & cælesti lumine mirifice lustrata, in dies maxima fidei pietatisque augmenta capiebat. Cum autem patri esset vnica, liberali admodum specie & insi-

gni

a *Vide Not. C. Baron. ad Martyr. Rom. & 2. Tom Annal. Quidā enim scribunt eam martyrium subijsse in Tuscia; plerique Heleopolis referūtque eam deprauati nonnulli codices ad tempora Maximiani.* 4. Decem.

* *Metap. & Pet. Galesinius, habent Maximiano.*

c *Teste Baron. in Not. vbi addit, teste Eusebio, lib. 6. cap 4 & 7. quamplurimas mulieres ab eo Christianam fidem edoctas esse.*

gni morum honestate prædita: ne passim formæ eius pulchritudo omnium oculis exposita esset, parens egregiam illi turrim, & habitationi commodissimam ædificauit: in quam virgo inclusa multo ardentius animum suum Christianæ fidei mysterijs excolebat, totosque dies ac noctes de rebus diuinis, de animæ immortalitate, de cælestibus præmijs, de supplicijs æternis, & de caducis huius mundi rebus secum cogitabat. Interea patris animus nobilium quorundam & principum virorum precibus solicitatus, filiæ nuptias suadere conatur: at illa eas constanter reijciens, stultũ fore ducebat, iam semel cælesti sponso dicata, terrenis amplexibus inhiare.

Degit in turri sanctissimè.

Respuit sponsos omnes.

Itaq; pater cum virginis animum eò impellere non posset, statuit longa peregrinatione filiam permouere: ratus eam patris desiderio victam tandem aliquando voluntatem eius amplexuram. At illa cælestibus delicijs mirabiliter inescata abeuntem non lachrymis, vt fieri solet, sed vnica hac petitione prosecuta est, vt fontem, in quo lauari posset, turrim iuxtà ædificari curaret. Nec in eo difficilem se præbuit pater, sed & duas insuper fenestras, quibus lumen exciperet, fieri præcepit. Hoc ædificium, absente patre Barbara contemplata, vt fidei, quam religiosè colebat, posteris monumentum relinqueret, S. Trinitatis exemplar in eo exprimendum curauit. Itaque pro duabus fenestras tres fieri, & labri pauimentum Crucis imagine ornati iussit, sicque magna cum fidei suæ significa-

Lauacrum ei conditur.

tione ædificium illud obscurum & auri simile, sanctimoniæ & spiritûs plenum demonstrauit. Pater reuersus, vt ædificij rationê mutatã vidit, ira excandescens in fabros inuectus est. Fabri culpam in filiam reijcientes veniam deprecati sunt. Filia verò opportunam suæ fidei prædicandæ nacta occasionem, patrem pluribus verbis ad Sacrosanctæ Trinitatis mysterium, & salutarem Christi Iesu fidem hortata est. Qui graui filiæ oratione ad iram & indignationem commotus, stricto ense, vtpote omni impietate imbutus, vnicam filiam furibũdus aggreditur. At illa scelerati patris impetũ miserata, ne se nefaria filię cęde inquinaret, fuga salutẽ quæsiuit: Deiq; ope è periculo liberata ad montem quendam festinè confugit. Ibi tunc contigit res omni admiratione dignissima. Virgo enim simulac ad montem peruenit, saxum ingens mirabiliter se patefaciens fugienti viam aperuit, & suo complexu eam recepit. Quo miraculo nequaquam commotus pater eam ad necem requirere pergit, & indicio pastoris cuiusdam tandem inuenit. Tũ verò omni saxo durior, pedibus in latera eius insultãs, dorsum pugnis fœdè percutit, crinibusq; raptatã via aspera ac difficili trahit. His cruciatibus tenera virgo nihil à Christianæ fidei proposito remota in tetrum includitur carcerem: vbi passis in cælum manibus à Christo sponso suo, cuius desiderio tenebatur, auxilium implorare non destitit.

Patri fidem suã explicat.

Pater vertitur in tyrannum crudelẽ.

Magno miraculo euadit mortem.

Crudeliter eam cædit Pater.

Mittitur in carcerem.

Quam eius constantiam pater ægrè ferens, vehementiori ira exardescens, eã Præsidi prouinciæ Martiano tradidit, vt eã exquisitis tormentis,

Præsidi Martiano cruciandã tradi-tur

mentis, nisi repudiata Christiana fide patrium deorum cultum suscipere velit, crudeliter discerpat. Præses autem nè ira aut perturbatione vlla commotus videretur, primùm verborum blanditijs & laudum illecebris virginem attentat: positisque ob oculos eius pulchritudine, generis splendore, paternis opibus, rebusque alijs, quibus ad fallendum armis satanas vti cõsueuit, obnixè eam rogauit, vt benè monenti pareret, paternamque religionem tempore & legibus confirmatam amplecteretur. Ad ea virgo graui ac pia oratione ità respondit, vt Præses facilè intelligere posset, eam terrena omnia respuere ac pro nihilo putare: solaque cælestia ac sempiterna toto animo appetere. Quinimò voce, vultu, & animo constanti ac libero sanctam Iesu Christi fidem cõfessa, Præsidem, qui malitiosis blanditijs idolorum impietatem ei suadere conabatur, vehementer reprehendit.

Præses et blanditur.

Nihil profit.

Præses igitur cum blanditijs virginem ad falsum idolorum cultum allicere non posset, deposita omni simulatione, vultu tristi ac seuero, tormenta expedire iubet: sperans eo terrore virginis constantiam ilicò casuram. Itaque vestimentis spoliata, neruis bubulis atrociter cæditur, & inflicta vulnera, quo acrior ei dolor inureretur, cilicio perfricantur. Illa verò his cruciamentis non fracta, neque debilitata, Christi nomen perpetuis laudibus celebrabat: prorsus vt Præses animi eius constantiam vehementer admiratus, in carcerem eam recipi iuberet. Recepta in custodiam, media nocte carcer clarissima luce collustratur: sese-

Cæditur flagellis nuda virgo.

Recipitur in carcerem.

Christus in carcere eam confirmat & integrè sanat.

Iuliana mulier martyri se associat.

Constanter respondet Præsidi.

Dirissimè cruciatur.

que Rex gloriæ Dominus ei in conspectũ dãs, præsentem eius dolorem est cõsolatus: vulneraque, quæ ei grauia sanè inflicta fuerant, integrè sanauit. Quo miraculo Iuliana religiosa admodum matrona excitata in idẽ certamen, quod forti inuictoque animo barbara virgo sustinebat, se spontè coniecit.

Cæterùm gloriosa Martyr tam admirabili Christi beneficio animata, cruciatus vel grauissimos nihil extimescens, postridiè eius diei in iudicium adducta ingentem Præsidi admirationem commouit. Qui impia mẽte tantum beneficium idolis suis asscribens: Vides, inquit puella, quantam dij tui curã gerant, qui te verberibus grauiter cæsam, & plagis liuidam, repentè sanarunt. Est igitur, cur illis & gratiam referas, & cultum tribuas, quorum singulari beneficio incolumis & salua es. At illa tantam sacrilegi impietatem non ferens, summa voce & orationis grauitate respondens: Dij tui, inquit, nullo planè sensu præditi nihil horũ præstare queunt; sed est Christus Iesus qui me sani restituit: quem tu impietatis tuæ tenebris occæcatus videre non potes.

Hac oratione Præses vehementius cõmotus, virginem ferreis vnguibus dilaniari, eius lateribus faces accẽsas admoueri, tum denùm caput malleolis quibusdam pertundi iubet. Illa verò sublatis in cęlum oculis: Domine, inquit, qui scrutator es cordium, nosti quanto tui desiderio tenear: nè me derelinquas, quæso, vsque in finem. Strenua igitur Christi martyr Barbara cum iterùm grauissimis supplicijs torqueretur cælesti auxilio confortata, ea omnia in-

uicto

ricto robore perferebat. At Iuliana cùm teterrimos, quibus illa afficiebatur, cruciatus cerneret, non potuit lachrymas & gemitus continere: spiritu tamen Christi roborata fortissimam athletam in his lamentis ad fidei constantiam cohortari non destitit. Quod cùm Præses animaduerteret furore & amentia æstuans, ijsdem ipsam tormentis subiecit. Itaque vni & item alteri, ad grauiorem sexui inurēdam contumeliam, vbera pręcidi, præcisisque vberibus nudam vtramque, direptis vestib. per loca publica passim deduci iussit. Hem crudelis & impia mens. Num vllum aliud commentum hoc scelere fœdius excogitari potuit? num aliud cōtumeliæ genus tam insigne ad muliebris sexus infamiam? At illæ, gratijs omnipotenti Deo actis, in Christi bonitate spe futuræ retributionis exultabant: fędeque per omnes vrbis partes perductæ, postremò capitis damnatæ ad martyrij palmam incredibili cum gaudio properabant.

Iuliana eam confortans, fit socia pœnarum horribilium.

Vbera earū excinduntur

Graue sanè supplicium pro castissimis virginibus.

At verò pater omnis humanitatis expers, cū tanta alacritate filiā ad vltimi certaminis locum tendere cerneret, furibunda mēte in eam inuectus, ipse ꝑ se triste inprimis expleuit ministerium: filiamque vnicā, cunctis animi corporisq; dotibus ornatissimam, capite trūcauit. Cuius feram crudelitatem non diu tulit impunem diuina iustitia: nam statim eodē in loco, quo filiæ caput absciderat, iactis de cælo fulminib. ambustus animam expirauit. Libet autem hic vnum omni admiratione dignū attexere miraculum: ꝙ anno humanę Salutis millesimo quadringentesimo quadragesimo octauo, meri-

Pater eam interficit.

Fulmine propterea perit.

meritis sanctissimæ huius martyris contigisse certò comprobatur.

Scribit hoc miraculum Theodoric⁹ Pauli: qui præsens interfuit.

Degebat in Gorcomensi oppido Hollandiæ lanius quidam, pius non minùs quàm diues, Henricus Kock nomine: cui ex agro forensi deunti hæc accidit calamitas. Siquidem nocte, qua diui Augustini memoria festiuo gaudio recolitur, cùm rurali fatigatus labore, quietiori somno complecteretur, candela ardens in stramina decidit, flammasque adeò vehementes excitauit, vt tota domus incendio conflagraret. Euigilans verò Henricus ægrè admodùm cum filio Andrea incendium euasit. Verùm corpore liberatus, pro pecuniæ amissione vehementer solicitus, non dubitauit iterùm sese furentibus obijcere flammis. Itaque Crucis signo munitus in domum pedem intulit, quæ collucentibus vndique flammis penè vastata antè super eum corruit, quàm ad conclaue, vbi nummi reconditi iacebant, peruenisset. Hinc cùm certa iam mors instaret, tametsi vrentibus flammis grauiter torqueretur, maiori tamen dolore cruciabatur, quod Ecclesiasticis destitutus sacramentis è vita migraret. Ea propter desperata corporis salute, cùm vndique se angustijs cinctũ animaduerteret, ad diuam Barbaram, quam diebus singulis singulari deuotione venerari consueuerat, suppliciter confugit, dicens: Barbara martyr Christi sanctissima, succurre misero & in peccatis moriente. Deprecare Dominum nè de corpore meo anima egrediatur, nisi confessionis sacramento antè purgata, & saluifico viatico præmunita.

Henrici cuiusdam Lanij infortunium.

Inuocat S. Barbaram in medijs flãmis Henricus præfatus.

Vix orationẽ finierat, & eccè virgo eo schemate,

mate, quo in templo picta habebatur adesse visa furentes ignium globos pallio suo restingués, supplicem suum per tectum stramineum eduxit, atque tuto in loco statuens sic allocuta est: Quia diuinam per meum patrocinium implorasti opem, meo scias interuẽtu vitam tibi ad auroram vsque prorogatam; quo viuendi spatio, Confessionis, Eucharistiæ, atq; Extremæ vnctionis sacramenta recipias. His dictis sanctissima virgo disparuit: & Henricus toto corpore adustus, ad filiæ suæ Dietuerdæ, quæ viro honorabili Neudoni dudùm nupserat, domũ solus perrexit. Nulla erat in toto hominis corpore sanitas: ità vt assati cadaueris speciẽ magis quàm hominis præ se ferret. Verenda eius ignis edax absumpserat, adeò vt hiãtibus in inguine vulneribus etiam exta nudarentur cremata. Nates & clunes flamma vorauerat: præcordia, venter, pectus, ascellæ, collum ac scapulæ non modò adusta, sed inflexibilia & ferri instar rigida erant. Denique à vertice capitis capilli cum carnibus defluentes, & ossa nudantes, in genis hærebant: & antequàm ad filiæ suæ domùm veniret arentes pedicæ inter eundum à corpore eius decidentes combustionis pariter ac miraculi euidens testimonium præbebant. Quid multis? Nihil in eo cernebatur præter admirabile horrendumque cunctis simulachrum; cui tamen in mortuo atque cremato corpore, ne sacramentorum expers moreretur, vita seruabatur.

Eripitur à S. Barbara è medijs igniũ globis.

En rem superadmirabilem in homine igne penè consumpto.

Cùm autem per ciuitatem stupendi huius miraculi rumor percrebuisset, plures ad spectaculum hoc mirabile cadaueris, vt ita dixerim

rim, morituri, quàm ad restinguendum ignem confluebant. Idcircò vt maius fieret miraculum, confortatus à Deo Henricus, perinde ac sanus & incolumis populo aduentanti praedicabat. Hortabatur omnes ad terrenorum contemptum cælestium q; amorem: atq; vt Deum in cunctis eius operibus laudarẽt, & in sanctis suis verè mirabilem honorarent oẽs admonebat. Multis deindè astruebat sanctissimæ virginis & martyris Barbaræ interuentu, & meritis gloriosis, præsens hoc longioris vitæ beneficium se obtinere. Hæc enim, inquit, vt ipsi cernitis oculis vestris, honorantibus se sacramento confessionis & Eucharistię antè mortem impetrat. Ad hæc miraculi huius in se facti narratione ordinem, postremò addebat, illucescẽte aurora quantocyus in testimonium veritatis è hoc saeculo se migraturum. Et nè quis de miraculi adhuc veritate dubitaret, aut quod diuinæ esset miserationis, naturæ aut fortunæ adscriberet, rogabat honestissimos quosq; vtriusque sexus senes, vt accederent, & exploratis visu, tactu, probatis singulis, & membris & locis, discerent non virtutis humanæ quòd viueret, sed potestatis esse diuinæ. Igitur multi humana curiositate permoti, cum omnia lustrassent, Dei omnipotentiam & sanctæ Barbaræ merita benedixerunt.

Meritis S. Barbaræ cõseruat Henricus.

His ità peractis, cum omnium peccatorum suorum ab infantia confessionem fecisset, sumptis sacramentis, sanctam Barbaram diuumq; Laurentium in patrocinium inuocauit: omniumque deindè sanctorum se precibus cõmendans, peccatorum suorum veniam assiduò à Chri-

En Confessionem generalem.

En quos habuerit speciales patronos.

Christo precabatur. Postremò sonora voce, Domine, inquit, IESV Christe misericordissime Deus, qui me in ara Crucis preciosissimo sanguine & acerbissima morte redemisti, miserere mei: Eccè in manus tuas commendo spiritum meum. Hæc dicens emisit spiritum. His ego Theodoricus Pauli de Gorcum quia interfui, & prædicti Henrici confessionem quater audiui; sacramenta administraui: vulnera eius ac membra tractaui: tractandaque alijs obtuli; ipsum præterea inter brachia mea morientem tenui: non potui tam glorioso miraculo testimonium non præstare, & hæc ad Dei gloriam scribere.

Tandem moritur Sacramentis munitus.

En quàm sit fide dignus qui hæc scripsit.

VITA S. ANNONIS ARCHIEPISCOPI Coloniensis: Ex ea quæ syncerissimè, tribus libris apud V. P. Lauren. Surium conscripta habetur. Migrauit ex humanis anno Domini 1075 Sedis suæ anno 21. In virum hunc sanctissimum ecclesiasticæ libertatis vindicem & propugnatorem, olim declamarunt schismatici: obstrepuntque nunc hæretici Magdeburgenses Centuriatores: Sed eorum calumniæ à Mariano Scoto, & Lamberto, & hisce actis fidelissimis refutantur.

Vide C. Baron. in Not. ad Martyr. Roman.

ANNO, generis & patriæ suæ decus, sideribus ipsis meritis altior, ex Alemannorum populis duxit originem. Pater eius VValterius, mater Eugela: ambo studio religionis insignes, ex ingenuis ingenui, nobilitate animorum magis quàm corporum conspicui. Horum

4. Decem.

Patria & parètes eius.

Horum in filios & filias fusa fęcunditas, cùm inclytam satis posteritatis suæ produxerit familiam, tum filium hũc Annonem moribus, ingenio, formaque cæteris præstantiorẽ edidit, qui oculis cunctorum gratiosus, ipsum intimis parentem summo gaudio cumulabat. Verò pater, licet pietate in Deum præstans intueretur filium tamen generosa admodùm indole præditum, per militaria exercitia mundo nutrire, & ad summos quosque honores euehere decreuit. Itaque pius puer militaribus parente studijs adhibitus, dum crebras inedias algoris, æstus, ac vigiliarum patitur asperitates, fortitudinem moralium disciplinarum didicit nobilissimam: quæ futuræ constructioni antè omnia in eo necessaria videbatur. Interea eius auunculus Babinbergensis ecclesiæ canonicus, patriam, propinquos, & notos inuisens, vbi conscius esse cępit paterni erga Annonem consilij, ægrè ferens tam ægregiæ indolis infantiam mundanis consecrari negotijs, explorata prius pueri volũtate, clandestinam eĩ persuasit fugam: hortans vt abiectis impedimentis domesticis, excellentes ingenij vires in spem & gloriam totius generis sui, non modò temporalibus, sed & æternis in cælo commodis & dignitatibus amplificaret. Quid plura? Puer monitis hisce stimulatus redeunt. Babenbergum auunculo clàm se socium adiunxit: & animum in Babinbergẽsium schola (quæ tunc temporis disciplinæ, religionis ac studij feruore florebat) ad literarum disciplinas appulit. Vbi per incrementa temporum mirificos in humanarum diuinarumque rerum cognitio-

Anno puer militaribus studijs adhibetur.

Auunculus eius persuadet ei vt fiat clericus.

Mirè proficit in litteris.

gnitione faciens processus, ingenium pariter & mores egregiè nobilitauit.

Itaque suis ipse profectibus magisterij honore decoratus, cùm indies probitatis suæ & virtutum ramos per ora multorum longè lateque extenderet, Henricus tertius Romanorũ Augustus eum in palatium assumpsit: vbi breui primum gratiæ & familiaritatis locum obtinuit. Erat enim vel eo solùm nomine Imperatori gratissimus, quòd iusti ac recti admodum tenax in omnibus causis, pro suo tum statu, non adulando, vt cæteri, sed magna cum libertate obloquendo, iustitiæ patrocinaretur. Denique exactis in palatio haud multis annis, magna Imperatoris, magna omnium, qui eum nouerãt, expectatione, adeptus est Agrippinæ, quæ & Colonia, nobilem sedẽ: Hermanno nominis huius præsule secundo, paucos antè dies ex hac luce subtracto. Quem gradũ Ecclesiæ, anno Dominicæ incarnationis 1055. adeptus, haud sanè imparem se acceptæ dignitati deinceps gessit: prorsus vt sicut editioris loci insignibus, ita cunctis virtutum generibus inter cęteros regni principes conspicuus incederet. Pernoctabat plerunque in orationibus; & per ecclesias paucis ac certis comitibus, interdum vno tantùm puero contentus, discurrens nudis pedibus, nonnunquam etiam cilicio ad carnẽ indutus, flens procedebat. Et diem quidem in publicis & priuatis negocijs, noctem verò totam in Dei opere expendebat. Nam tũc peccata confessione & lachrymis expiare, & inferioris personæ manibus flagellis cędi, tantis pontifex non erubuit. Perlustrabat verò

Ab Henrico 3. Imperatore in palatiũ assciscitur.

Fit Coloniẽsis episcopus, anno Dominicæ 1055.

Studia eximiæ pietatis eius.

omnem episcopatus sui parochiam homines-
que fidei, ac totius penè religionis ignaros, so-
lo autem nomine Christianos, assiduis prædi-
cationibus ad Catholicæ pietatis cultum in-
formabat: habens hoc insigne meritorum
suorum indicium, quòd quoties prædicaturus
in publicum processisset, subitò multis la-
chrymis immadesceret: quò factum est vt ne-
mo vel saxei cordis, Annonem in ecclesia
loquentem audiens, se à lachrymis tempera-
ret.

Assiduus in concionibus.

Gratia lachrymarum.

Pauperum, peregrinorum, & infirmorũ pri-
ma illi & perpes erat solicitudo. Illucescente
enim primo surgẽtis diei crepusculo, tum tu-
ba egenorum, velut apum examen vndecunq;
conuolaret, sufficientia alimenta hora statura
percepturi: ipse miserrimos quosque numero
viginti quatuor seorsum congregabat; ante
quorum pedes humillimè procumbẽs, eos la-
uit ac tersit; osculum oris & cordis impressit;
manibus singulorum aquam infudit: simulque
cum cibo & potu vnicuique etiam nummum
porrexit. Iam verò imminente hora & necessi-
tate, vbi & ipse consedit ad mensam: more so-
lito, quotquot superuenerant, introducebam-
tur antè eum ad cõuescendum peregrini. Tum
ex singulis, quæ mensæ erant imposita, partem
propè decimam colligens, pro reficiendis hàc
& illàc per vrbem ægrotis, in locum vnum se-
parauit. Postremò mensa submota, surrexit, ve-
rè pater orphanorum, verè iudex viduarum, &
tanquam diceret: Sinite paruulos venire ad
me, talium est regnum cælorum, acclinans se,
manu propria cibauit pupillos: refecit orpha-
nos;

Summa illius benignitas in pauperes & egregia humilitas.

Matth. 19.

nos;aluit filios pauperum:delicatioribus escis ex mensa per seipsum in hoc reseruatis. Cùm autē ergà cūctos inopes mirè esset misericors, tum pauperculas & earum infantulos speciali quadam miseratione fouebat. Non rarò puerulos exesos & seminudos, quos nec oculis dignos quis arbitraretur, ipse cū lachrymis amplectens materna vice exosculabatur. Cæterū hisce quotidianis benignè faciendi studijs minimè contentus, xenodochium insuper Coloniæ construxit:tutissimum languidis, debilibus,& omni solatio destitutis refugium: quod sufficientibus ad eorum subsidia stipendijs ditauit.

Xenodochiū Coloniæ condit.

At verò cum laxatis disciplinarum habenis per omnes diœcesis suæ congregationes Clerum partim pro vitæ necessitatib^a, partim pro mundi cupiditatibus extra vagari doleret, ilicò huic quoque malo medicam manum adhibuit:nullisq; sumptib. pepercit, vt Christo semel consecratos solis cælestibus deseruire faceret. Atq; vt diuinarum rerū cultum quā maximè amplificaret, quinque monasteriorum structuras ab ipsis fundamentorum initijs ad culmen perduxit. In ijs primum locū obtinet, quod dicitur, ad Gradus, Virgini Matri sacrū: quod omni decore & elegantia distinctum consecrauit:prædijsque ad sustentationem triginta Canonicorum copiosè ditauit. Deindè S.Georgij ecclesiam* extra vrbis murum construxit, annuisque redditibus locupletauit: Post hæc cùm animo die noctéque volueret, vt præclarius adhuc quoddam Deo domicilium extrueret, manè quodam in beat Petri

Construit quinq; monasteria.

Monasteriū ad Gradus Mariæ, hodie Canonicorum collegium.

** Hodiè intra murum est.*

Monetur à quodã ignoto sene vt monasterium in Sigeberg cõstruat.

residens, à superueniente quodam sene est admonitus, vt monasterium in monte, qui à praeterfluente fluuio Sigeberg cognominatur, in quiei suæ locum conderet.

Excommunicat Comitẽ Palatinum Henricum.

Per id tempus Palatinus Comes Henricus, vir secularis potentiæ & gloriæ, diœcesim cædibus, rapinis, & incendijs vastabat; montisque Sigebergensis præsidio fretus, episcopi copias contemnebat. Vndè antistes hominem anathematis sententia feriens, tandem ad satisfactionem Coloniam pertraxit. Qui iusto admissi sceleris dolore perculsus, supplexq; beato Antistiti factus, pro accepto communionis & indulgentiæ beneficio, B. Petro montem Sigebergensem dono contradidit. Quæ res acrem inprimis beato Pontifici stimulos addidit, vt diu desideratum omni alacritate perficeret negocium. Accedebat cæleste quoddam præsagium signi Crucis in monte illo per noctem visi: quod multo magis virum sanctũ impulit, vt sinè mora opus inchoaret. Itaq; diuersis vallatus artificibus eò se contulit, templumq; ad culmen breui temporis spatio perductum anno 1066. nomini S. Michaelis Archãgeli in honorem omnium cælestium Virtutum, sub patrocinio gloriosi Ducis Mauricij sociorumque eius cõsecrauit: pclaris priuilegijs ei attributis. Intereà contigit virum beatissimũ Reipublicæ causa Romam proficisci. Vbi cùm non nullas regiones peragraret, Principes eius regni, nè à Rege deficerent, suis exhortationibus cõfortaturus, fortè ad monasterium quoddam, cui Fructuaria nomen est, diuertit. Quo in loco admiratus & ordinẽ disciplinæ, & mo-

Construit Abbatiam Sigebergensem.

Ex Italia adducit monachos in Sigeberg.

rum

tum honestatem, duodecim ex eis in opere Dei probatissimos secũ rediẽs abduxit monachos, & eos ad tradendum Gallijs eiusdem disciplinæ formulam in Sigeberg constituit.

Porrò Rege grauissimis sæpenumerò dissidens inimicitijs, quòd ea, quæ in regno præter iustitiæ rationem gerebantur, vehementer detestaretur, & acerrimè impugnaret, multis sæpenumerò oneratus contumelijs eijciebatur. At ille in precibus Sigebergensium posita sæpè fiducia, ad Regem pergebat intrepidus, tanta morum grauitate & prudentia ornatus, vt Rex qui paulò antè necem, vltimumque, si copia fieret, exterminium Annoni & omnibus, quæ eius essent, minabatur, eo conspecto, reuerenter assurgeret & pacis osculum summa cũ dilectione porrigeret. Inerat autem viro sancto tanta monastici ordinis veneratio, vt duas adhuc monachorum congregationes superioribus adderet; vnam in VVestphalorum regione, loco qui Grafcaf dicitur; alteram in Turingorum & Sclauorum confinio: qui locus Saleuelt appellatur: quarum prior Alexãdro martyri, sequens Apostolorum principi consecrata fuit.

Quanta à Rege perpessus.

Efficacia precum monachorum.

Alia duo extruit monasteria.

Cùm autem diuitijs & gloria cunctos in regno præcederet, tanto tamen benefaciẽdi pauperibus studio tenebatur, vt sæpè nec nummũ nec nummi precium sub sui iuris custodia haberet. Exstãt eius innumerabiles pro Ecclesia sudores; & preclara sanè miracula, quæ per eũ Deus præstitit, plurima: quorum singula quia longum nimis foret referre, illis pretermissis, tãtùm prosequemur grauissimas illas tẽpestates,

Omnia sua pauperibus largitur.

Miraculis floruit.

tes, quibus in vita iactatus, constanter semper iustitiæ & ecclesiasticę libertatis patrocinium retinuit. Et primò quidem postquàm Sigebergensis mons ditioni S. Petri, beneficio Palatini Comitis, vt diximus, cessisset, idem magnæ tyrannidis vir, quasi sopito peruersitatis igne, Gorziam venit: vbi deposito pompæ secularis cingulo, monasticæ paupertatis habitum sumpsit. Sed paulò pòst cælestium disciplinarum planè pertæsus, amplexus coniugales resque familiares, per fas perque nefas, votifragus repetijt. Indè exosos habens omnes Dei seruos, bella mouit: seditiones concitauit: & ad suæ perditionis cumulum, ad extinguendum nomẽ celeberrimi tunc Pontificis Annonis Agrippinensem vrbem, post rapinas & incendia, post cædes & detruncationes plurimorum, hostiliter aggressus est. Interim sacer Pontifex intrinsecus cilicio tectus, minori pro se, maxima verò pro cõmmisso sibi grege solicitudine æstuans, solis ieiunijs & precibus contrà perfidum certamen suscepit. Iamque futurus quasi præsens timebatur hostis: cùm eccè beato Annone cum sacerdotibus & populo in preces incumbente, & versiculum illum Psalmi 34. Veniat illi laqueus quem ignorat, semel iterumque repetente, paucis pòst diebus, Comes, inaudito seculis furore, vxorẽ suam (cuius mortifera dulcedine captus suaue Christi iugum excusserat) proprijs manibus interficit. Nam præfectis militum, aciem foris ad futuram, quæ sperabatur, cum episcopo congressionem instruentibus, ipse in cubiculo iuxta suæ cupidinis sociam residens, irascente Domino, nec diu-

Comes Palatinus fit monachus.

Deserit monasterium, & vastat ditionem S. Annonis.

Vide quibus armis S. Anno ei resistat.

Palatinus suam vxorẽ interficit.

diutiùs calamitates innocentiũ sustinente, in amentiam versus est: ac mox dependentem arripiens bipennem, dilectæ coniugis Adelheidis caput ferieus ampurauit: cursuque fores egressus, plausu manuum & cachinno, quid egisset, insanientis, vt erat, more exposuit. Exhorruit ad tam triste piaculum omnis ætas: cunctisque ad propria recedentibus, ipse princeps & auctor sedirionis captus, vinculisque à suis constrictus, quamdiù superuixit furiosus & impos sui mansit, proprijsque calamitatibus contentus, in alienam cladem ampliùs grassandi, nec copiam nec voluntatem habuit. Pace igitur patriæ restituta, sacer Antistes cũ in alijs pietatis officijs, tũ in perquirendis & honorãdis Sanctorũ Reliquijs assiduus erat. Ab Agaunensib⁹ corpus S. Innocẽtij Martyris Thebæi, vna cum capite S. Vitalis impetrauit: ac in Sigebergense Cœnobiũ intulit. Brachiũ S. Cæsarij Martyris, q̃ Roma detulerat, in Ecclesia S. Iacobi, quam à fundamentis cõstruxerat, deposuit. S. Agilolfi corpus Malmũdaria Coloniam in Mariæ ad Gradus transtulit.

Mente capitur.

Vide iudicia Dei & ira.

Porrò pius Dominus, qui quos amat arguit, & castigat, hunc quoque dilectum sibi famulum, alijs ijsque grauioribus incommodis exercuit: vt scilicet ab omni scoria terrenę conuersationis, camino trãsitoriæ tribulationis excoctus, tanquã aurum purissimum in cæleste regnum transferretur.

Apocal. 3.

Primùm moto Saxonico bello, tẽpestas grauissimæ persecutionis fratrem eius VVesselum Magdeburgensem Archiepiscopum, & consobrinum eius Bucconem Halberstedensem

ſem Antiſtitem inuoluit. Cótra quos, cùm Regi totius Saxonicæ gentis excidium ſpiranti opem ſatis alacriter ferre recuſaret, naturæ profectò legibus inhibitus, inuiſus ei & ſuſpectus redditus, periurij ac perfidię inſimulatur. Hinc eum inter & Regem diſcordijs quotidiè incrementa accipientibus, ciues quoque Colonienſes, quibus paulò antè vnice charus acceptusq; fuerat, ad necem ei inferendam (prò dolor) ſolicitantur. Nec mora: Populus œſtro furoris cócitatus, quadam vice, telis armisq; quęcunq; ſors obtulerat inſtructus, ad aulam ruũt Archiepiſcopi; & in eum cum Monaſterienſi antiſtite fortè cęnantem furoris ſui tela cótorquent: ſaxa iaciunt: nonnullos ex aſſiſtentibus interimunt: cæteros plagis & vulneribus confectos in fugam vertunt. Deniq; Archiepiſcopum ex eorum manibus vix fuga elapſum & in ædes ſacra D. Petri ſe occultantem arctiſſimè obſidẽt: ferrum ei flammamque & atrociſſima quæque minitantes. Sed vir diuinus per poſticum quẽdam noctu egreſſus, furibundas eorum minas eluſit: Nuſſiamque veniens, populorum animos tam inſigni accepta calamitate ad iuſtum adeò dolorem prouocauit, vt mox per quatuor vel quinque milliaria ad arma conclamarent, multaque hominum millia dicto citius in vnum conglobata epiſcopum ad ciuitatem quãtocius recuperandam vi impellerent. Quò factum eſt, vt quarto dein à fuga ſua die, magno vallatus agmine ad vrbem accederet, eamque, populo iam ſupplice facto, recuperaret. Cumque toto triduo vir humaniſſimus & iniuriarum omnium oblitus, aliquod ſatisfactionis genus

Ciues Coloniẽſes mortẽ ei machinantur.

Fuga euadit mortem & Nuſſiam venit.

Redit Coloniam.

genus à rebellibus expectaret, neque tamen quisquam omninò compareret, milites eius præda inescati, inscio planè antistite & vindictam omnem detestante, arma rapiunt; domos incursant; possessiones diripiunt; occurrantes partim sternunt, partim captos in vincula conijciunt; & prorsus multo ferocius, quam tanti pontificis existimationi competeret, iustæ vltionis negocium exequuntur.

Sunt qui calumniantur summa Episcopi voluntate hæc facta esse, sed falsum planè est: quemadmodum latius scribit Lambertus Shafnaburgensis.

Post hæc nouæ rursus ab ipso Imperatore inimicitiæ excitatæ, grauiora ei minabantur: ni sua prudentia & vitæ meritis nascenti malo occurrisset. Cum enim Imperator celebrata solennitate Paschali in Babinberg, Ratisponã cogitaret, mox fictæ legationis adsunt nuncij, qui calumniabantur* Gulielmum cognomento Bastardum Anglorum Regem ab Archiepiscopo Coloniensi vana pollicitatione illectum, cum maguo exercitu aduentare; regni sedem Aquisgrani occupare paratum. Territus tam atroci nuncio Rex, spirans irarum & comminationis in Archiepiscopum, Coloniã ire instituit: sed Anno missis in occursum eius nunciis mandauit falsam omninò & scenicis figmentis similem esse fabulam, quam in eum æmuli sui composuissent. Impetrata dein per legatos coram veniendi copia, intẽtatum proditæ reipublicæ crimen in villa Andernaco sacramento purgauit. Verumenimuerò non extincto sed cohibito tantum furore, Imperator Coloniam processit; sperans fore vt seditione concitata eum rursus ciuitate exturbaret, vel propter oppressos per calumniam innocentes, saltem reum Maiestatis faceret. Sed

** Vilhelmum.*

Falso accusatur apud Imperatorẽ S. Anno.

Purgat se per legatos S. Anno.

Imperator Coloniam venit, vt quoquomodo Annonem exturbet.

ille omnes accusationum strophas respósi veritate ac sententiarum grauitate, tãquam arnearum telas dirupit. Postquam verò Rex innocentia eius ac vitæ integritate, cõsilijs quoque omnia septa vidit, nec vllum patere caliniæ locum, ad aliud se vertit genus iniuriarũ. Exegit ab eo, non precibus quidẽ (vt oportuit) sed imperiosa quadam auctoritate, vt Coloniensibus admissæ in se temeritatis veniã daret, excommunicatosque Ecclesiæ reconciliaret: prætereà vt ad firmamentum conseruandę erga se in perpetuũ fidei, sex sibi ex militibus suis obsides daret. Vtrumque ille cum magna constantia negauit; obsides quidem, quod nullus Regum priorum tale quid ab aliquo prædecessore suo postulasset: excommunicatorũ autem reconciliãtionem; quòd sine digna satisfactione excommunicatos in Ecclesiam recipi, leges Ecclesiasticæ vetarent. Imminebat ille vehementer, minis terribilibus episcopi constantiam infringere tentans: sed Antistes eximius Ecclesiasticæ libertatis vindex, fixus in proposito vitam sibi eripi posse, iusticiam verò non posse respondebat.

Annonis in tuenda libertate Ecclesiastica constantia.

Ceterum vir beatus cæcorum illuminatione, prophetiæ spiritu, alijsque miraculorum signis admodum clarus, tandem pluribus alijs grauissimis tribulationibus velut in camino ad purum excoctus, anno Saluatoris 1075. episcopatûs sui 21. pridie Nonas Decembris, è vita præsenti ad immortalem gloriam fœliciter migrauit: cuius venerandum corpus non tam funus quam cæleste munus Colonia in protectionem filiorumque suorum sanctificationẽ diebus

Fœliciter è vita decedit 6. Anno.

Vide quanta veneratione Coloniensis

diebus sex solenniter circunduxit, & septimo tandem die cum ingenti comitatu tam honorificè quam luctuosè ad montem Sigebergensem ex Antistitis ipsius voluntate transmisit; vbi & eximijs vt prius passim in vita floruit miraculis: hoc insigni decoratus Epitaphio.

defuncti corpus prosecuti sint.

Transfertur ad montem Sigebersem.

Patribus egregijs ornata Colonia multis:
Ecclesiæ speculum misit ad hunc tumulum.
Emicuit mundo noua lux Annone secundo:
Qui per cuncta suo par erat officio.
Mensibus hoc denis, annis actoq; vicenis:
Quarta Decembris eum lux tulit è medio.

Epitaphium eius.

VITA S. SABAE ABBATIS: EX EA quæ est per Cyrillum monachũ, æquè sanctitate clarum: Obijt anno Domini quingentesimo trigesimo primo, AEtatis suæ nonagesimo secundo Iustiniani Imp. 5. Ioannis verò Pap. 1.

Vide Tom. 7. C. Baron. vbi quædam emẽdat quæ in Notat. Martyr. Rom. dixit. 5. Decem.

SABAS magnus planè vir & ineffabili Dei amore incẽsus, è Cappadocia in vico Mutalasca oriundus, parentes habuit Ioannẽ & Sophiam, ambos genere & pietate claros. Natus autem decimoseptimo consulatu Theodosij, cum quintum ætatis ageret annũ, parentibus, eius Alexandriam necessario cõmigrantibus, ipse diuina prouidentia Hermiæ auunculo relictus fuit: cuius vxor mulier impudẽs & morosa, cum frequentes adolescenti molestias excitaret, auunculo relicto ad patruum suum Gregorium confugit: qui eum omni quidem humanitatis officio excepit, tractauitque benignè; sed orta mox inter patruum & auun-

Patria & parẽtes eius.

Affligitur ab vxore auunculi sui adhuc puer.

& auũculum eam ob rem dissensione, graviore quam antè, pius adolescens animi ægritudine conflictari cœpit. Vndè arrepta occasione philosophico medicamine dolori suo medendi, statuit cunctis opibus mundique delicijs valere iussis, cælesti se totum tradere disciplinæ, & angelicam in humano corpore quietem æmulari. Nec mora: Patria cognatis, diuitijs, rebusque alijs, quæ maximè adolescentium animos delinire solent, relictis, ad monasterium Flauianæ, tutissimum quietis portum confugit: vbi breui tanta vitæ sanctitate & fide in Deum emicuit, vt etiam ardentem ingressus clibanum nihil ab igne læsus fuerit. Inter hæc occultis virtutum facibus agitabatur, vt loca sancta & instituta patrum in eremo degẽtium perlustraret: obtinuitque tandem à monasterij Præfecto cælesti visione admonito, vt sanctis suis desiderijs faceret satis. Abiens itaque primo in Euthymium fama sanctitatis celeberrimum incidit; qui eum ad Theoctistum monasticis disciplinis præstãtissimum misit. Et quidem Theoctistus summo cum gaudio venientem excepit: sed paulò post importuna Ioannis cuiusdam petitione, qui monasticæ disciplinæ vinculis constrictus parentum recens defunctorum hæreditatem adire volebat, coactus, eum cum eodem Ioanne rursus dimisit. Qui vt Alexandriam venêre, mox agnitus à parentibus Sabas ingens suæ professionis periculum adijt. Parentes enim viso filio incredibiliter exhilarati, omnibus modis persuadere conati sunt, vt relicto seuerioris vitæ instituto, deinceps (paterna suscepta militia) et opi-

Petit monasterium relictis omnibus.

Ingressus clibanũ nihil læditur.

S. Sabas venit ad Euthymium, qui eum ad Theoctistum mittit.

opibus & dignitatibus amplificandis operam nauaret.

At ille cum præclara admodum illis oratione declarasset, quam esset indecorum ac periculi plenum, cælesti Rege relicto, terrestri denuò militare; ac manu semel ad aratrũ missa, retrò respicere, ijs tandem constantiæ eius vel inuitè cedentibus, confestim cum Ioanne ad monasterium repedauit, ac paulò post, bona præfecti sui venia, in quandam speluncam serecepit; vbi annos continuò quinque in summa vitæ austeritate exegit: ita vt quinque cuiusliber hebdomadæ dies cibi omnis potûsque expers soli precationi & operi manuum: vacaret. Assumpsit eum deindè S. Euthymius solitudinis suæ & certaminum socium: vbi, defuncto breui post beato patre, puer senex (hoc enim illi nomen indiderat Euthymius) horrendas dæmonum insidias & terriculamenta est perpessus. Sed fide fortior semper de ijs triumphum egit; vir tantæ mansuetudinis atque virtutis, vt ferę bestiæ illo familiarissimè vterentur. Confluxit autem ad eum hominum multitudo, qui virtutis pulchritudine, quam oculis cernebant, capti, illius sese disciplinæ subdiderunt, singulisque singulas cellulas lõgo satis interuallo à se inuicem distinctas attributis, miro ardore præceptoris sui institutum æmulabãtur. Inter eos discipulus quidam, Iacobus nomine, fœdis cœpit carnis cogitationibus infestari. Cumque importunius irruerent, & ille æstum earum diutius se ferre posse diffideret, consilium cępit, vt sibi quidem videbatur vtile

Degit in spelunca.

Ille sus viuit inter feras.

Congregat multitudinem monachorum.

& præ-

& præmio cælesti dignum, sed reuera nefandum & vltricibus gehennæ flammis expiandum. Cum enim, vt diximus, impotenti libidinis dominatu propemodum opprimeretur, animo incensus, immemor sacrorum canonũ stricto mucrone sibi genitalia amputauit. Quod facinus ad aures Sabæ vt peruenit, hominem vtpotè in seipsum crudelem & homicidam, è Laura expulit: & fratrum communione indignum reputauit. Ille verò vbi præposterum pietatis suæ zelum cognouit, magno animi dolore prostratus, profuso lachrymarũ imbre scelus suum detestatus est: donec ei desuper remissum fuit crimen, & data delicti venia à Saba diuinitus edocto, reditũ impetrauit.

Nota præposterum monachi zelũ.

Condidit autem vir sanctus Lauras plurimas & innumerabilem monachorum multitudinem in Palæstina constituit; tantis excultam virtutibus, vt nomen illius apud summos pariter & infimos longè celeberrimum euaderet. Et quidem quæ quantaque apud Imperatores pro Orthodoxæ fidei defensione patrauerit, fortassis haud abs re foret explicare; sed rerum maximarum multitudine absterriti, stylum ad dulcissima pietatis illius eximiæ opera conuertimus. Cum aliquando Agareni quidam barbarum planè & improbum hominum genus, ad eum in solitudine venissent, & fame sitique confecti cibos scrutarentur, abdita quæque lustrantes nihil inuenirent, Sabas insita benignitate permotus, dum illi cõuicia iactant & minas intentant, extensa statim omnilla pelle, meleagriorum radicibus & arundinum corticibus eos excepit. Mirati autem barba-

Condit multa monasteria.

Egregia eius in Agarenos humanitas.

barbari promptum eius & liberalem animum tunc quidem, vt licuit, famem sedârunt: posteà verò redeuntes caseos & dactylos in grati animi significationem attulerunt. Qua re ilicò ad pietatem & lachrymas cõmotus diuinus Sabas grauissima ab imò pectore trahẽs suspiria: Hei mihi, inquit, barbari homines & ingenio moribus efferati, tam exigui illius nostri beneficij memores, gratiam præclarè & munificè referre student: & nos qui quotidiè bonis Creatoris fruimur, sensu planè stupidi nullam Deo nostro grati animi significationẽ exhibemus? Hac recordatione frequenter obortis lachrymis humani cordis duritiẽ & ingratitudinem deplorabat: dabatque operam vt se suosq; ex rebus etiam minimis ad Creatoris cognitionẽ amoremque prouocaret.

Nota præclarum S. Viri dictum.

Cum aliquando per viam, quæ fert à Ruba ad Iordanem, iter haberet, Leo pedem paxillo transfixum grauiterque saucium, ei curandum exhibuit. Ille autem pedem sensim attollens, euulso manu sua paxillo, sanum & incolumen restituit. Quo permota beneficio fera, deinceps ei adhæsit, ac ferinæ naturæ oblita promptũ in omnibus obsequiũ exhibuit. Erat Sancto Sabæ discipulus quidam Phlais nomine, qui asini ministerio Lauris inseruiebat. Ei verò asino Sabas leonem custodem adhibuit; qui viri sanctissimi mãdato parens, asini capistrum ore accipiebat, eumq; ad pascua ducẽs atq; reducẽs, non modo nõ lędebat, sed longo tẽpore summa diligẽtia ab aliorum iniuria vindicabat. Accidit aũt vt Phlais, qui vtriq; prœerat, fœda libidinis cõtagione se pollue-

Sanat pedem Leonis.

Leo ei in omnibus obedit.

Leo ob crimen cuiusdam, asinum deuorat.

pollueret: quo die Leo in asinum surrexit, eumque crudeliter deuorauit. Tunc Phlais patrati sceleris sui magnitudine (quod ceteret feram expetere vindictam) totus perhorrescens, fugam inijt: ratus, id quod res erat, crimen sanctum Sabam latêre non posse, quod ipse leo vindicta prodebat. Sed vir diuinus, qui peccatores insigni artificio curare nouerat, multo labore quæsitum ac tandem inuentum lenitate sua reduxit, & à crimine salutari dolore expiatum, maiori deindè virtute exculti reddidit.

Porrò qua via potissimum modoq; ad summum virtutis sanctitatisque fastigium vir sanctus deuenerit, vel hoc vnico exemplo facilè quilibet iudicare poterit: Cum aliquando in horti cultura vehementius desudaret, malorum, quæ ex arbore pendebant, cupiditate illectus, ægrè appetitionem refrænare potuit: prorsus vt victus penè, manu pomum decerperet. Sed mox insidias maligni suspicatus, malũ humi abiecit, acriter illicitos in semotus castigans; flens gemensque quod in ipso statim limine callidi serpentis insidijs non restitisset. Cæterum hanc in posterum sibi legem imposuit, vt toto vitæ tempore, malo amplius non vescatur, vt ea admonitus cautione maligni deinceps suggestionibus confestim occurreret: neque pestifera blandientis cupiditatis venena, ne latum quidem vnguem, serpere pateretur. Seruauit verò omni contentione hanc deindè consuetudinem, vt nascentem cupiditatem statim elideret: ne, vt fieri solet, vel momento dilata vires caperet; quæ post-

Ecce quomodo vir sanctus cupiditatem punit.

modum

modum magnis laboribus vix ſuperari queũt. Hac igitur prudentia totum vitæ curſum conſtanter moderatus, ad conſummatam monaſticæ vitæ virtutumque omnium diſciplinam peruenit; clariſſimiſque æmulorum ſuorum ac hæreticorum victorijs inclytus, anno ætatis ſuæ nonageſimo ſecundo è corporis ergaſtulo ad cælos migrauit: complurimis & poſt obitum vti & in viuis miraculis celeberrimus.

Feliciſſimum obitus eius.

VITA BREVIS S. DALMATII EPISCOPI Ticinenſis & Martyris: Ex ea quam Hieronymus Vidas pulcherrimo cecinit carmine. Paſſus eſt anno Chriſti 303. Marcel. Pap. 7. Dioclet. & Maxim. Imp. 20.

Vide 2. Tom. Annal. C. Baron.

DALMATIVS vitæ ſanctitate & martyrio clarus, patre Senatore ex Italia oriundus, cum occultis Chriſtianæ pietatis & religionis incenſus facibus, fidei propagandæ miro teneretur ardore, cunctis, quæ poſſidebat, relictis ad Albam ciuitatem Chriſtum prædicaturus perrexit. Ibi cùm multis miraculis clarus impiam idolorum ſuperſtitionem extirparet, Valentinianus militum magiſter fama virtutum eius excitatus de Rauenna ad eum venit: orans ſupplicanſque vt filium graui detentum infirmitate liberare dignaretur. Dalmatius inſita pietate motus ſupplices Deo preces cum lachrymis fudit: moxque diuino admonitus ſpiritu militum Magiſtrum in patriam redire iubet, filium priſtinæ ſanitati reſtitutum, & cæleſti lumine perfuſum aſſerens. Adhibuit dictis fidem Magiſter,

5. Decem.

Patria & Parentes.

Prædicat Albæ Chriſtũ.

Sanat Valentiniani militum Magiſtri filium.

 filium-

filiumque in patriam reuersus incolumen inueniens, tanto perfusus est gaudio, vt sinè mora Christo nomen daret, & se suaq; omnia pro fidei Christianæ propagatione libenter offeret. Expiatus igitur salutari lauacro à Dalmatio, totus ilicò in opus Euangelij incubuit, & multos cum doctrina tum miraculorum virtute ad Christum conuertit.

Ex baptizat.

Præclarum miraculum.

Porrò Dalmatius salutis omnium desiderio flagrans, angelo duce, Ticinum abijt: vbi cum cælesti auxilio fluuium, sinè pōte vel naui, mirabiliter, multis coram positis, transiuisset, tāta vniuersum populū eo miraculo admiratione perculit, vt certatim, detestabili deorū cultu relicto, ad eum cōfugerent; expiatiq; a quis salutaribus episcopū eu constituerent. Ille verò fidelis & strenuus Euāgelij minister, nō eos tantū populos diuini verbi prędicatione fouebat, sed in Gallias insuper excurrens multos tū præstanti doctrina, tū miraculorū virtute ab infœlici dęmonum seruitute ad Christi castra transferebat. Deniqué diuina reuelatione ad suam monitus redire Ecclesiam, iuxta Ticini fluuiū præclaram martyrij palmam est consecutus. Ibi namque ab impijs & hostibus Christiani nominis infensissimis captus, & gladijs in cerebro maximè confossus, magno cum triumpho ad Christum migrauit. Nam truncum ipsius corpus viuenti simile longo tēpore perstitit immobile; quo miraculo non solum homines dæ, sed ingens præterea infidelium turba lumen veritatis receperunt, moxque baptismate abluti Christi nomen longè lateque celeberrimum reddiderunt.

Fit episcop.

Prædicat in Gallijs.

Fit martyr.

Nota insigne miraculum.

VITA S. NICOLAI MYRENSIS Episcopi: Ex ea quæ est per Metaphrastem, & Leonardum Iustinianum Patricium Venetum, S. Laurentij Venetorum Patriarchæ fratrem, conscripta. Obijt circa annũ salutis 326.

Vide Tom. 3. Annal. C. Baron. & Notat. Martyr. Rom.

SNicolaus Myrarum antistes, vir profectò in Republica Christiana nemini propè sanctorũ in omni virtutũ laude secundus, Pataræ in Lycia illustri inprimis loco natus est. Mater eius claro genere matrona, grauitate morum ac vitæ sanctimonia omnibus conspicua fuit. Patri verò non tam vitæ splendor, quam integritas; nõ tam populi, quã Dei cultus: non tam diuitiæ quam eleemosyna in precio fuerunt. Itaque relictis mundi illecebris cum nullum eis, nisi bonarum actionũ studium esset, atque voluptas, summo Dei beneficio vnicum hunc genuêre filium; in quem diuinè ornandum omnis eorum diligẽtia, studia & voluptates sunt collectæ: vt quem carnaliter genuerant, spiritualiter educarent, & omnibus sanctissimarum institutionum ornamentis excultum, admirabilem cunctis mortalibus redderent.

6. Decem. Patria eius.

Parẽtes eius quales fuerint.

Nec dubium est infantem in ipso statim natiuitatis exordio, diuino fuisse numine afflatũ, sanctificatumque; vtpotè qui non prius viuere, quam Deum venerari, nõ prius comedere, quam ieiunare cœperit. Compertum enim habemus, illum, cum reliquos dies noctesque omnes, crebrò nutricis sugeret vbera, quarta tamen sextaque feria, nullis blanditijs, nullo nutricis lenocinio, nulla naturæ necessitate

Notarem miram in infantulo Nicolao.

induci potuit, vt antè vesperam, lac gustaret; immotoque hoc ipsum seruauit ordine: prorsus vt non fortuitò aut aliqua stomachi intèperie factum fuisse constet.

Qualis eius adolescentia.

Postquam verò è pueritia excessit, castissimos mores & disciplinam ab optimis acceptam parentibus in melius redigens, nouos quotidiè honestatis & pietatis non destitit edere fructus: donec multa ingenuarum disciplinarum scientia imbutus, alijs etiam sanctioris vitæ exemplũ & norma esse inciperet. Ab omni humanæ laudis cura alienus, æqualiũ sodalitates, conuiuia, consuetudines vitabat omninò: mulierum verò colloquia & conspectum tanquam pestilentissimam iuuenilis animi labem fugiens, totum sese honestati pudicitiæque addicebat. Libidinũ & carnis incendia quotidianis laboribus, ieiunij, vigilijs extinguebat. Enitebat iam tunc in adolescẽte senilis quædam modestia & grauitas; qua fluctuantis ætatis inconstantiam præclarè firmabat.

Auunculus eius etiam Nicolaus dictus.

Erat verò illi auunculus Nicolaus nomine; à quo hoc nomen traxisse verisimile est; vir integritate vitæ ac sanctimonia illustris; egregius in Ecclesia antistes; qui cernens nepotem castis operibus & studio religionis mirificè florere, summa parentum voluntate & gaudio, sacerdotio eum initiauit: initiatumque monasterio à se constructo nobili sanè atque illustri sub nomine sacræ Sion moderatorem præfecit.

Præficitur monasterio ab auunculo constructo.

Parẽtes eius pestis tollit.

Intereà parentibus pestilenti contagione, quę Lyciam ea tẽpestate depopulabatur, è vita sublatis, cùm hæres testamento institutus amplis-

ampliſſimas poſſeſſiones adiret, mox vir conſtans & ſapiens, qui ab ineunte ætate funditus ex animo terrenas eiecerat cupiditates, non ad congregandas diuitias, ſed ad congeſtas in pauperes & miſeros diſpertiendas animũ appulit. Cuius reliquas eleemoſynas intelligemus facilius, ſi hoc vnum è pluribus celebre illius factum ſubijciamus.

Liberalis eſt in pauperes.

Erat Pataræ vir genere nobili, qui (vt fert humanarum rerum inconſtantia, & fortunæ ludibrium) ab alto honorum culmine in ſummum contemptum, & à diuitiarum gloria in extremam rerum omnium inopiam deciderat. Ei erant filiæ tres, corporis formæque venuſtate & morum elegantia longè præſtantes; virgines omnes; & quarum ætas (ſi patris calamitas non obſtitiſſet) nuptias flagitabat. Has inops pater, omni rerum egeſtate calcatus, nõ modò viro tradere, ſed ne alere quidem quoquo pacto poterat: neque ſpes vlla miſerum hominem ſolabatur, qua quotidiè creſcentis inopiæ vim perferret. Heu rem dictu fœdam, heu quo mortalium mentes inſuperabilis vis egeſtatis impellit? Tetrum, atrox, immane facinus patrem (paternæ pietatis memoremne, an immemorem dixerim?) exagitat filiarũ decus ac pudicitiam deferentem, vt natis eſuriẽtibus non deeſſet. Cœpit enim de illarum virginitate alienæ proſtituenda libidini cogitare, vt turpiſſimo & flagitioſo quæſtu vitã pereuntis familiæ tueretur. Iam veſana fames reluctantem patris animum ægrè perfregerat. Iã crudele & humanis indignum luminibus ſpectaculum parabatur. Quod ſimulac, Deo ſic

Nobilis quidam preſſus inopia, vult proſtituere filias ſuas.

Mirè odit laudes humanas Nicolaus.

volente, Nicolaus cognouit, tum rei atrocitate, tum insita pietate commotus, in auxilium periclitantium totus accingitur. Sed cum animus misericordiæ studio vehementer arderet, & humanum sui beneficij testimonium refugeret, qua potissimum ratione cogitatum charitatis opus perficeret non videbat. Itaque impiger illius animus his agitatus stimulis, intempestæ noctis silentio è strato prosiliẽs, auri haud mediocre pondus sacculło bellè insutum sumit; domo egreditur clanculum; miserandæ familiæ domum tacitus adit; circumspectat sagaciter omnia; animaduertit tãdem, luna ipsa adiuuante, fenestram apertam paululum: Ea cubili inseruiebat, in quo infœlix pater membra quieti tradiderat. Tunc Nicolaus pulcherrimam sibi à Deo oblatam occasionem ratus, auro per fenestram immisso, domum se statim proripit. Manè pater auri comperto miraculo, stupens, cum tanti muneris datorem suspicari non posset, dæmonum eam esse, aut callidi cuiuspiam hominis fallaciam putat, adulterinoque se credit lusum auro. Indè cum aurum digitis contrectaret, iãque rei cognosceret veritatem, incredibili lætitia gestiens, lachrymas vbertim effundit. Miratur rem; animo versat omnia. Et cum humanum benefactorem coniectare non posset, in Deum hoc muneris transferens, Quid faciam nunc miser, inquit, ne tanti beneficij ingratus arguar? Certum est, peccatum meum diluere, & impio me ac nefario scelere expiare. Filiã, in cuius pudicitiam crudelissimé sæuiebam, à fœdo periculo eruam. Aurum virginem redimat,

Leuat inopiam nobilis viri.

mat, quæ meo scelere auri gratia perdenda erat. Hæc itaque secum reputãs, primam ex tribus filiam honesto marito locat. Nicolaus nõ minùs dato, quam ille accepto munere gaudens, vbi virginem vidit à periculo liberatam, Liberabo, inquit, & reliquas; auriq́ue tantundem noctu, vt anteà, per parentum fenestram immittit. Diluculo pater cum secundum aurũ inuenisset, vix sui compos, humi supplex sese prosternit. Tum ora pectusq́ue largis irrigans fletibus; Deus inquit, misericors, esurientiũ liberalis alumne, fac (quæso Domine) vt sciam quo ministro tu flagitiorum meorum periculum sustulisti, vt te, Domine, in illo laudem, te in illo magnificem, te in illo contempler, Domine; qui me iampridẽ sanguine tuo redemisti. & nũc auro pereuntẽ familiã redimis. Hæc dicens, non prius destitit, quam alterum quoque generũ sibi assciuit, nec minori certè gaudio duplicis cõiugij celebrati, quam spe tertij quoque propediẽ celebrandi. Iã enim tantum sibi de Dei misericordia pollicebatur, vt sese putaret tertiæ quoq; filiæ dotẽ tenere manib'. Ità ab inferno ereptus homo, noctesdiesq; perpetuo ereptoris sui desiderio æstuabat. Statuitq́ue noctes insomnes per excubias ducere, quoad, quisnam esset hic, exploratum haberet. Nec minus admirabilis noster, tertiam quoq; filiam nuptijs tradi cupiebat. Profunda itaque nocte veniens tacito, vt assolet, pede, per eandem fenestram, tertiam iniecit dotem. Ac peruigil pater decidentis auri strepitu monitus, quanta potest pedum velocitate prosiliens, Nicolaum tandẽ fugientem assequitur: com-

Fornicationis crimen.

S. Nicolaus sua eleemosyna impedit.

compræhendit; tenet; atque illius pedibus aduolutus, redemptorem suum, adiutorem, saluatorem pereuntium animarum flens gaudéque compellat. Talia lachrymantem, beatosq; osculantem pedes, Nicolaus ęgrè compescuit: qui cum beneficium suum quanta potuit humilitate attenuasset, multis tandem adiurationibus, vt rem nulli mortalium patefaceret, frustrà precatus est. Vna igitur hæc ex innumeris propè misericordis hominis huius eleemosynis. Quod si reliquas quoque recensere pergemus, quoties indigentibus opẽ tulit; quoties pauit esurientes, quoties alieno grauatos ære leuauit, immensi propemodum laboris fuerit.

Multa S. Nicolai in egenos benignitas.

Posteà verò quam perfecta iam & absoluta viri virtus illum maiore Dei familiaritate dignum effecit, cœpit eum solitudinis cupiditas ingens: ità vt eo desiderio vehementer æstuans in Palestinam profectus sit, vt loca sancta Christi Saluatoris vestigijs pressa venerabundus inuiseret: ac deindè se totum solitudini dicaret. Qua in peregrinatione cum sereno & tranquillo cælo è portu solueret, horrendas ventorum turbinumque procellas imminere prædixit. Nautis autem nihil aduersi suspicantibus, eccè derepentè vehemens atrąque vis tempestatum exoritur; quæ nauim rapidis vorticibus circumactam in profundum cum viris ipsis iam iam demergere videbatur. Vectoribus hoc modo miserè periclitantibus & Nicolai preces cum fletu implorantibus, vir Dei fusa breui oratiuncula fluctus sedauit; turbines in leuem auram dissoluit; & vndique

Iter ad loca sancta suscipit.

Precibus suis sedat tempestatẽ.

dique læta tranquillaq; pereuntibus reddidit. Tum nautę à lachrymis in gaudium versi, ex animo gratias cùm Deo, tum admirabili eius famulo agere, duplici viri admiratione commoti quòd & futurum prædixisset periculum, & præsens tam facilè sustulisset. Auxit verò illorum admirationem insequentis quoq; rei miraculum. Conscenderat nauta supremum antennæ cornu, qui lubricante manu, magno lapsu super nauis tabulata corruit: ità vt contuso corpore animam iam emigrasse dubium non esset. Quem Nicolaus, defixis in cælum oculis oratione sua ad vitam reuocauit: & repentè incolumen ad obeunda nauis munera remisit. Hisce defuncti periculis Alexandriam appulerunt: indè in Palæstinam, vt constituerat, cõtendens, simulac sacrosancta loca venerabundus lustrauit, in solitudinem sese colligere parat. Sed semel iterumque à Domino nocturna visione admonitus, vt ad oues, quas reliquerat in Sion, confestim rediret, diuino mãdato impiger paruit: conductaque precio naui Alexãdrina in Lyciam remeauit. Ibi sese suũ in monasterium tanquàm in portum à turbulentis mundi actionibus tranquillissimum recipiẽs: reliquum vitę tempus in cælestium rerũ contemplatione exigere decreuerat. Cæterũ cùm quadam nocte orandi contemplandique gratia, vti insueuerat, in locum secretiorem sese abdidisset; cælica huiusmodi vox in aures eius insonuit: Nicolae ad mundi palæstram tibi redeundum est: si æternæ vitæ coronam expetis. His verbis exterrito cogitantique, quidnam vox ista portenderet; iterum eadem acrius in-

Excitat mortuum.

Cupit manere in solitudine Nicolaus, sed diuinitus prohibetur.

Audit cælitus vocem S. Nicolaũ.

Lubetur animarum salutī incumbere.

tonans: Nicolae, inquit, nõ est hic ager, in quo fructum, quem ex te flagito, proferas: Ad homines redi, vt in te nomen clarificetur meum. Tunc hac voce Nicolaus imperatum sibi à Deo intelligens, vt miseris mortalib. è cœno peccatorũ eruendis operam nauaret, relicta Patra, Myras abijt: vt ignotus minori cũ propria salutis periculo lucrandis animab. incũberet.

Fortè per eos dies Myrensis pontifex è vita migrarat. Cumq; prouinciales episcopi, precibus & ieiunijs de successore deligendo solicti, diuinam mentem sedulò consultarent: cuidam inter omnes vitæ meritis præstantiori, diuina reuelatione significatum fuit, vt ab oratione confestim se ad templi excubias cõferret, nihil dubitans eum diuinitùs Myrensi ecclesiæ episcopum destinatũ, qui primus summo mane ecclesiam oraturus accederet. Virum esse sanctitate & prudentia ornatissimum Nicolai nomine: nulli prorsus in ea dignitate postponendum. Hoc oraculo cuncti præsules admoniti, fideles pręforibus ecclesiæ posuere custodes, qui Nicolaum diuinę voluntatis ignarum, ac nihil tale suspicantem, primo diliculo ad Ecclesiam orationis ergò properãtem exceperunt. Et quidem diuinorum iudiciorum sedulus explorator ingrediẽti Nicolao templi vestibulum manus iniecit, percunctansque de vitæ conditione: dic, inquit, quo nomine vocaris? Et ille mansuetè ac verecunde: Peccator, inquit, sum & seruus inutilis, nomine Nicolaus. Hoc accepto responso Episcopus, incredibili repletus gaudio apprehensum dextera ad reliquos introduxit episcopos: qui vnami consensu &

Diuinitus declaratur Myrarum episcopus.

ſi & inſolita quadam veneratione Myrenſem antiſtitem eum conſecrarunt. Nicolaus noui huius velut prodigij vix ſui compos, cùm reluctari non poſſet, tandem Myrēſem thronum conſecratus conſcendit.

Tum verò licet priſtini illius mores accurata ſanè caſtigatione eſſent cōpoſiti, tamen non ignorans alium eſſe priuati hominis rationē, aliam magiſtratum gerentis; vitam omnem moresque pro magiſtratus dignitate transformandos putauit. Igitur vnica in die refectione eaque veſpertina contentus, totum diem publicis negocijs ſtudiosè impendebat. Intercœnandum nunquam ſacrorum librorum aberat lectio; vel certè aderant ſacerdotes eruditione & vita probati, à quibus ſuauiori aliquo animi cibo alebatur. A menſa in cubiculum ſe recipiens, totus in cæleſtiū contemplationū campum diffundebatur; & animum diurnis alieniſque curis diſtractū, nocturna meditatione collectum refouebat. Inter quas delicias meliori noctis parte abſumpta, tandem demiſſa humi membra breui admodùm ſomno reficiebat.

Semel tantū veſcitur quotidie idque veſperè.

Cubat humi.

Nulla autem virtus magis in eo eluxit, quàm ardentiſſimum charitatis ſtudium, quo laborantibus quauis in neceſſitate promptus ac alacer occurrebat: prorſus vt nō modò res ſuas egentibus cōferret, ſed frequenter etiam à ditioribus pecuniam mutuò acciperet, vt viduis & orphanis ſubueniret. Eadem illa tempeſtate Diocletiani & Maximiani edicto crudelis Chriſtiano nomini perſecutio parabatur: cui vir ſanctus cùm cōſtanti prædicatione occurreret, ab Imperatorum ſatellitibus cōprehenſus

Summa illius charitas.

Cōijcitur in carcerē pro confeſſione fidei.

ſus & in carcerem coniectus, varijs captiuitatis incommodis affectus fuit: quæ tamen tanta virtute & animi magnitudine tolerauit, vt suo exemplo cæteris confessoribus incredibile animi robur adderet. Postea verò Constantino ad Imperij gubernacula euecto è custodia cum innumeris alijs dimissus Myream redijt: atque profligata penitus è sua Diœcesi idololatria, ad Nicenum Concilium cum trecentis illis decè & octo patribus contendens, Arianorum hæresim condemnauit.

In Niceno concilio damnat hæresim Arianã.

Eadem tempestate Constantino nunciatum est, à nonnullis rerum nouarum cupidis seditionem haud negligendam in superiori Phrygia excitatã. Ad eos reprimendos motus, Constantinus tres mittit legatos: Nepotianum, Vrsum, & Herpilionem: qui cum armis celerè ad negocium sibi datum profecti Andriaciam appulere: vbi Eustachius vrbis præfectus calũniatorum quorundam auro victus, tres viros innocentissimos paulò post in carcerem conjecit, & capitis contra omnem iustitiam damnatos ad vltimum suppliciũ trahi iussit. Quod simulàc Nicolaus intellexit, assumptis secum Constantini legatis, ad locum supplicij velox contendit: & tres illos viros manibus post terga vinctos, & lumina linteolo velatos, nudásq; colla carnificis securi iam prębentes, offendit. Nec mora, vir diuinus viso nefario spectaculo, grauiter admodùm & cum seueritate carnificem compellans. Quid agis, inquit, scelerste? securim contine: simulque accedens intrepidus & fidutiæ plenus, cum regia quadam auctoritate, extortam è manibus securim abijcit: & po-

Eustachius quidã præfectus tres innocentes capitis dãnat.

Liberat eos S. Nicolaus.

& populo ad tantum tamque præclarum facinus stupente, simulque viri virtutem laudãte, innoxios abire iubet. Crudelem verò Præfectum in pœnitentiam quidem versum, multisque lachrymis suppliciter sibi veniã postulantem, seuera admodum increpat obiurgatione.

His peractis legati Constantini in Phrygiã proficiscuntur, acre ex animi sententia ibidem confecta Byzantium regressi sunt: vbi pro meritis non modò accepti non fuêre, sed conficitis criminibus accusati ab æmulis, & in carcerem coniecti, capitis insuper damnati sunt. Cumque amicis cognatisque frustrà imploratis, necem ceruicibus suis impendentem conspicerent: Nepotianus Nicolai recordatus, quòd tribus illis Myrensibus mirabili virtute succurrisset, mortis suæ socios hortatus est, vt hunc ipsum innocentiæ suæ patronum ex animo implorent. Illi ad orationem lachrymis & mente conuersi, sanctissimi viri patrocinium inuocant: & eccè sequenti nocte Nicolaus Imperatori per quietem apparens ore profectò sicuti venerando, ita & terribili imperauit, vt tres illos per inuidiã accusatos & iniuria damnatos absoluat; & pristinæ dignitati honorificè restituat. Qua sanè visione ita motus est Imperator, vt non modò victos per calumniã liberaret, & nouis honoribus, vt æquum erat, afficeret, sed ipsi insuper Nicolao Euangelium aureis exaratum literis dono mitteret, aureũque thuribulum gemmis & arte insigne; & duo præterea puro ex auro candelabra in perpetuũ suæ pietatis monumentum offerret. His atque

Item tres legati innocentes in carcerem traduntur.

Capitis damnati implorant patrocinium S. Nicolai.

Ille eos liberat mirabili visione.

Constantinus ei munera mittit.

alijs

Contigere hæc (teste C. Baron. Tom. 3. Annal.) anno Domini 326. ac nō multo post tempore S. Nicolaum vita functū esse affirmat

alijs admirabilibus viri factis, eousq; nomen eius diffusum est, vt iam vel remotas orbis plagas attingeret; essetque calamitosis & periclitantibus certissima spes atque refugium: adeò vt nautas quosdam præsenti naufragio periclitantes opemque illius suppliciter implorantes è mortis faucibus mirabiliter extraxerit. Cùm enim turbulentis maris obruti procellis, clauoq; destituti sanctissimi huius viri preces meritaque implorarent, eccè vir sanctissimus ilicò præsens adesse visus, arrepto clauo nauim erigit, gubernatque; & sequientes confestim procellas placans, nautas eandem in admirationem, in quam olim ipse Dominus discipulos, impulit: ità vt dicerent: Quis est hic, quia mare & venti obediunt ei? Et ipse Christi promissis fidem faceret dicentis: Amen dico vobis qui credit in me, signa quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horū faciet. Ità cùm procellarum omnis illa superbia resedisset, eiscq; placidam reddidisset nauigationem, ex oculis eorum euanuit. Eximiū profectò tāti viri calamitosis hominibus opitulandi studiū. Ferunt quoq; beatissimum hunc cælesti quadā oris & vultus venustate fuisse; moribusq; senili ac veneranda grauitate iucundis, & veluti sanctificationem quandam & gratiam ex se spirantibus: in cuius intuitu ea fuere vniuersę honestatis species & exemplū, vt sibi congressos aspectu solo à vitijs ad virtutem facilè reuocaret. Si quem autē nactus esset vlla animi molestia laborantem, nunquàm non abundè consolatū atque lenitum abs se misisset. Tradunt præterea ex eius vultu velut coruscantia fulgura micare

S. Nicolaus adhuc viuēs apparet ipsū inuocantib.

Ioan. 14.

Singularis gratia vultus eius.

ere solita: faciemque super humanum eluxisse splendorem.

Hic itaq; tantis præditus ornamentis, sic inter mortales versatus est vt cælo semper, & immortalitate omnium consensu dignissimus videretur. Qui cùm diutius quasi lilium intrà Myrenses hortos iucundissimè redoleuisset, tandem dierum plenus & diuinarum virtutũ odorem atq; suauitatem fragrans, in cælestem patriã cum omni lætitiæ significatione migrauit. Venerabile corpus eius singulare orbis terrarum ornamentũ, episcoporum, vniuersique cleri, & populi laudibus & lachrymis decoratum, in templo, quod Myris maximũ omnium eatempestate erat & pulcherrimum, conditũ fuit. Ex cuius purissimis & redoleutibus membris circa annũ Domini 1088. Barum Appuliæ oppidũ translatis, per antè acta secula in hunc vsque diem, nectareus distillat liquor; certissima spiritalium ac corporalium ægritudinum medicina.

Abit è corpore in cælum.

Nota miraculum quod hactenus vigere dicitur. Translatio reliquiarum eius.

MARTYRIVM SS. DIONYSIAE, DAtiuæ, Leontiæ, Tertij, Bonifacij, & aliorũ quorundam. Ex lib. 3. sancti Victoris Episcopi Vticensis: De persecutione VVandalica. Coronati sunt anno Dominici Natalis 484. Felicis Papæ 2. Hunnerici VVandalorum Regis 8.

Vide Tom. 6. Annal. C. Baron.

CVM Hunnericus Vvandalorum Rex sanguinem innocẽtium sitiens per Africanæ terræ prouincias vno tẽpore tortores crudelissimos destinaret, qui hos fustibus, illos suspendio, alios ignibus concremabant: inter mulieres præcipuè nobiles quas contra ius

6. Decem.

ius naturę nudas omninò in facie publica cruciabant, Dionysiam compręhenderunt: matronam constantem non modò & pro Christianæ fidei defensione certare paratam, sed cæteris etiam pulchriorem: quam primò nisi sunt fustibus expoliatam aptare. Illa verò non de suppliciorum atrocitate, sed tantummodò de pudicitia solicita: Cruciate, inquit, hoc corpus, vt libet: sed verecũda membra nolite nudare. At verò crudelitatis ministri eò ampliùs furentes, celsiori loco vestimentis exutã constituũt, publico eam spectaculo superare conantes. Cumque virgarum ictibus sanguinis riuulos toto corpore exprimerent, & insultantes ludibrio haberent, illa ad ministros conuersa libera voce ait: Ministri diaboli, quod ad opprobrium meum facere computatis, hoc ipsum vel maximè mihi laudi cædit. Et quia diuinarum scientia scripturarum erat plena, alios inter pœnarum cruciatus ad martyrij gloriam hortari non destitit: prorsus vt sanctissimo suo exemplo vniuersam patriam suam liberauerit.

S. Dionysia matrona pulcherrima crudelissimè cæditur.

Nota egregiam matronæ constantiam.

Erat ei filius vnicus teneræ admodùm ętatis & delicatulus: qui timore pęnarum formidolosus contremiscebat: quem mater nutibus oculorum & auctoritate materna ita confortabat, vt paulò post ipsa matre fortior redderetur. Cui inter crudelia verbera, pia mater ita dicebat: Memento, fili mi, quia in nomine Trinitatis in matre Catholica baptizati sumus: nõ perdamus indumentum nostræ salutis; ne veniens inuitator vestem non inueniat nuptialẽ, dicatq; ministris: Mittite in tenebras exteriores,

Præclara vox S. Dionysiæ filium suum confortantis. Matth. 22.

res, vbi erit fletus oculorum & ſtridor dẽtium. Illa pœna timenda eſt, quæ nullo vnquàm tempore finem habet: illa deſideranda vita, quæ ſemper habetur. Talibus itaque filius, Maioricus nomine, verbis animatus, in certamine confeſſionis ſpiritum reddidit: quem mater in propria domo ſepulturæ mandatũ magno gaudio & lætitia eſt venerata: nequaquàm ſe à filio alienam exiſtimans, quem martyrio coronatum in cælis triumphare non dubitabat.

Inferni cruciatus timẽdi.

Quantos verò in illa ciuitate Deo eadem acquiſiuerit matrona longum eſt enarrare. Nam & eius germana Datiua nomine, & Leõtia ſancti Germani epiſcopi filia, cognatusque Datiuæ venerabilis * Emilius medicus, religioſus quoque Tertius, Trinitatis confeſſione pręclarus, vel Sibidenſis Bonifacius quanta pertulerint, qualibuſq; euiſcerati cruciatibus de cunctis hoſtibus triumphum egerint, nulla vis orationis explicare poteſt.

** Vſuardus hunc AEmilianũ vocat.*

VITA S. ASELLAE VIRGINIS: EX ea, quam D. Hieronymus ad Marcellam ſcripſit, epiſtola 15. & ad Principiam epiſtola 140. Quod ad nomen ſpectat, erat id cognomen nobili Romanæ familiæ. Vide Cic. orat. 6. in Verrem P. Annij Aſelli.

Vide C. Baron. in Not. ad Martyr. Roman ac Tom 4. Annal.

ASELLA virgo ſanctiſſima in matris vtero benedicta, infantiæ adhuc pannis inuoluta, & annum ætatis vix decimum excedens, honore futuræ beatitudinis conſecratur. Sed cæteris omiſſis, veniamus ad

6. Decem.

Aſella benedicitur in matris vtero

ea quæ post duodecimum annum sudore proprio elegit: arripuit; tenuit; cœpit; impleuit. Vnius cellulæ clausa angustijs, latitudine paradysi fruebatur. Idem terræ solum, & orationis locus extitit & quietis. Ieunium pro ludo habuit, inediam pro refectione. Et cùm eam non vescendi desiderium, sed humana confectio ad cibum traheret: pane, sale, & aqua frigida concitabat magis esuriem, quàm restinguebat.

Mira abstinentia eius.

Cùm primùm hoc propositum arripuit, aurum colli sui, quod quidē murenulam vulgus vocat, quod scilicet metallo in virgulas lentescente, quadam ordinis flexuosi catena contexitur, absque parentibus vendidit, & tunicam fusciorem, quam à matre impetrare non poterat, induta, pro negociationis auspicio, se repentè Domino consecrauit: vt intelligeret vniuersa cognatio, non posse aliud ei extorqueri, quæ iam seculum damnasset in vestibus.

Voluntaria paupertas.

Ita se semper moderatè habuit, & intra cubiculi sui secreta custodiuit, vt nunquā pedem proferret in publicum, nunquam viri nosset alloquium: & quod magis sit admirandum, sororem virginem amaret potius quàm videret. Operabatur manibus suis; sciēs scriptum esse: Qui non laborat, non manducet. Sponso autem orans loquebatur, aut psallens. Ad martyrum limina penè inuisa properabat. Et cùm gauderet proposito suo, in eo vehemētiùs exulteba, quòd se nullus cognosceret. Cumque per omnem annum iugi ieiunio pasceretur, biduo triduoque sic permanens: tum verò in Quadragesima

Solitudo & silentium.

2. Thess. 3.

ſima nauigij ſui vela tendebat; omnes penè hebdomadas vultu lætante coniungens; & quod impoſſibile forſitan eſt hominibus ad credendum, DEO autem præſtante poſſibile eſt, ita ad quinquagenariam peruenit ætatem; vt non doleret ſtomachum, non viſcerum cruciaretur iniuria, non ſicca humus iacentia membra confringeret, non ſacco aſperata cutis, fœtorem aliquem ſitumq; contraheret: ſed ſana corpore, anima ſanior, ſolitudinem putaret eſſe delicias, & in vrbe turbida inueniret eremum monachorum. Et hæc quidẽ tu melius noſti à qua pauca didicimus, & cuius oculis durities de genubus camelorum in illo ſancto corpuſculo præ orandi frequentia obcalluiſſe perſpecta eſt. Nos, quod ſcire poſſumus, explicamus. Nihil illius ſeueritate iucundius; nihil iucunditate ſeuerius: nihil ſuauitate triſtius; nihil triſtitia ſuauius. Ita pallor in facie eſt, vt cùm cõtinentiam iudicet, non redoleat oſtentationem. Sermo ſilens, & ſilentium loquens. Nec citus, nec tardus inceſſus: idem ſemper habitus. Neglecta mundities, & in culta veſte, cultus ipſe ſinè cultu. Sola vitæ ſuæ æqualitate promeruit, vt in vrbe pompæ, laſciuiæ, ac deliciarum, (in qua humilem eſſe miſeria eſt) & boni eam prædicent, & mali detrahere non audeant; viduæ eam imitentur & virgines: maritatæ colant, noxiæ timeant; ſuſpiciant ſacerdotes.

Amanti nihil difficile.

Solitudinem delicias reputat.

Eius genua in camelorũ duritiem obcalluerunt.

Perfectio eius.

VITA SANCTISSIMI ET PRAEstantissimi viri D. Ambrosij Præsulis Mediolanensis, Ecclesiæ Doctoris clarissimi: Ex ea quæ est à Paulino presbytero primum, ac iam recens à Ioanne Costerio fideliter conscripta. Obijt anno à Christi Incarnatione 397. Siricij Papæ 15. Arcadij & Honorij Imperator. 3. cùm sedisset Annos 22. Menses 4. dieb. 3. minus, ætatis verò suæ anno 64 vix inchoato.

Vide Tom. C. Baron. 4. & 5 Annal. & Notat. in Marty Rom.

7. Decem. *Patria & parẽtes eius.* a *Anno Constantini 28. fuit is Christi Domini 333.*

DIVINVS planè vir Ambrosius Romæ sub Cæsaris Constantij a imperij filio Constantini Principis, nobili a claro inprimis stemmate ortus, patrem habuit Ambrosium nomine: Gallicanæ prouinciæ præfectum: quæ tunc summa dignitas, nisi in summos ac pręclarissimos viros conferebatur. Porrò Ambrosius infans, quantis in vita pietatis pariter & scientiæ decorandus esset ornamentis, huiusmodi præsagio ostẽsum est. Cùm in area prætorij in cunabilis positus aperto ore dormiret, subitò apum examen adueniens, faciem eius atque ora compleuit; ita vt ingrediendi in os, egrediendique vices frequentarent. Quæ deindè (expectante patre, quo fine miraculum illud clauderetur) auolantes, in tantam aëris altitudinem subleuatæ sunt, vt aciem oculorum planè effugerent. Quo facto territus pater; profectò, inquit, si antè diem hic infantulus è vita non excesserit, ad arduaque & summa pertinget. Itaque vbi artibus liberalibus Romæ institutus fuit, contempta fortunæ temeritate ac vanitate, nihil humile, nihil abiectum meditatus est: sed, quo erat

Præsagium de Ambrosio.

Dat operam literis Romæ.

erat, viuido, erecto, & excelso animo, quidquid eruditionis vel apud Græcos vel apud Latinos esset, summo studio euoluit, excuisitque: assiduo ac pertinaci labore animum cunctis artibus ac disciplinis excolens: & tunc ex AEgyptijs opibus incomparabilem thesaurum sibi corradens: quem posteà ad Dei templi dignitatem maiestatemque ampliandam esset exprompturus.

Igitur simulac maturiorem attigit ætatem, & in declamatoria palæstra summa cum omnium admiratione luculenter grauiterq; versari cœpit, vir illustris, Probus prætorij præfectus, ob eximiam prudentiæ ciuilis opinionē, eum ad se vocauit: vt in consilijs ac grauissimarum rerū disceptationib. operam sibi nauaret: ratus nihil tam egregium tam magnificum in eum conferri posse, quod non ipsius virtus ac præclara merita superarent. In ea administratione rerum publicarū, cùm Ambrosius fidei ac prudentiæ suæ multa ac præclara documenta, cum summa iustitiæ & æquitatis laude dedisset, voluntate Christianissimi Principis Valentiniani maioris, qui in Iouiniani demortui locum suffectus erat, Liguriam AEmiliamque prouincias gubernandas suscepit, cùm iam ad annum ætatis 36. peruenisset. Ita autem se comparabat, vt nunquam dignitatem aliquam videretur consecutus, etiam amplissimam, quin maiore semper & ampliore dignus haberetur. Erat porrò ea conditio id temporis ardua inprimis ac perdifficilis: qd' populus ille nouis rebus subindè studeret: frequentes motus cieret: nec nisi grauissimarū legum seueritate ac

Agit Aduocatum.

Fit Consiliarius.

Præficitur duabus prouincijs.

maxima cum difficultate in officio contineri posset. Quare opus erat hic viro insigni: qui & prudentia & vsu rerum præstans, turbata componeret: nutantia sustineret: pacata in quiete ac tranquillitate conseruaret.

Ambrosium igitur in prouincias commissis proficiscentem: Probus Præfectus, quem oportebat cum iustitia æquitatē clementiamq; ad populorum regimen habere coniunctam, ad optimū moderamen hisce verbis, veluti quodam futurorum vaticinio, hortatus est, dicēs: Vade, age nō vt Iudex: sed vt Episcopus. Quod vir diuinus succedente tēpore egregiè præstitit: erat siquidem facunda lingua facillimè sedans tumultus, & concordiā non minus accuratè, quā dextrè ac fœliciter sarciens: nec id solùm in ijs regionibus, vbi fungebatur magistratu: verùm etiam quoties res apud alios spectabant ad seditionem, Ambrosius veluti peritus ac felix nauclerus, ad sedandam tempestatem accersebatur.

Eximia illi? facundia & in rebus agēdis dexteritas.

Eadem tēpestate tota ferè Insubria, magnaque Italię pars Ariana peste corrupta erat: maximas ad eam rem faces suggerente Auxentio quodam, homine & sceleratissimo & crudelissimo; qui nefandi dogmatis venenum longè lateque diffuderat. Hic postquā sanctum Dionysium, qui tum Mediolanensis ecclesię gubernacula tenebat, fraude ac scelere suo in exilium exturbasset, nefario ausu in Christi ouile sęuus ac sanguinarius lupus irrupit: nihil prius habens, quàm vt innoxium gregem Christi, rabido ore discerperet. Is est Auxentius, cuius maleficio D. Martinus posteà Turonensis archi-

Duos fuisse Auxentios confirmat Baron. in Notat. cōtra errorē quorundam.

pra-

præsul, Mediolano non sinè acerbissimis iniurijs fuit eiectus. Hac igitur peste extincta, in comitiali cõtentione populus, (penes quem tunc ius erat deligendi antistitis) in duas partes dissectus, in diuersam sententiam rapiebatur; cùm ij qui Ariano dogmate imbuti erant, quempiam à sua factione, contrà catholici episcopum Orthodoxum habere vellent. Porrò cùm hic summa vtrinque cõtentione diu multumque tumultuatum esset, & res iam ad manifestam periculosamque spectaret seditionẽ, acciuitatis perniciem, Probus præfectus rei periculo permotus, Ambrosium, cuius efficacem linguæ facundiam, animumque magno rerum vsu & exactæ prudẽtiæ præsidijs instructum sciebat, eò mittit; turbulentos comitiorum fluctus, & excitatum intestinæ seditionis incendium virtute atque auctoritate repressurum.

Arianorum & Catholicorum cõtentio de eligẽdo antistite.

Mittitur Ambrosius ad sedandos tumultus.

Is dum pro delegato munere templũ ingressus singulari facundia suadet concordiam, subitò cuncta populi modò dissidentis studia in vnum conuersa sunt: iamque iunctis vocibus suffragijsque concordibus Ambrosium episcopum flagitãt. Multa causatur ille; se prophanæ functionis hominem esse; sacrarum rerũ imperitum; nondũ sacro lauacro renatum: quũ Paulus vetet etiã neophytum ad ecclesiæ gubernacula admoueri. Sed hic frustrà facundus erat. Quo vehementius ille detrectat, hoc magis accendũtur populi studia. Quid multis? Missa est velox relatio ad Imperat. Imperator verò pspiciẽs diuinitᵒ geri negociũ, populi cõstantẽ approbat volũtatẽ sũmo gaudio accipiẽs, Iudicẽ

Repentè tam Ariani quã Catholici Ambrosium eligunt episcopum.

1. Timot. 3.

à se directum ad sacerdotiũ peti. Proindè imperat, vt quæ statuerãt, perficere maturarent. Ipse tamen nihilo segnius omnem quærẽs euadendi modum, fertur tunc tribunal sibi parasse, & contrà consuetudinẽ suam reos quosdam quæstionibus & supplicijs subdidisse. Sed cùm nec ijs rebus quidquã proficeret, domũ reuersus philosophiam profiteri voluit. Populo verò acrius obsistẽte, publicas mulieres domum suam aduocare non dubitauit, vt vel eo spectaculo à sententia discederent. Cumq; nec ijs adinuentionibus populi mentem inuertere posset, quærit latebras; quærit patronos; quærit procrastinationem: sed frustrà id à se reijcere conatur, ad quod olim diuina prouidentia electus erat. Igitur cùm nusquam videret elabẽdi viam; nusquam esse neque fugæ neque cõsilijs suis locum; multisque iam iam argumẽtis Domini erga se intelligeret voluntatem; populi tandem precibus cessit. Et quia nondum sacra vnda in Christo regeneratus, in catechumenorum ordine constitutus erat, à nullo nisi à Catholico episcopo expiari voluit; iam túc Arianorum perfidiam suspectam atque exosam habens; & haud aliter tunc ipsis affectus, quàm olim inuictissimus Sampson Philisteis erat; quorum ipse perniciem atque excidium primis ab annis meditabatur.

Vide quid non faciat tantus Vir, vt episcopatum euadat.

Adhuc catechumenus eligitur episcopus.

Iudic 13. & 14.

Igitur reiectis veteris hominis exuuijs, cùm iam in verba Christi iurasset, in summum illũ dignitatis locum euectus fuit, anno post Christi natum trecentesimo septuagesimo quarto: VII. Idus Decembris: Gratiano & Equitio Cons. Imperij Valẽtiniani Senioris vndecimo.

Baptizatur S. Ambrosius.

Hæc est sententia D. Hieron. quã

Quo

Quo tempore, licet inculpatam honestamque ac omni ciuili virtute perpolitam hactenus duxisset vitam, alium tamen animum, aliam viuendi rationem, qualem tunc ea functio flagitabat, assumpsit. Summa vitæ puritas, summa grauitas cum admirabili modestia coniũcta in eo relucebat. Laborum verò patientia, & orandi legendique frequentia tanta fuit, vt miraculum sit, hominem à tribunalibus ac rerum forensum strepitu ad ecclesiasticum munus abreptum, illa statim in docendo potuisse præstare, quæ ipsum tunc effecisse miramur. Tametsi enim humanioribus literis & singulari quadam dicendi scribendique arte probè esset excultus, diuinarum tamen literarum scientiam nondum attigerat; quæ illi tunc inprimis necessaria erat. Quapropter summo tunc studio Græcorum commentaria, maximè verò Origenis, cui tunc eruditionis primas dabant, euoluit: quorum subsidio fretus, multa de scripturis & publicè disseruit & priuatim conscripsit. Paucis verò ab inito episcopatu excursis diebus dum ipse & Valentinianus Augustus de rebus imperij, de belli pacisque negocijs, deque Ecclesiæ statu amicè ac familiariter inter se tractant, opportunitatem hic nactus Ambrosius, grauissima ac liberrima oratione de immodica principum potentia ac libertate conqueritur: qui multa præter æquitatem, plurima pro suo affectu agerent; quibus subiectum populum opprimerent verius, quam iuuarent. Cæsar autem tantum abest vt ea episcopi libertate offensus fuerit, vt etiam laudata eius fiducia, diceret: Noueram

Doctiss. Baron. cum in Not. tum in Annal. Tom. 4. confirmat. Costerius enim ponit annum 377. alij quidam 369.

Voluit diligenter Originem.

Acriter reprehendit Cæsarem.

En veri Christiani Principis in Antistitem reuerentia.

prius hanc tuam Ambrosi libertatem. Mactei-
gitur virtute, age quod tui muneris est, cura vt
res Christiana consistat incolumis, vt veteris
religionis disciplina incorruptà perseueret:
doce quæ amare, doce quæ fugere debeamus.
Habes animas nostars fide tuæ cõcreditas: his
consule; his Christianæ medicinæ apponepre-
sidia; vt cuiusque morbus atq; ægritudo expos-
cit. Talis tunc erat recentis adhuc sacerdotis
apud potentissimum orbis monarcham auctó-
ritas; talis libertas; talis etiam gratia: vt quod
plerique toto vitæ suæ tempore multis ac pro-
fusissimis largitionibus impetrare nequeunt,
id Ambrosius solius vitæ merito sit cõsecutus.

Ariani valdè sunt illi infesti.

Postquam verò domum Domini repurga-
re, & pestiferas Ariani seminis radices reuel-
lere cœpit, Ariana factio totis viribus omni-
que armorum genere in Christi sacerdotem
impetum facit; omnia agens, omnia tentans,
vt lacerata ac conuulsa eius dignitate, põtifi-
catu deiectum in exilium pellerent. Ferocio-
res erant, quod Iustinianam Valentiniani se-
nioris Imperatoris vxorem huius nefandi sui
erroris propugnatricem haberent; quæ cum
viuo adhuc marito, quem Arianæ perfidiæ se-
uerissimum vindicem sciebat, virus hoc, mul-
to iam tẽpore suis confouisset inclusum visce-
ribus, eo demortuo secura euomuit: multa in-
terim & clàm & palam faciens, quibus illum
inexpugnabilem Ecclesiæ murum Ambrosium
deijcere, atque euertere tentabat. Fremebat, &
muliebri impotentia acta, funesto ac diro ani-
mo certum viro sancto exitiũ apparabat. Cũ-
que ille Iesabelis istius, tanquã Helias, maliciã

Iustina Imperatrix modis omnibus

nihili

nihili faceret; illa tanquã peracerbam contumeliã ab ipso perpessa, Valentinianum filium atrocissimis criminationibus in episcopi odiũ impellit. Qui vlciscendæ matris studio adeò concitatus fuit, vt statim militarem manum ad ecclesiam miserit, matris iniuriam grauius atque acerbius vindicare volens. Miles effractis templi foribus cum Christi sacerdotẽ ad Cæsarẽ pertrahere vellet, populi accurrentis atque obsistentis audacia est impeditus: quod sanè Reginæ imperium tulit permolestè. Magnis tamen & splendidis promissis quorundam animos expugnatos ad hæc audẽda Regina incitauit. Sed dum ista molitur, mors Gratiani principis fraude ac scelere Andrathij nunciata, Iustinæ impetum ac furorem repressit: quæ alioqui conquietura non videbatur, nisi Ambrosio è medio sublato.

episcopatu eum exuere conatur.

Venerat id temporis è Syriæ partibus Mediolanum alius quidam Auxentius, homo crudeli prorsus ingenio, qui non minus ferro quam lingua passim desæuiret, impuro scelestoque ore multa profundens, quibus Christianæ fidei purissimam veritatem labefactare ac subuertere contendebat. Is vt commodius noceret, quum sciret illius Auxentij, qui apud Insubres graues motus excitârat, nomen esse odiosum, ementito vocabulo Mercurinum se appellabat. Hic ergo pessimis artibus in aulã Cæsaris irrepens, tempusque nouandis ac turbandis rebus opportunũ cõspicatus, ob impotentissimum Reginę in pontificem odium, sursum ac deorsum omnia miscet: vt aut fraude aut potentia Ariani dogmatis impugnatores oppri-

Hic est alius Auxentius ab eo qui diu Mediolani Arianorum episcopus fuerat teste Baron. in Notat.

Appellat se Mercurinũ.

opprimerentur. Denique cum videret Ambrosium vigilantissimo studio suam oppugnare sententiam, detestari mores; sæuitiam insectari: eius auctoritatem totis viribus apud principem conuellere contendebat: egitque apud eum, vt cum Ambrosio, non quidem in ecclesia (vt fieri solet) sed in principis aula de rebus fidei certamen iniret. Hoc tẽtare audebat homo versutus ac vafer: non quod doctissimum & eloquentissimum virum superare se posse speraret, sed quod huius certaminis eos arbitros delegisset, qui vt in suam sententiam erãt perpensi, ita pontificis libertatem auctoritatemque ferre nequibant. Vocatus itaque per Dalmatium prætorianæ cohortis præfectum Ambrosius, venire renuit: dicens in causa fidei eos iudicare debere, qui nec munere impares essent, nec iure dissimiles: hoc est, de sacerdotibus sacerdotes.

Sacerdotes à à laicis iudicari non debent.

Auxentius igitur cum se nihil hîc fecisse videbat, diro scelestoque consilio nouas rursus insidias episcopo parat. Duæ erant Mediolani basilicæ, altera in vrbe, quæ Portiana dicebatur, altera haud ita procul extra muros sita. Vtramque Catholici tenebant. Auxentius iniquum esse apud Cæsarem querebatur, duo simul templa ab Ambrosianis occupari: interim verò neque se, neque ipsum Cæsarem habere orandi locum. Facilè principis animus superiore pontificis libertate exasperatus, maximè accedentibus persuasionib. matris, quę episcopi odio nihil non tentatum volebat, eò est impulsus, vt Ambrosio mandaret vel basilicam tradere vel in exilium ire. Verum fieri non pote-

En quanta virtute & Constantia Imperatori iniqua imperanti resistat.

poterat, vt apud constantem virum plus præponderaret pænæ formido, quam amor Christi. Vndè Augusto intrepidè respondens, Quid quærit, inquit, Imperator, quid expectat? An vt ego maiorũ hæreditatem regię cedam potestati? vt dilectã Domini vineã porcorũ sordib' conspurcandã tradã? Nõ est Ambrosius tã stultus, vt hoc putet; tã timidus, vt velit; tã potens vt possit. Hæreditas maiorũ fides est; hęreditas maiorũ templum est Christi; sed propitius, inquit, mihi sit Dominus, ne hæreditatem patrũ meorum Cæsari tradam. Quid quærit Imperator, quid ambit Auxentius? Quid cruento ore ac sanguinolentis manibus basilicam quærit? Non tradam. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? non recuso. Principis furorem nõ timeo. Facio ego quod Sacerdotis est: quod Imperatoris est, faciat Imperator.

Hac episcopi libertate ad maiorem adactus insaniam Cęsar, missis aliquot militum centurijs, imperat vt abreptum è templo statim ad se perducant. Obsepserant illi Portianam basilicam, & tanquam rabidi canes discursantes aditus latebraiąque omnes explorant: verum Dei iudicio cæcitate perfusi, etiam quod apertum erat videre nequibant. Quo tumultu, tantum abest vt inuictum Ambrosij pectus vllo instantis periculi metu consternatum fuerit, vt etiam in tanto aduersariorum fremitu & furore, diuinos hymnos piam plebem quæ cũ amantissimo pastore mori parata in templo excubabat, edocuerit: nimirum modulatione ac suauitate diuini carminis luctuosi carminis acerbitatem temperare ac mitigare volens.

En vt Deus protegat suos.

Quo

Diuinitus SS. Geruasij & Protasij corpora ei ostenduntur. Clarent miraculis.

Quo tempore & in eodem loco cælesti oraculo commonitus, sanctissimorum Martyrũ Geruasij & Protasij corpora reperit; quæ longa tẽporis vetustate neglecta iacebãt. Multa & præclara miracula tunc per sanctorum martyrum merita edita sunt: quibus & Catholica plebs admodum in fide confirmata, & aduersariorũ contumacia grauiter repressa fuit.

En mutationem Dexteræ excelsi.

Istarum verò rerum inusitata & admiranda magnitudo effecit, vt & Iustinæ Imperatricis funesta & perniciosa consilia, & militum rabies conquiesceret. Nam qui pro templi foribus excubabant, rerum nouitate & maiestate perculsi, abiectis armis positaque nocendi voluntate, templum orandi causa ingressi sunt; vt iã haberet episcopus defensores, quos hostes putabat: iam essent socij qui aduersarij fuerant. Verùm Arianorum deplorata insania nullis interim remedijs ad sanitatem reduci potuit.

Execranda impietas Arianorum.

Quæ enim pijs præbebant gloriæ & lætitiæ causam, ea impijs & factiosis hominibus erant incitamentum furoris; & quæ diuina virtute gerebantur, ea ipsi quorundam incantamentis, ea dæmonum præstigijs, ea Ambrosij fuco ac fraudi tribuebant; hæc apud Cæsarem, hæc apud Reginam, hæc apud factiosos homines clamitabant. Per idem tempus acerrimus quidam Arianæ perfidiæ propugnator, qui nullis rationibus vel argumentorum vi ad sanam doctrinam conuerti poterat, differente ad populum in Ecclesia Ambrosio, angelum ad aures episcopi loquentem vidit: quo spectaculo repentè conuersus, fidem quam expugnauerat, deinceps defendit.

Angelus loquitur in aures Ambrosij.

Intereà

Intereà Gratiano proditione & insidijs Maximi interempto, recipiẽdi corporis eius causa, Ambrosius secundam ad Maximum legationem suscepit. Apud quem cum admiranda quadam constantia ageret, tum etiam à cõmuni consortio segregauit; admonens vt effusi sanguinis domini sui, & (quod grauius est) innocentis ageret pœnitentiam. Extincto autem Maximo, cum Theodosius Mediolani, Ambrosius verò Aquileiæ ageret; quidam Christiani, zelo religionis ac fidei incensi, in partibus Orientis in quodam castello synagogam Iudæorum & lucum Valentinianorum incendio cõcremârũt: propterea quod Iudæi vel Valentiniani Christianis monachis insultarent. Quod factum Comes Orientis cum ad Imperatorem retulisset, & ille mandaret vt loci episcopus synagogam restauraret, Ambrosius re intellecta, continuò ad Imperatorem literas dedit, vt iniquam contrà Ecclesiam Dei sententiam reuocaret. Reuersus verò Mediolanum præsente in ecclesia Imperatore, latius de eadem causa perorauit; ac tandẽ obtinuit vt quę statuta fuerant reuocarẽtur. Neq; enim ad altare accedere vel diuina peragere mysteria voluit, nisi fide sua Imperator illum agere debere testaretur. Verũ post Valentiniani necẽ, cũ Eugenius occupato imperio, Victoriæ arã & sacrilegos ceremoniarum sumptus, fidei suæ oblitus, Gentilibus instaurari iussisset, ac paulò pòst Mediolanũ veniret, Ambrosius sacrilegi tyranni deuitans conspectum, relicta vrbe Bononiam concessit.

Excommunicat Maximum S. Ambrosius vide Baron. quomodò hæc excommunicatio sit intelligenda. Annal. Tom. 4 fol. 471.

Valentiniani hæretici 30 Deos colunt.

Defendit egregiè libertatem Ecclesiæ.

Cæterum Theodosius, Eugenio prostrato, totius

totius Orientis ac Occidētis potitus imperio, sanctum Christi sacerdotem Ambrosium vnico amplectebatur ac venerabatur affectu, atq; in eius admirabili virtute summum præsidiū collocabat: quòd huius diuina ope potentissimorum hostium fregisset potentiam, atque perpetuo victoriarum cursu vsum esse se sciret. Quiddam verò accidit, per quod & episcopi infracta inuictaque auctoritas, & Imperatoris incomparabilis modestia ostenderetur. Nulla enim ex victoria armis parta plus laudis tulit Theodosius, quam quod ab Ambrosio se vinci passus est. Babylæ parum fæliciter cessit, quod imperatorem impia cæde funestatum templo prohibuit; imò fœliciter cessit, ipsi, qui præsulis auctoritatem sua morte confirmauit. At Ambrosio cessit fœlicius; qui summa constantia suam tenens auctoritatem, ipsum etiam Cęsarem Christo lucrifecit, ac pulcherrimum exemplū omnibus monarchis edidit, quanta sit episcoporum dignitas, si modò verè sint quod audiunt. Quoque magis liqueat quod dicimus, primum rem, deindè personas expendamus.

Hæc Erasmus Roterod.

Nota episcoporum dignitatem.

Thessalonicæ quidam è Comitatu Cæsaris per populi tumultum fuerat interfectus. Cæsar ira dissimulata plebem ad ludos Circenses euocat. Ibi repentè circumfusa militibus inermi multitudine, promiscuè sæuitum est in noxios iuxtà & innoxios; pœnaque non meritis est data sed furori: tantaque sæuitia atque rabie milites in plebem, nulla habita neque ętatis neque innocentiæ ratione, grassati sunt, vt Theodoretus septem hominum millia in ea macta-

Septem hominum millia Thessalonicæ occisa.

mactatione occubuisse dicat. Elapsis indè aliquot diebus cum Imperator ab Eugenij tyranni cæde reuersus Mediolanum venisset, more solito templum ingredi volenti Ambrosius constanter iesse opponens Quid, inquit, tentas Cæsar, quid moliris? Tunè Domini templum post tam crudelem innocentium hominũ stragem intrare audes? Qua fronte manus ad Domini aram protendes, quæ adhuc infontium sanguine stillant? Noli Cæsar, noli priorem iniquitatem hac temeritate augere; noli hoc tuum tam graue vulnus noua plaga exasperare. Exhorresco hoc tam immane facinus Cæsar, exhorresco sæuitiam, & hunc tuum gladiũ multorum tam iniqua morte cruentum videre non possum. Et hæc tu non vides? pro his non doles? non ingemiscis? Clamat tibi dico, Cæsar, horum sanguis de terra; clamat innocentia; clamat æquitas: & mihi crede non erit hic surdus; non cõniuebit; nõ dissimulabit; qui innocentium causam defendere ac vindicare solet. Cæsar quum neque sacerdotis libertatẽ, neque vim doloris, quem ipsi sua oratione incusserat, ferre posset, cum gemitu ac lachrymis in palatium se recepit, vbi totos 6. menses mœrori intabescens, nullum solatium recipere neque voluit, neque potuit: adeò durũ hoc vinculum, quo sacerdos ipsum ligauerat, hominem torsit. O incomparabilẽ pontificis dignitatem; ô Imperatoris pietatẽ insignem. Venerant Natalitiæ feriæ Christi Saluatoris. Cæsar Ruffinũ aulæ præfectũ ad Ambrosiũ mittit, obsecrãs vt ipsi anathematis vinculum soluat, liceatque interesse rebus diuinis. Quum

Nota quanta virtute imperatorẽ ab ecclesiare pellit S. Ambrosius.

En quanti tantus Imp. faciat episcopi auctoritatem.

is nihil egisset, Cæsar acerbitatẽ doloris sui nõ ferens, ipse Ambrosium adit; non quidem tẽplum ingressus, ne rursus repelleretur, sed in vestibulo consistens; vbi tum fortè episcopus considebat. Gemit hic, plorat; obsecrat; vt nexus illi dissoluat. Quid, inquit ille, agis Cæsar; quid poscis? Num tam immani sceleri tuo dignam pœnitudinem ostendisti? Tuum est, ait ille, remedium dare, meum accipere. Impera quid fieri velis; non obsistam; non reluctabor; non querar de acerbitate remedij; id vnũ spectо, hoc solũ ambio, vt cũ Deo meo in gratiam redire possim. Post longũ igitur mœroré, post multorũ contẽptas preces, cessit tandẽ Præsul Cæsaris lachrymis: verũ non prius anathemate absoluit, quã in locũ pœnitentibus destinatũ is sese cõferret; vbi posito diademate, abiecta purpura, humi prostratus, vberrimo lachrymarum imbre effuso, Dei misericordiam efflagitabat. Voluit prætereà Ambrosius legẽ ab eo condi, vt si qui ob maleficium per Cæsaris edictum iuberentur occidi, id non nisi post trigesimum diem fieret: vt intereà temporis maturo sedatoque animo ac rebus omnibus rationis libra perpensis, aut parcendum esse videretur, aut vindicandum.

Vide episcopi auctoritatem.

Vide Imperatoris humilitatem.

Hæc erat sanctissimi Præsulis constantia, hæc auctoritas; quam illi cum primis conciliabat insignis vitæ sanctimonia, & pectus nulla auaritiæ labe imbutum: quæ alioqui magnos interdum viros corrumpere, retundereq; virtutis aciem solet, & facere, vt nulla habita neque dignitatis suæ, neque honestatis ratione, in fœdam ac dedecorosam assentationem sese pro-

Alienus est ab omni auaritia.

Summa eius benignitas in pauperes.

prosternant. Verum is ab hac peste adeò liber fuit, vt postquam omnibus in pios vsus distractis; nihil iam domi haberet, quod aut in subsidium pauperum, aut in redemptionem captiuorum conferre posset, templi vasa in eos vsus confregerit. Durissimas atque acerbissimas aduersariorum impressiones frequenter sensit: quas non armorum strepitu, ac bellico certamine, sed pietate & constantissima in Deum fide euicit. Arma illi erant assiduæ preces; arma illi erant ieiunia; lachrymæ atque suspiria: quorum præsidio & principum furorem, & ferociam militum, & hæreticorum insidias maliciamque contẽpsit. Quibus rebus tantã consecutus est famã ac gloriam, vt nõ solũ in Insubria, AEthruria, tota denique Italia primus, sed apud exteras & barbaras nationes summus etiam ac venerandus haberetur. Argumẽto huic rei sunt virgines complures: quæ ex Mauritania & remotissimis mundi partibus Mediolanum venêre: vt abdicatis mundi istius pompis ac voluptatibus, à sanctissimo viro sacro velamine ornarentur: & Christi amore intrà pudicitiæ septa nemine cogente, concluderentur.

Ieiunia & preces sunt arma eius.

Efficacissimã eius oris facundiam persensit Aurelius Augustinus: qui dum ipsius docendi modum, dum amœnitatem dictionis miratur, sensit animo infigi aculeos, sensit se rapi atque impelli quo ferè nolebat: deniq; sic hominem traxit, sic vellicauit, sic reuinxit, vt inciperet amare quod prius odisset: odisse, quod antè amâsset. Hæc Ambrosij lingua excussit illi Manichæum; excussit illi mundi amorem;

Augustinus concionibus D. Ambrosij conuertitur: cuius vita habetur 28. Augusti.

quibus ceu duobus capistris miser ad omnem miseriam trahebatur. Hinc ipse eum salutis suæ prædicabat auctorem, patris venerabatur ac colebat affectu: hinc denique tam frequens & honorifica in scriptis suis Ambrosij mentio: cuius pectus sanctum Dei oraculum; cuius os Spiritûs sancti fistulam; fontemque salientis aquæ in vitam æternam; cuius denique eloquia ministrare adipem frumenti diuini, & lætitiam olei, & sobriam vini ebrietatem populo Dei scribit. Hæc ergo erant viri sanctissima merita, hæc fama, hæc opud omnes gratia: vt nemo esset qui hunc non amaret, non suspiceret, non vnicè amplecteretur. Itaque cum Dominus famulũ suum ex turbulentissimis mũdi huius rebus, quæ tunc Italiam vehemẽtius exagitabant, ad se vocare volebat, febre primum correptus fuit. Dum verò lectulo decũberet, nobilibus viris & amicis ad eum venientibus & persuadere volẽtib⁹, vt diuturniorẽ sibi vitã à Domino impetraret, præclarissimã illam & apostolico viro dignam sententiã dixit; Nõ ita inter vos vixi, vt vixisse me pudeat: nec mori timeo quia bonũ Dominũ habemus. Sicque demum longa ac lenta infirmitate consumptus, integerrimis sensibus accepto viatico Dominici Corporis è vita excessit, 4. die mẽsis Aprilis summo cum omniũ luctu; qui sanctissimum ac vigilantissimũ animarum medicũ, parentem omniũ longè amantissimum & publicæ libertatis patronũ ac cõseruatorem extinctum esse clamabant: adeò vt Stilico Comes, homo alias non ita æquus per Ambrosij mortẽ Italiæ ruinam imminere diceret: quod hũc sua vir-

Vide quanti fecerit eum S. Augustinus.

Fœlicissimus obitus eius.

virtute tanquam firmissimam ac constantissimā basim imperiū sustinere crederet. Ceterū plura eius scripta desiderantur; nonnulla verò ab eo alienissima, eius tamen titulo cusa leguntur: Complures nimirum sermones S. Maximi Episcopi Taurinensis, sicut & alia quædā aliorum: vt S. Prosperi & aliorum; vtinam & non Pelagij etiam Epistola ad Demetriadem scripta. Porrò sicut prius in vita, sic & eximijs post obitum signis, sanctum suū Deus glorificauit.

Ambrosij plura scripta desiderata.

DE CONCEPTIONE GLORIOSAE *Virginis Mariæ: ex Reuerendo Patre Petro Canisio, societatis Iesu Theologo.* a *Ea quidem festiuitas in Angliæ primū anno Domini 1070. agi cæpta est: occasione cuiusdam reuelationis, *Elsino Anglo Abbati, maris tempestate periclitanti exhibitæ, & subsequentis miraculi testimonio probatæ. Postea verò eandem celebritatem recepit ecclesia Lugdunensis; & postremò accessit Romanæ Ecclesiæ assensus atq; decretum: nouissimeq; SS. Concilium Tridentinum, ac Pius V. Rom. Pontifex eam seruandam esse firmārunt.*

a *Teste C. Baron. in Not. Vbi plura videre licet.*

* *al. Elpino.*

QVANQVAM de intemerata Gloriosæ Virginis Conceptione nullum Ecclesiæ Romanæ iudiciū certū reperimus, nisi quod Sixtus quartus Pōtifex lege lata definierit; neutrius partis damnandam esse sententiā, siuè Mariam sinè peccato conceptam affirmātium, siuè contrà illam in originis peccato cōceptam affirmantium, eandemq; legem rece- 8. Decem.

perit & confirmauerit postrema Synodus Tridenti celebrata: tamen puram eius fuisse conceptionem & ab omni peccati contagione alienam verisimilius est: præsertim cum rerum omnium Conditor Deus summam facultatem habuerit, Matrem quam vellet, ex omnibus deligendi, ornandi, sanctificandi. Nec dubium est, quin eam potissimum ad hoc tantum munus adsciscere voluerit, quæ sibi gratissima, nec non puritate & innocentia foret simillima. Quid enim? An non Dei iudicio indecorum & ipsi Christo quodammodo ignominiosum esset, si tanti filij Matrem actionis vitio pollui fateremur? Sed quanto maiorem & Christo & Matri conflabit ignominiam, si Originale piaculum, quod hominem Deo inimicum efficit, in Mariam deriuemus? quum hoc peccatum quodammodo præponderet actuali: longeque sit existimandum grauius siue infectionis, siue turpitudinis, siue magnitudinis ratio habeatur? Deindè si Christi consulamus honori, quid minus congruum obsecro, quam talem illi assignare parentem, quæ peccati serua, Dei inimica, maledicto obnoxia, ipsiq; dæmoni aliquãdo subiecta fuisse credatur; Ad hæc, si nec venialiter quidem delinquere decebat Mariã: ne vllam cum Belial cõuẽtionem vel societatem habere videretur illa, quæ Christo semper debuit esse coniunctissima; quanto minus illam decuit fœdissima Originis macula conspurcari? ne summa illius cum Christo affinitas, perfectaque coniũctio, hoc infami crimine, per quod Adæ filij omnes diabolo coniunguntur, vel labefactaretur, vel offus-

Verisimile est Virginem Mariam sine originali peccato conceptam.

Argumenta quibus pura Mariæ conceptio adstruitur.

offuscaretur? Postremò si æternæ Sapientiæ & Sancto sanctorum non nisi purum sanctumque domiciliũ instruendum fuerit & accommodandũ: certè huc maximè pertinet, si corpus non solum è veniali, sed etiam ab Originali peccato purum & incorruptum Matri Redẽptoris attribuamus: vt habitet nempè Christus, aptamque sibi Sedem æterna Sapientia vendicet in vtero non expurgato, sed semper immaculato: quem nulla vnquam veteris fermenti labes vel modicè asperserit atque vitiârit. Hoc nisi Mariæ donemus, ac de illa nobis persuadeamus, non video sanè, quàm rectè perfecteque dicat illi sponsus ille cælestis, quod Thomas dici rectè postulat: Tota pulchra es amica mea & macula non est in te. Quomodò enim in oculis Dei hæc verba loquentis tota pulchra & immaculata censeatur, quæ tam enormis peccati velut cœno oblita & defædata, suum primęuium debitumque nitorẽ amisit, & quasi sub nequissimi serpentis pedibus deuicta iacuit atque prostrata?

Canticor. 4.

Atqui nõ decet, inquiunt, Mariæ Cõceptionẽ Christi Cõceptioni exæquari; qui solus absque peccato Cõceptus, in hunc debuit prodire mundũ: vt ex immundo Conceptos semine purificaret. Absit procul, vt cũ Christi aliqua iniuria de Mariæ Conceptione philosophemur: & tanti filij gloriam propter Matrem, dicam & ancillam, obscuremus. Vni Christo hãc incomparabilem & perpetuam vindicamus prẽrogatiuã, quòd non ex Virili semine, sed supra omnem naturę ordinem Spiritûsancti virtute in Virginis vtero Conceptus fuerit: quod

Mariæ pura Conceptio, non præiudicat Christi Conceptioni.

Christi Conceptio multis modi excellit Mariæ Conceptionē.

eodem planè momento, quò carnem Verbum æternum assumpsit, perfectus Deus & perfectus Homo extiterit; quod omni ex parte per se purus, ac natura sanctus, nullo vel Mediatoris vel Redemptoris beneficio indiguerit; quòd statim ab ipso Conceptu tantam charismatum omnium abundantiam acceperit, nulla vt eis facta fuerit accessio; vtque iusti omnes quidquid bonorum habent spiritualium, ab illo fonte mutuentur, & sinè illo nihilomnino possint Deo gratum efficere; quod demũ tam eximiæ semper fuerit innocentiæ; vt nec peccatum fecerit, nec potuerit quidem peccare: licet pro nobis peccatum, imò & maledictum factus esse dicatur. Nihil autem horũ omnium Virgini tribuunt, qui Conceptionem eius illibatam piè tuentur: quinimò apertè fatentur, quod eadem ex maris & fœminæ coniunctione, & secundum legem naturæ procreata sit, peccato vtique subijcienda, ac inter iræ filias recensenda, nisi eximia & singulari quadã Christi filij ac Redẽptoris beneficio præseruata fuisset, quò minus natiui peccati sordibus inquinaretur. Nam vtrumque beneficium ad Christum pertinet Redemptorẽ; & culpã commissam lapsis cõdonare, & Mariam in perpetua innocentia, ne laberetur, cõseruare. Certè qui alterius ope, ne, hostis mancipium fiat maturè liberatur, redimi quidẽ & ille dicitur; suoq; Redemptori haud minùs debet, quã si captiuus ex ipsis vinculis eueretur. Non ergò Christi gloriã imminuit, sed singularem eius bonitatẽ atq; sapientiam magis magisq; commẽdat; quòd vt sæpè alias, sic

2. Cor. 5. Gal. 3.

Quo sẽsu Deiparæ Mariæ Conceptio probetur.

Ad Christi gloriam illustrandam facit opinio de Mariæ pura Conceptione.

sic etiam in Conceptione, Matris rationem filius maximam habuit: sanctamque semper radicem & arborem, ex qua fructus ipse sanctior prodiret, peculiari studio sibi præparauit.

PRAECLARVM MARTYRIVM S. EVlaliæ Virginis: Ex actis Vetustissimis: quibus consentiunt quæ hymno pulcherrimo cecinit Prudentius. a *Passa est anno Christi 303. Marcelli Papæ 7. Dioclet & Maxim. Impp. 20. Est & alia Eulalia martyr: Barcinone Passa eisdem persecutionis temporibus: sub vno eodemq; Præside Datiano: de qua Baron. in Notat. ad Mart. Ro. pridie Idus Februarij.*

a *Teste C. Baron. Tom. 2. Annal. vide & Notat. in Martyr. Rom.*

EMERITA prouinciæ Lusitaniæ Metropolis nobilissima, nulla re magis quàm nobili sanctissimæ virginis Eulaliæ agone illustrata inuenitur. Hæc, eadem tempestate, qua beatus Vincentius Christi ecclesiam admirando certamine illustrauit, puella annorũ non ampliùs duodecim ad similem martyrij gloriã incredibili ardore atque alacritate perrexit: Cùm enim rumore percrebuisset Dacianum Hispaniæ præsidem ab Imperatoribus destinatum, vt Christianam religionem penitùs exterminaret, multosque Christi athletas fide & pietate robustissimos horrendis supplicijs excarnificaret, hæc virgo nobilis & diuitijs inclyta, spretis vitæ huius oblectamentis, sponte ad Præsidem contendere, eumque tyrannidis arguere decreuit. At verò parentes eius de filiæ suæ dignitate ac vita corporali vehemẽter solliciti, eam domi, quam ruri procùl ab vrbe habe-

9. Decem.

Eulalia 12. annorũ puella ad martyrium pergit. S. Vincentij vita extat 22. Ianuarij. Tom. 1.

Detinetur à parentibus ne pergat ad martyrium.

habebant, inuitam cōdiderunt: nè in apertum se periculum conijceret, & crudeli morte perpetuum parentibus atque cognatis luctum relinqueret.

Clàm tendit ad certamē.

Itaque domi aliquamdiu summo parentum studio & diligentia detenta, cùm Christi amore æstuaret incredibili, nocte quadam, reseratis clāculum foribus, per inuia sentibus & vepribus plena, ad vrbem, angelico comitata præsidio, contendit: & primo diluculo tribunal intrepidè adiens exclamauit: Quis furor aut mētis insania vos, ô ciues, exagitat, vt mutis & nullo sensu præditis simulachris honores, supplici corpore, deferatis? Dij omnes deæque nihil sunt: sed & ipse Maximianus nihil: qui vos vnà secum in æternæ perditionis barathrum trahere, & sanctorum sanguine inebriari gaudet. Talibus Præses in furias excitatus, virginē eximia pulchritudine, & generis dignitate clarissimam comprehendi, & suppliciorum atrocitate ab huiusmodi confessione abduci iubet. Præstò ilicò fuêre carnifices: qui ferreis armati furcis mortem & atrocissima quæque intentabant. Sed & ipse Datianus Præses dæmonum fraudibus pariter instructus adfuit: qui huiuscemodi blanditijs incēsum amore diuino virginis animum ad relicta spretaque mundi oblectamēta reuocare conabatur. Quid, inquiēs, ô puellarum formosissima amplissimis doris, & thalamo proxima, huius vitæ gaudia fugis? quæ tibi fert genialis honor? Accede, & saniora tibi consulenti potiùs, quàm miseris Christicolis mortem & cruciatus temerè suadentibus, obtempera. Ad ea nihil respōdens delicata vir-

Vide admirabilem in tenera virgine fidei ardorem.

Horrendis cruciatibus eam terrere conatur Datianus.

Vide quomodo ei blādiatur.

ta virgo, sed spiritu fremens & in faciē tyranni sputa iaciens, simulachra dissipauit. Quo exemplo cæteri Christianorū permoti intrepido fortiq; animo ad idola frangenda passim prosilierunt: eaq; propter à Gentilibus ad supplicia abrepti, martyrio insignes è vita excessêre.

Cæterùm cùm Eulalia prostratis idoliis, impositam insuper thuribulis molam pede subigeret, carnifices iussu Præsidis festinè aduolantes, latera virginis vngulis inuadunt: pectus dilacerant: carnes ad ipsa vsque ossa crudeliter discerpunt. Virgo verò nulla prorsus doloris vel gemitus significatione data, in tantis cruciatibus Christi nomen inuicta prædicabat, oculosque in lacera membra interdum reflectēs seipsam purpureo decoratam sanguine, magnificè circumspiciebat: & magno exultans gaudio, vultu, oculis, & voce triumphum loquebatur. Quare Præses pudore pariter & furore affectus, totam eam flammis exuri, lampadibusque ad latera admotis, grauius torqueri iussit. Tum illa vt ostenderet quàm ingenti futuræ vitę desiderio teneretur, quamque pro nihilo cruciatus duceret, voraces flammas crines & verticem pascentes patulo ore haurire visa est: & eccè emicans ex ore columba niue cādidior cæli astra velociter petijt, simulque virgo sacra glorioso triumpho mox occubuit. Lictor aūt, viso tam stupendo miraculo, magno pauore, correptus fugam arripuit; & suam in virginem sæuitiam perpetuo animi dolore & luctu damnauit. De mirandis admodū signis, quæ ad eius sepulchrū fieri consueuerunt, vide Greg. Turon. de glor. Mart. lib. 1. cap. 91.

Statutū fuit postea in Cōcilio Eliberino: Si quis idola frangeret & ibidem occumberet, nè in martyrū numerū reciperetur: quia nec in Euangelio scriptū est, nec ab Apostolis factum vnquā inuenitur. Quod enim Eulalia priuato quodam diuini Spiritus impulsu fecit, id ab omnibus importunè & temerè vsurpari non debere multis Hispaniæ episcopis placuit. Hæc Baron. Tō. 2. Annal. anno citato.

Columba ex ore eius apparet & tradit spiritum.

al. Menæ.

MARTYRIVM SS. MENNAE, HERmogenis & Eugraphi: Ex eo quod est apud C. Baron. Passi sunt anno Christi 307. Marcelli Papæ 4. sub Maximino Imperat. Alius est hic Mennas ab eo de quo suprà 3. Idus Nouemb.

Vide Tom. 3. Annal. C. Baron.

10. Decēb.

CVM Diocletianus & Maximianus sese imperio abdicassent & Maxentius quidem ab eis Romæ, Constantinus autem Gallijs, Maximinus verò Orienti Imperatores præfecti fuissent, ingens repentè ab ipso Maximino & sęua admodùm tempestas in Christianos excitata fuit. Quo tempore illustris sanè martyr Mennas ex AEgypti Præfecto Augustali, martyrium consecutus est. Hic patria Athenienſis, Ordinis Senatorij, ob incredibilem quandam in rebus gerendis prudentiam atque solertiam, domi fortisque spectatus, Imperatori intimus erat, & cùm Christianum occultè ageret, nè id illi innotesceret, sedulo studio procurauit. Accidit autem opportunè sanè, vt cum causa Christianæ religionis Alexandrini grauiter tumultuarentur, ad eos compescendos atque in officio continendos, Augustali tunc Præfectura ab Imperatore auctus Alexandriam mitteretur: qui mira quadam, qua pollebat in maximis negotijs obeundis, dexteritate & aptitudine Alexandrinorum animos composuit; sibi verò eos ob animi facilitatem, morumque prestantiam deuinxit, indiesque magis magisque collatis officijs obligauit: vsq; adeò vt nonnullos ex illis ad Christianam fidem capessendam induceret, editisq; quibusdam miraculis, certioribus ijs, quæ

Patria Mennæ & dignitas.

Ab Imperatore Alexandriam mittitur ad compescendos tumultus.

quæ olim à Vespasiano, vel Tyanæo ad conciliandos sibi Alexandrinorum animos fuissent exhibita, in quamplurimos Gentiles Christianitatem propagaret. Cùm autem res eò perducta esset, vt iã in occulto ampliùs esse non posset, Maximinus literis Gentilium certior factus, ad vlciscendum facinus mittit Hermogenem Alexandriam, qui Mennæ succedat, inque eum vt impium animaduertat. Erat Hermogenes & ipse Athenienſis; at licet Ethnicus, tamen, quæ secundùm optimos mores est, vitam instituerat. Hic cùm venisset Alexandriam, Mennam nactum satellitio destitutũ (est enim consuetudo in AEgypto, vt cùm proximè accedit nouus, qui ab Imperatore delectus est Augustalis Præfectus, ille prior confestim magistratum deponat) detrudi iussit in carcerem: eumque sequenti die pro tribunali sedens audiuit rationem reddentem Christianæ à se susceptæ religionis: non quidem temerè, sed maturè admodùm atque consultò; quippè qui anteà post perscrutatas omnes Philosophorum Gentilium disciplinas, libros quoq; Christianæ religionis impensiùs legisset, & quæ in ijs essent, accuratiùs disquisisset: cùm veritatis, quàm in eis adinuenisset, præpotenti vi quadã permotus atque captus nonnihil esset. Sic primò atque secundò auditus Mennas, etiam de Christiana fide à se suscepta parãs defensione, Hermogenem in se acrius concitauit: qui primò (quod incomparabile tormenti genus habebatur) illius pedum plantas excoriari iussit; linguam præcidi: oculosque conuelli: sicque penè exanimem & extinctum reddi carceri.

Miraculis claret, & multos ad Christũ conuertit.

Hermogenes ab Imperatore Alexandriam mittitur vt Mennam supplicio subdat.

Detruditur in carcerem Mennas.

Horrendè cruciatur S. Mennas.

Sed

Pœnitet Hermogenē tantæ crudelitatis.

Sed prudentior factus, nimiæ crudelitatis, quā in Mennam tantum virum præter morem exercuisset, seipsum redarguit; atque adeò, vt lachrymas angoris animi indices abundantiùs fuderit, & quem in carcere defunctum putabat, honesto funere manè sepelire decreuerit.

Mennas diuinitus sanatus.

Sed præter spem accidit, vt cùm de asportando è carcere corpore militibus mandasset, eū viuere atque pristinæ naturæ officijs esse diuinitùs restitutum audiuerit, testesque milites de carceris fulgore coruſco numinisque præsentia firmiùs affirmantes, & fidem Christianā palàm profitentes, atque in alios hęc admiranda adeò diffamantes expauit: rēque altius contemplatus, Christi cœpit mirari potentiam eiusque diuinitatis, docente Menna, originem accuratius perscutari: diuineque illi gratię lumine affulgente de fide suscipienda consilium inijt; quod & baptismate sacro suscepto perfecit.

Hermogenes ex ethnico fit Christianus.

Baptizatur.

Sed delata hæc cùm essent per quendam Senatorem Rusticium Maximino: collapsamque penitùs duorum Præfectorum opera Gentilitiam superstitionem audiret, idem ipse euestigio Alexandriam venit, Hermogenemque primò in fidei confessione perstantem, manibus ac pedibus amputatis, direque admodum verberatum vnà cum Menna alijs tormentis exagitato capite truncari iussit. Sed & quidam Eugraphus olim Mennæ minister, quòd corā Imperatore magna constantia Christum confessus esset, ab eodē indignatione furente gladio cōfossus occubuit. Sacrum verò corpus huius Mennæ translatum est Constantinopolim: ac

Imperator ipse Alexandriam venit & vtrumq; capitis damnat.

Eugraphus Mennæ minister necatur.

postmodum à Iustiniano Imperatore inclyta honoratum Basilica: Teste C. Baron. in Not.

VITA PLANE ADMIRANDA S. DAnielis Stylitæ: Ex ea quæ est fidelissimè conscripta per Simeonem Metaphrast. Obijt anno à Partu virgineo 489. Felicis Papæ 7. Zenonis Imperat. 16.

Vide Tom. 6. Annal. C. Baron.

EST vicus in Mesopotamia, vrbi Samosatorum vicinus Maratha nomine, qui Danielis Stylitæ natiuitate celebris euasit. Pater ei fuit Eliu, mater verò Martha nomine: qui filium à teneris vnguiculis sanctioribus disciplinis imbuendum curarunt. Cùm autem annorum esset duodecim tactus monasticæ vitæ desiderio, relictis parẽtibus, spretisque delicatioris vitæ blandimentis, clàm ad religionis asylum confugit: vbi cùm assiduo labore solidissima sanctioris vitæ fundamẽta iecisset, animo maiora quotidiè certamina appetens, tandẽ summa Præfecti sui voluntate sacrosancta loca lustraturus, Simeonem in colũna degentem, & fama sanctitatis toto orbe celeberrimum, conuenit: cuius non modò exemplo, sed etiã prophetia (vtpotè qui diceret Danielem haud leuibus pro Christo laboribus exercendum) adeò ad simile vitæ genus exarsit, vt ægrè se ab illo auelli pateretur.

11. Decem. Patria & parẽtes eius.

Confugit ad monasteriũ.

Venit ad Simeonem stylitem: cuius vita habetur Tom. 1. 5. Ianuar.

Porrò ad monasterium reuersus paulò pòst Præfecto è vita sublato ad regimen votis precibusque omnium vocatus fuit. At ille honorum scopulos remisque velisque, quod aiunt, fugiens, clàm omnibus, se indè proripuit, & Si-

Difficulter auelli potest à Simeone.

Fugit Constantinopolim nè Abbas fiat.

Dæmones expellit ex quodam fano.

Clerici in eũ insurgunt & maleficij apud Episcopũ accusant.

Habitat in columna Daniel.

Eum vult è columna de-

& Simeonis stylitæ ei in specie senis apparentis hortatu Constantinopolim adijt. Palæstinam ideò potissimum relicta, quòd Samaritani incolas Christianos bello lacesserent: & amicum cælesti philosophiæ quietem interturbarent. Itaque sacra templa Bizantij obiens, vt audiuit fanum quoddam esse malignis spiritibus miserè obnoxium: locumque Philemporum nomine accolis infestum: sine mora eò, cũ hoste conflicturus, contendit. Vbi cùm infestorum dæmonum clamores, lapidum ictus, horribiles cacodæmonũ formas egregiè aliquamdiu sustinuisset, fidé & virtute cunctis hostibus superior, tandem impuram illam dæmonum ceteruam fudit fugauitque: & locum, stupẽtibus miraculi nouitatẽ accolis, pacatissimum reddidit.

Sed eo damno affectus dæmon, mox Clericorum animos inuidia commouit, ac tanto calumniandi furore succendit: vt nihil nõ apud Anatolium Bizantij episcopum molirentur, vt Danielem tanquàm maleficum ac magicis artibus imbutum loco pelleret. Sed vicit eorum calumnias spectata viri virtus, & sanctitas: prorsus vt episcopus viso Daniele vehementer gauderet, hominemque haud secus ac verum cælicolam amplecteretur. Porrò Daniel Simeonis institutum modumque viuendi mente ac cogitatione assiduò voluens, tandem & ipse semel iam iterumque oraculo admonitus columnam conscendit: sed, vt fit, sanctioris vitæ instituta vixdum aggressus omnium in seodia, & ipsius inprimis loci Domini, Gelasij concitauit. Is igitur paulò post furibunda mente ad

virum

virum sanctum è columna deturbandum accessit. Sed Christo famulum suum protegente, cùm mira esset cæli serenitas, repẽtina imbriũ ac grandinis exorta tempestas hominem quidem nonnihil exterruit, sed amentis stultitiã nequaquam extinxit. Itaq; columnæ iam propinquior factus, Danielem inclamans, mandauit vt festinus descenderet. Cumque admotis scalis vir sanctus, pedes tumidos & vlceribus atque vulneribus, præ diurna nocturnaque statione, plenos proferret: Gelasius eo spectaculo misericordia motus temerarij sui facti veniam petijt: & in ea columna manendi nõ modò potestatem fecit, sed aliam quoque excelsiorem firmioremque suis sumptibus viro sancto exstruxit. In quam transiatus cum maiori indies virtute & miraculorum gloria clarus euaderet, homines quidam hæretica prauitate infames, vt illius vel Christi potius gloriam obscurarent, meretriculam ingenti precio cõduxêre, vt eum vel saltem discipulorum eius aliquem ad impuri amoris libidinem prouocaret. Illa verò arti suæ fraudique non defuit: sed cùm omnes suos conatus irritos cerneret, ne lucri diu expectati precio fraudaretur, reversa ad suos impudentissimè affirmauit, Danielem libidinis telo vehementer sauciũ violentas illi manus, quòd pro voto cupitis amplexibus frui non poterat, afferre voluisse. Eo rumore impiæ mulierculæ & hæreticorũ fraudibus increbrescente, & viri fama apud nonnullos periclitante, mox iustus Deus suorum protector Mænadem illam dæmonio tradidit: à quo exagitata vehementius, & Danielis in-

turbare, Gelasius loci Dominus.

Visopedum tumore, quẽ Daniel ex diuturna statione contraxerat totus mutatur.

Impudens scortum incredibilia fingit de illo.

Corripitur dæmonio.

Eam sanat S. Daniel.

lis innocentiam & hæreticorum insidias integrè detexit. Adducta deindè ad virum sanctissimum, eius precibus & à dæmone purgata & à vinculis peccatorum absoluta fuit.

Fit Sacerdos Daniel.

Post hæc Gennadius Episcopus Constantinopolitanus, iussu Imperatoris columnam accedens Danielem sacerdotio, inuitum planè & reluctãtem, initiauit. Quo munere affectus adeò se totum diuinis rebus & meditationi cælestium cõsecrauit, vt corporis quodammodò expers solo spiritu constare putaretur. Dequodam cum aëris intemperies frigusque seuirent, fuit à discipulis nudus planè, & toto corpore concretus atq; in glaciem propemodùm conuersus inuentus. Cumque aquis calidis alijsque fomentis vitalem spiritum reuocare contenderent, ipse omnis ferè sensus expers: Ecquid, inquit, mihi molestiam affertis, & suaui oppressum somno vexatis? Nam cùm modò precationi intentus Domini auxilium inuocarem, accidit vt parùm dormitarem. Sic ille planè mente atq; cogitatione cælestia tractabat, vt iam non in terris, sed in ipso cælo versari videretur. Et quidem tantis tamque asperis per omnem vitam exercitatus laboribus, nulli morbo vel corporis iniuriæ obnoxius ad octogesimum primum vsque peruenit annum: vir summis infimisque honorabilis: & Regibus atque Imperatoribus tanta veneratione ob vitæ sanctitatem, prophetiæ Spiritum, & miraculorum splendorem conspicuus, vt non rarò ad eius se pedes abijcerẽt, precesque quoiuis robore bellico firmiores, pro regni firmamento & sua subditorumque salute implorarent.

Horrendos corporis cruciatus planè non sentit.

Nota ætatè in tantis laboribus & inedia sanã & robustam.

Migrat ad Christum octogenarius.

rent. Cæterùm quàm esset pretiosa in conspectu Domini mors eius, ilicò ab obitu, præclaris miraculorum prodigijs diuina potētia manifestauit. Tres siquidem stellas Cruces, cùm dies esset, & sol luceret clarissimus, cum summa pulchritudine & splendore dicuntur apparuisse, & stetisse super preciosum illius loculum: quinetiam volasse columbas candidissimas: gratiam Spiritus sancti quę cum eo semper est significantes.

Signa quæ ad loculum eius contigêre.

CERTAMEN SS. MARTYRVM ALEXANDRINORUM, *Epimachi, Alexandri, Ammonarij virginis, & sodalium eius: Item Hieronis, Isidori, & Dioscori, ac sociorum eorum. Vt habetur Ecclesiasticæ Historiæ Eusebij Cæsareensis, Lib. 6. cap. 34. ex epistola S. Dionysij Alexandrinorum, ad Fabium Antiochenum. Passi sunt anno Christi 253. sede vacante, Decij verò Imperat. 1.*

Vide Tom. 2. Annal. C. Baron.

EPIMACHVS & Alexander non longo pòst tempore, quàm vincti tenebantur, multos perpessi dolores, nouaculis dilaniati & flagellis lacerati, ad extremum ardentissimis flammis circumiectis absumpti fuerunt. Quibus quatuor mulieres fidei cōstantia & martyrij gloria illustres adiungebātur: quarum prima fuit Ammonariū, sancta virgo: quæ cum diu admirabili fortitudine horrēdos cruciatus pertulisset, & sæuientem ac blādientem iudicem summa virtute contempsisset, postremò vltimū suppliciū inuicta subijt. Mercuria

12. Decē.

Epimachus & Alexander viui cremantur.

Ammonariū virgo dirè cruciatur.

Item Mercuria Dionysia.

Altera Ammonarium.

Demùm plectuntur capite.

14. Decemb. Hierō, Ater, Isidorus & Dioscorus.

Dioscori adolescentis constantia.

secunda erat, anus inprimis veneranda. Tertia, Dionysia, quæ quanquàm erat multorum liberorum parens, illos tamen Domino in amore minimè prætulit. Quarta, Ammonarium altera: quæ tres, cùm præses vereretur nè incassum tormenta illis infligeret, & quodammodo euinceretur à mulieribus, nullum cruciamentorum genus amplius subire cogebantur: sed statim capite obtruncato, mortem oppetunt. Pro omnibus enim prior Ammonarium, tanquàm in prima dimicationis acie locata, satis tormentorum exceperat.

Hieron prætereà, Ater, & Isidorus AEgyptij & Dioscorus vnà cùm illis, adolescens quindecim annos natus, iudici traduntur. Et primùm Iudex adolescentem tanquàm blāditijs obnoxium, blandis in fraudem inducere verbis, tum velut remissum & flexibilem ad fidem negandam, tormentis impellere tentat. Sed Dioscorus neque blanditijs quidquàm commotus, neque supplicijs exterritus, impiæ Iudicis persuasioni restitit viriliter. In reliquos igitur rabiem suam conuertens acerbissimè crudelissimeque verberibus dilacerat: quos cùm tormēta magno & fidenti animo pro fide tolerare cerneret, rogo cremandos tradit. Dioscorum autem cùm propter singularem animi magnitudinem, quam palàm ostenderat, tum propter prudentissima responsa, quæ ad singula rogata dederat, iudex magnoperè admiratus, dimisit: affirmans se propter ætatem certos dies illi velle concedere, quibus resipiscendi haberet facultatem. Iam ergò Dioscorus summa pietate eximius nobiscum est: expectans cùm certamen

men prolixius, grauiusque, tũ amplexius præmium & diuturnius.

Porrò Nemesis quidam & ille etiam AEgyptius, falso in crimen vocabatur, quòd cum latronibus societatem coiuisset: sed istam calumniæ notam ab eo alienissimam quidem, cùm coram centurione diluisset, iterùm per iudicem fuit delatus, quòd Christianus esset, vinculisque constrictus ad præsidem venit. Iste iniustissimus præses beatum martyrem tormentis & verberibus duplo grauioribus, quàm latrones ipsos afflictans, exemplo Christi inter latrones interiectum (vndè non parum honoris adeptus est) feruido ignis exurit incendio. *29. Decem. Nemesis AEgyptius.*

Quædam porrò militum turma derepentè accedit: nimirùm Ammon, Zeno, Ptolomæus, Ingenes, & pariter cũ illis senex Theophilus: qui præ tribunali se ipsi stiterunt. Cùm igitur quidam, quòd Christianus esset, in quæstione versaretur, & iam ad fidei negationem propẽderet: isti assistentes, præ rei indignatione dentibus frendere: vultum mutare: manus extendere: toto denique corpore gestus quosdam agere. In quos cùm omnium ora essent conuersa, priùs quàm vlli alij in eos inijcerẽt manus, illi ipsi ad subsellia accurrere; se Christianos profiteri: sic, vt cùm præfectus & assessores qui aderant ei in concilio, timore obstupescerent, tum Christiani in quos iam inquirebatur, ad ea tormenta, quæ pòst essent perpessuri, tolerantur sufferenda maximè cõfirmarentur: tum denique iudices, qui essent contra eos sententiam pronunciaturi, maximo metu ex- *20. Decem. Ammon, Zeno, Ptolomeus, Ingenes, Theophilus.*

horrescerent: isti verò è foro gloriantes abscedere, & præ testimonio quod Christo perhibuerant, summo gaudio exultare; Deo per illos gloriosos triumphos agente: Alij præterea complures in vrbibus & pagis, à gentibus distracti erant, & quasi membratim discerpti: ex quibus vnum exempli gratia commemorabo.

22. Decemb. Ischyrion.

Ischyrion cuiusdã magistratus negocia mercede conductus procurat: is qui eum conduxerat iubet idolis sacrificare: quem, cùm mandato minimè obsequeretur, cœpit conuicijs lacerare: ac cùm constanter fidei adhæresceret, grauibus affecit contumelijs: atque vbi vidit pacatè eum & tranquillè omnia sufferentem, arrepto fuste præacuto, intestina ac viscera illius transfodit, crudeliterque interemit. Quid attinet multitudinem eorum percẽsere, qui in solitudine & montibus vagi, errantesque, fame, siti, frigore, morbis, latronib⁹, bestijs fuere extincti? Quorum electionis beatæ & eximiæ victoriæ quanquàm testes sunt hi, quibus adhuc ex illo numero vita suppeditat: tamen vnum aliquod facinus proferam, quò res istæ sint exploratius cognitæ perspectæque.

Complures martyres diuersis supplicijs interimuntur.

Chæremonis Episcopi cũ suis fuga.

Chæremon Episcopus ciuitatis quæ Nilus dicitur, cùm iam planè grandis esset, & ætate propè exacta, cum suis ad montẽ Arabiæ confugiens, neque post reuersus est, neque vsquam eos quispiam videre potuit. Et licet fratres iam aliquoties eos quærerent, tamen neque ipsos neq; corpora eorum vspiam reperire potuerunt. Permulti sanè in eo Arabico monte erant à barbaris Saracenis in captiuitatem abducti;

ducti: quorum alij ægrè quidem & vix ingenti pecuniæ summa redimi potuerāt: alij hactenùs nullo modo. Atq; ista, mi frater, non frustrà equidē dicendo prosecutus sum: sed vt cognoscas quātæ, & quàm acerbæ calamitates apud nos obtigerint: quas qui fuerint magis experti, plura de illis & sciunt, & dicere possunt.

MARTYRIVM SANCTISSIMAE VIRginis Luciæ: quæ passa est Syracusis anno Christi 303. Marcelli Papæ 7. Diocleti. & Maxi. 20. Ex eo quod extat apud V. P. Laur. Surium.

Teste C. Baron. Annal. Tom. 2.

CVM Syracusani per milliaria propè quinquaginta ad Catanensium vrbem, sepulchrum beatæ Agathę, fama sanctitatis & martyrij gloria per vniuersam Siciliæ prouinciam celeberrimæ visitaturi confluerent: Lūcia quoque Syracusanorum nobilissima & virgineo candore nitidissima, cum matre sua Eutychia, pariter festiuitatis gratia inuitante, eò perrexêre. Porrò Eutychia continuis quatuor annis sanguinis profluuio miserrimè vexata nulla medicorum arte curari poterat. Cumque ad diuina peragenda mysteria, lectio Euangelica recitata esset, quæ mulierem fimbria vestimenti à fluxu sanguinis liberatam habet, Lucia ad matrem conuersa: Si, inquit, lectis fidem adhibes mater, crede Agatham pro Christi nomine passam hoc meruisse, vt facilè ab eo quiduis impetrare possit, pro cuius nomine passa est. Contingе ergò eius sepulchrū, quæ Christo perpetua charitate vnita est, & sanitatem consequeris.

13. Decem. *En antiquā consuetudinē sanctorum sepulchra visitandi.*

Marc. 5. Matth. 9.

Igitur peractis omnibus cùm populus abscessisset, mater & filia antè sepulchrum prostratæ cũ lachrymis sanctissimæ Martyris suffragium deuotè implorarunt. Et eccè dum orationis prolixitate grauata Lucia à somno corripitur, videt ipsam Agatham in medio Angelorum coruscantibus ornatam gemmis ita dicentem: Soror mea Lucia, quid à me petis quod ipsa continuò præstare potèris? Nam & matri tuæ fides tua subuenit, & illa pristinæ sanitati restituta est, & sicut per me Catanẽsium ciuitas sublimatur à Christo, ita per te Syracusana decorabitur: quia iucundum Christo in tua virginitate habitaculum præparasti. His auditis Lucia è somno excitata tremens acclamat matri: Mater mea, Mater mea: eccè sana facta es. Per ipsam deprecor, cuius beneficio sanitatem obtines, ne vnquàm mortalem mihi sponsum nomines, neuè de corporis mei posteritate mortalitatis fructum inquirere velis: sed omnia quæ eũti mihi ad corruptionis meæ auctorem, hominem moriturum, datura es, da potius tẽdenti ad integritatis meę auctorẽ Dominum Iesum Christum. Nec mora: Mater salutari prudentissimæ filiæ consilio inducta, rerum suarum distractionem fecit alacriter: easque pauperum necessitatibus quotidiè impendens, de solis æternis cum filia perpetuò philosophabatur.

Agatha Luciæ prædicit Syracusanã ciuitatem eius martyrio decorandam.

Virgo Lucia facultates suas distribuit egenis.

Intereà cùm prædiorum gemmarumque distractio ad sponsi notitiam perueniret, is indignatione commotus apud Paschasium Præfectum eam, quòd Christiana esset, & contra Augustorum leges vitam institueret, accusauit.

A Sponso suo accusatur.

Quam

Quam ille corripiens cum ad dæmonum sacrificia inuitaret, Lucia impio respondens; Sacrificium, inquit, viuum & immaculatũ apud Deum & patrem hoc est, visitare viduas & orphanos in tribulatione eorum. Ego verò toto hoc triennio sacrificium hoc Deo viuo gratissimum obtuli. Iam quia nihil super est quod offeram, meipsam Deo hostiam viuẽtem libens sacrifico. Quod ipsi placet, de hostia sua faciat.

Iacob. 1.

Cumque hæc inter & alia multa, nec precibus, nec minis virginem ad idolorum cultum perducere posset, imò tanto magis incensam videret, ad celebrandas Christianæ fidei laudes, quanto magis ipse eam à sententia auertere conabatur; Cessabunt, inquit, verba, cum ventum fuerit ad verbera. Cui Virgo; Dei seruis verba deesse nõ possunt, quibus à Christo Domino dictũ est: Cùm steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus sanctus qui loquitur in vobis. Quam cum Paschasius interrogasset. Estne ergò in te Spiritus sãctus? Respõdit illa: Castè & piè viuentes (vt testatur Apostolus) templum sunt Spiritûs sancti. At ille: Iubebo te ad lupanar duci, vt te Spiritus sanctus deserat. Cui Virgo: Siquidem inuitam me iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam; nunquam enim inquinatur corpus: nisi de consensu mentis. Sed enim tametsi in manu meathura ponas, & per manum meam sacrificijs iacias: Deus hæc attendit & irridet: de

Sapientissimè respondet Iudici S. Lucia.

Matth. 10.

1. Corint. 3.

Præfectus dum eam ad lupanar vult pertrahere, nulla vi loco moueri potest.

sensibus enim & voluntatibus iudicat.

Quibus auditis Paschasius ira inflammatus Luciam eò pertrahi iussit, vbi virginitas eius violaretur: sed diuinitus factum est, vt tanto pondere firmaretur, vt nulla vi de loco dimoueri posset, Quamobrem Prefectus in eius circuitu copiosum iussit excitari rogum, eamque pice, resina, ac feruenti oleo perfundi, vt flammis absumpta nullam sui memoriam reliqueret. At illa in medijs flammis illæsa permanens: Ego, inquit ad Præfectum, à Domino Iesu Christo martyrij mei inducias obtinui, vt credentibus timorem tollerem passionis, et non credentibus vocem insultationis auferrem.

Ab igne nihil læditur.

Gladio trãsfixa diu superuiuit.

Hac tanta Martyris virtute angustiari Paschasium non ferentes amici eius; indignabili di gladium in eius viscera mergi fecerũt. Quo vulnere accepto nõ quidem statim expirauit; sed quamdiu voluit orationi intenta, pacem Ecclesiæ breui reddendam gratulabunda turbæ circunstanti annunciauit. Hæc loquẽte Dei famula, visceribus iã gladio patefactis, antè oculos eius Paschasius crudelitatis minister ferro vinctus ducebatur. A Siculis namq; accusatus, quod prouinciã prædatus fuisset, Romã catenis ligatus perductus fuit: vbi capitalẽ sententiã scelerum suorum præmium accepit.

Paschasius præses plectitur capite.

Christi autem martyr eodẽ in loco consistens non prius spiritũ emisit, quã viuificis munita sacramẽtis supremã cũ insita pietate orationẽ peregisset, & sacerdotes Amen pronũciassent. Corpus eius post varias trãslationes postremo translatum est *a* Metim vrbem Galliæ vbi etiãnum in Ecclesia S. Vincentij requiescit.

Moritur virgo sacratissima. Teste Ioan. Molan. In Annot. Martyr. Vsuardi.

MARTY.

MARTYRIVM SS. EVSTRATII, AVxentij, Eugenij, Mardarij & Orestis: Ex eo quod est per Simeonem Metaphrasten. a *Asseruantur eorum corpora Romæ in Ecclesia Sancti Apollinaris episcopi: vbi stabilitum est collegium Germanicum.* b *Passi sunt sub Galerio Maximiano in Oriente Imperante: incerto quidem anno.*

Vide Baron. in Not. ad a *Martyr. Rom. &* b *Tom. 3. Annal.*

EO tempore quo Agricolaus in Sebastenorum metropoli Imperatorum edicta executurus, acerrimam in Christianos persecutionem meditabatur, & Lysias pari crudelitate vir, in Sateleon versaretur, Eustratius quidam pietate atque virtute insignis, cum animaduerteret vel fugam vel certamen cum tyranno necessariò sibi esse subeundum, animi anxius, ne fortè in confessione diris cruciamentis succumberet, post multas preces & lachrymas Deo exhibitas tali ratione diuinam mentem consulendam statuit. Solutam de corpore zonam vni famulorum suorum omnium fidelissimo, ad aram in ecclesia * Arabracinorum deferendam tradidit: & siquidem eam Auxentius notæ pietatis sacerdos, primus omnium tolleret, sperabat Deum propitium sibi futurum, vireſque ad certamen intrepidè & constanter peragendum largiturum. Sin autem alius quispiam ad tollendam ex ara zonam prior veniret, haberet hoc pro certissimo diuini consilij & prouidentiæ iudicio, vt fuga potius salutem quæreret.

13. Decem.

Eustratij magna pietas.

* *al. Araucenorum.*

Auxentius presbyter optimi testimonij.

Itaque deposita in altari zona, famulus oculorum aciẹ perpetuò adhibita, tandem ipsum

Auxen-

Auxẽtium tanquam ab aliquo missum ad aram tendentem, Zonamque tollentem cernit. Quo nuncio accepto Eustratius, tanto delibutus est gaudio, vt omnes summæ dignitatis amicos et Prætorio domum suam abduceret, & lautissimo conuiuio, quali antea nunquam, exciperet. Vultu, verbis, moribus, denique & gestibus lætitiam significabat; ita vt insuetum hoc spectaculum cunctis maximam admirationem commoueret. Vnus igitur ex ijs ætate iunior, sed charitate præcipuus, Eugenius nomine, familiari sermone tantæ lætitiæ causam percunctatus est: Nunquid, inquit, propterea hoc insolito perfusus es gaudio, quod amplissimum die crastina ex Christianorum supplicijs lucrum expectas? Erant enim altera die Christiani, qui in vinculis tenebantur, quæstionibus subijciẽdi; & Eustratius eo anno Commentariensem agebat. Itaque vir sanctus amico suo respondens, Rectè, inquit, existimasti: Spero enim insequenti luce ijs me diuitijs cumulandum, quæ nullo deinceps tempore vel iniuria eripi poterunt.

En vt lætatur Eustratius ob futurum martyrium.

His ita constitutis Eustratius vinctos ad tribunal Præsidis, ex officio producturus, ad carcerem abijt; statimque omnes Christi martyres supplex rogauit, vt precibus suis inuictum animi robur à Deo sibi impetrarent. Tum verò, Agite, inquit, socius ego vester ego, pari vobiscum martyrij certamine probandus. Hæc dicens, præclarum confessorum exercitum ad Lisyæ Præsidis perduxit tribunal. Et conuersus ad Præsidem, En, inquit, coram hic adstat fortissimus Christianorum cœtus, mecũ vnà

forti & robusto animo tuas machinas à patre diabolo tuo inuentas perdituri. Et quidem Aurentius iam antè confessionē eximius nūc rursus tuo iussu è vinculis adest. Experire num eadem in viro fortitudo permaneat. Perculit hęc inopinata vox Præsidem vehementer, totusque stupore & iracundia plenus; Acerbius, inquit, hoc mihi, quam vnquam antea, extitit iudicium. Sed citò ab hoc oratore, scelerato carnifice, militaria auferte ornamenta: eumque toto corpore nudum funibus in aëra sustollite, ignem pectori eius subdite, humeros virgis & flagris laniate. Cumque in tantis supplicijs inuictus permaneret, Præses ira excandescens, muriam, inquit, aceto contemperatā membris igne combustis infundite, & acutis testis fortiter affricate.

Eustratij egregia coram iudice dicendi libertas.

In mare supplicium.

Dum hæc fierēt & martyr toto corpore fœdatus, nullam tamen doloris vel gemitûs significationem daret, Præses vt suam ipse miseriam nonnihil leniret, insultando ait: Iā emotæ mentis factus est; nam si Deus ille, de cuius potestate tantopere gloriatur, eum immortalitatis participem reddere posset, posset vtique & à præsentibus quoque tormentis liberare. Vix hæc impius ille effatus erat, & eccè, Eustratius, squammis quibusdam è corpore decidentibus, sanus repentè apparuit & nouo quodam decore perfusus. Cumque, viso miraculo, populus voces lætitiæ extolleret, Eugenius qui minorem magistratum gerebat, magno voce exclamans, Lysia, inquit, & ego Christianus nefariam idolorum superstitionem detestor. Hæc dicens ilicò compræhēsus, & simul

Sanatur diuinitus S. Eustratius.

Eugenij confessio.

& simul cum reliquis in carcerem coniectus fuit.

O immanem tyrannum.

Sequenti verò nocte Dux ad ciuitatem Nicopolitanam profecturus, Eustratium crepidis, acutis fibulis transfixis indutum & loris vinctum post se trahi iussit. Sequebatur reliqua confessorum caterua. Cumque ad castellum, prope Arauracos situm, peruentum esset, Mardarius quidam eiusdem confessoris amore vehementer incensus, vxore & libris Deo & cuidam suo amico commendatis, in medium prosilijt: & se quoque Christi testem esse exclamauit. Itaque & ille comprehensus ac reliquis sanctis in carcere & vinculis sociatus, præclarum suæ fidei & pietatis documentum dedit.

Vide feruorem Mardarij ad martyrium properantis.

Post hæc productus ad quæstiones Auxentius, cum nullis Præsidis blanditijs vel minis à Christianæ fidei confessione dimoueri possit, capitalem sententiam subire iussus certamen compleuit. Post eum adductus Mardarius miræ simplicitatis vir, nullum aliud verbum protulit, quam, Christianus sum, Sum Christi seruus. Ita namque instructus erat ab Eustratio; ne callidis diaboli veteratorib. in minimo ludibrio foret. Is igitur traiectis per pedum eius calcaneos terebra perforatos funibus in rotam suspensus fuit: & candentibus subulis tamdiu exagitatus donec in confessione spiritum emitteret. Tertiò loco Eugenius excisa lingua & manibus truncatis, tibijsque baculo confractis tradidit spiritum.

Auxentius decollatur.

Mardarius acerbissimè cruciatus expirat.

Item Eugenius.

His peractis Dux sceleratus in campũ prodijt, vt exercitûs sui delectum haberet. Cumq; omnes

emnes certatim ſuam, quã habebant in armis, oſtẽtarent experientiam, Oreſtes quidam vir procerus & forma decorus aureã ex collo geſtabat crucẽ eamq; ſub veſte fouebat: eò quod Chriſtianis quoque ſacris initiatus eſſet. Dum autem haſtam, ſpectante Lyſia, fortius vibraret, excuſſa è veſte crux ipſi inprimis Lyſiæ apparuit. Qui eam manu tollens, Ecquid eſt hoc, inquit; num & tu Crucifixi cultor es? Et ille: Chriſti, inquit, ſeruus ego ſum, eiuſque inſignia geſto ad omnia mala auertenda, quæ mihi ingruunt. Hoc dicto, protinus in vincula coniectus, glorioſi certaminis vnà cum Euſtratio particeps extitit.

Oreſtes miles crucem auream ad pectus geſtauit.

Conijcitur in carcerem.

Intereà Nicopolitanã ciuitatem ingreſſus Lyſias, mox nouam militum cohortem Chriſti cõfeſſione inſignem obuiam habuit. Certatim enim ſe illius cõſpectui ingerebant, ſolutiſq; zonis ſuis, quanta auiditate certamen expeterent, ſtupente Lyſia, declarabant. Quorum cõſtantia & multitudine perculſus, multoq; magis ipſius Euſtratij virtutem veritus, ne rurſus in certamine aliquod miraculum ederet, & Gẽtiles à ſimulachrorum cultu auerteret, Euſtratium & Oreſtem ad Agricolaum in ciuitatem Sebaſtenorum tranſmiſit.

Multi milites vltrò Chriſtum confitentur.

Quò, quinque poſt diebus, delati antè Agricolai tribunal cauſam dicere iuſſi ſunt. Ibi tũc Euſtratius tanta verborum elegantia & ſentẽtiarum grauitate, cum ex alijs Philoſophis, tum ex ipſo præcipuè Platone deorũ vanitatẽ oſtendit atq; redarguit, vt cuncti præſtantiſſimam viri eloquentiam prudentiamq; ſatis mirari non poſſent. At verò Agricolaus agreſti planè

Euſtratij eximia eloquentia & doctrina.

Orestes candenti craticulæ impositur.

planè ingenio vir, scelerum suorum tenebris occæcatus, lectum iussit afferri ferreum, inque eum, copioso igne candentem, Orestem prosterni. Orestes visa tam crudeli machina, primum quidem cogitatione exhorruit; sed mox Eustratij oratione, sanè luculēta, confirmatus, audenti & forti animo grabatum conscendit; statimque accumbens magna voce clamauit: Domine Iesu Christe, in manus tuas commendo spiritum meum: sicque beatam Deo animā reddidit.

Reddit Spiritum.

Testamentū S. Eustratij.

Cuius agone incredibiliter exultās Eustratius, cum denuò in custodiam datus esset, accito, qui cum eo erat, famulo, condidit testamēntum: in quo dimidiam mobilium bonorū partem pauperibus, aliam verò sororibus reliquit. Possessiones verò quas Arabracis habebat, ijs assignauit, qui in ministerio martyrij eorum, permansuri erant. Cauerat namque vt corporis eius reliquiæ cum Auxentij, Orestis, Mardarij, & Eugenij in oppidulo Arabracinorum, in loco qui Analicozora vocatur saluę & integræ deponerentur. Condito hoc modo testamento, eiusque executione Sebastenorum antistiti Blasio commissa, cæleste epulum de manu episcopi lætabundus accepit: vocatusque sequenti luce ad tribunal, ignis incendio à Præside Agricolao damnatus est. Qua accepta sententia, cum iam fornax, collucentibus vndique flammis, arderet, psallens gaudensque eam est ingressus: & inter verba orationis spiritum tradēns, ab ignis iniuria, non modò corpus, sed & ipsi pili illæsi permanserunt. Sanctissimus verò Blasius sanctorū reliquias, quo par

S. Blasij extat 3. Februarij. Tom. 1.

Psallens intrat in fornacem.

Corpus eius ab igne illæsum.

parerat honore, ex vltima Eustratij voluntate, honorificè condidit.

VITA S. AVTBERTI CAMERACENsis Episcopi: Ex ea quæ extat apud V. P. Laur. Sur. b Numeratur octauus eius Sedis episcopus. a Claruit Anno Christi 709. & sequentibus.

a Vide Tom. 8. Annal. C. Baron. & b Not. in Martyr. Rom. 13. Decem.

SAutbertus & Christi sacerdos eximius temporibus inclyti Regis Francorum Dagoberti eius nominis secundi, spectata vitæ integritate & sanctimonia clarus, defuncto Alleberto Cameracēsis sedis episcopo in dignitate successit. Quo honore decoratus summæ humilitatis vir, & cōtemptor terrenarum rerum eximius, hoc solum cogitabat vt purā sanctamque Deo seruitutē exhiberet, & cunctos sibi subditos eiusdem sanctimoniæ ac puritatis participes faceret. Erat tātis ornatus virtutibus vt ipse Rex Dagobertus, deposito regalis excellentiæ fastu, eius consuetudine colloquioque mirificè delectaretur. Qui cum ad eum de æterna futuri sæculi beatitudine, de gehennæ supplicijs, & pietatis studio, quo Christi gratiam comparamus, frequenter disseretet; Regis animus gaudio non modò exultabat, sed summi etiam beneficij loco reputabat, quòd tanti viri hospitio recipi eiusque familiari colloquio frui mereretur.

Succedit Alleberto in episcopatu.

Dagobertus Rex quantū eū fecerit.

Porrò discipulos habebat vir sanctus Landelinum Crispinij Abbatem; Vincentium Madelgarium Comitem; & cōiugem eius sanctissimam a VValdetrudē. Quorū sanctitati multi insuper diuini verbi præcones egregij, ex Scotia

Discipuli eius viri sanctissimi S. Landelini vita extat 15. Iunij. Tom. 2.

* Eius vitā vide apud Ioan. Molan. in Indic. SS. Belgij.

tia & Gallia: & ex ipsa Græcia sanctissimus b Gislenus se adiunxerunt. Horum potissimum studijs Hannonia à miseranda dæmonum seruitute redẽpta, Christianæ fidei mysterijs imbuta fuit. Porrò beatũ Autbertũ Angelos corporalibus oculis sæpè vidisse, multi audiêrit. Corpus S. c Vedasti ex vili sepulchro in locum cælitus designatum Atrebati, honorificè transtulit: ac ibidem insigne Monasterium cõstruxit. Hisce alijsque, quæ ad posteritatis notitiam non peruenerunt, virtutibus clarus S. Autbertus, cum maximis insitæ pietatis sanctitatisque documentis è vita excessit. Corpus eius fuit in basilica D. Petri, quæ tunc extra muros ciuitatis erat honorificè conditum: vbi ad tempora vsque Dadilonis, qui 14. ciuitatis istius episcopus extitit, requieuit. Cum verò Normanni Galliam depopulati essent, studio & magna eiusdem Antistitis diligentia in B. Mariæ Ecclesiam translatum fuit: vbi multo tempore quieuit: donec Herluini Præsulis successor Gerardus monasterium in quo sanctus Autbertus quiescit ab Herluino amplificatum, in memoriam S. Pauli solenniter consecrauit, sacrumque S. Autberti corpus suis sedibus restituit, anno Christi decimoquinto supra millesimum. Qui locus haud procul abest ab ecclesia sanctissimæ Dei Genitricis: in quo recta fide petentibus, beato Autberto intercedente, beneficia diuina præstantur eximia.

b Huius sancti vita habetur suprà 9. Octob.

c Eius vita extat. 6. Februar. Tom. 1

Obitus eius Felicissimus.

Quiescit Cameraci.

VITA

VITA S. IVDOCI, FILII REGIS Britonum & Confessoris: Ex ea quæ est per Florentium Abbatem. a Obijt anno salutis 653. Martini Papæ 5.

a Teste C. Baron Tom. 8. Annal. vide & Not. in Martyr. Rom. 13. Decem.

EXIMIVS Christi confessor Iudocus, illustri admodum stemmate natus, Rethaëli Britonum Regis filius, vnà cum fratre suo Rodichaële in maxima Regiæ dignitatis spe educatus fuit. Sed insito quodam religionis pietatisq; studio excitatus, & amore immortalis gloriæ mirabiliter incensus, cunctas regni opes deseruit; regiã dignitatem contempsit; voluptates aspernatus est: & quod mirabilius est, in vastã eremum, tanquam in portum vitæ longè tranquilliorem, confugit. Cum enim frater eius Rodichaëlis natu maior, defuncto parente, regni hæres factus, grauissimas (quas cum Dagoberto Francorum Rege aliquamdiu exercuerat) inimicitias deposuisset, totumq; regni statum pace & odio florentem reddidisset, studio admirabilis virtutis, quam mente & cogitatione voluebat, inflãmatus, honores omnes deserere regniq; administrationẽ in Iudocum fratrem transferre statuit, vt aureis illis compedibus solutus, integra animi libertate monasticis se totũ disciplinis consecrare posset. Quam fratris sui voluntatem Iudocus simulac cognouit, ipse sanctioris vitæ desiderio non inferior, octo dierum inducias postulauit: vt matura interim deliberatione habita, non tam de suscipienda regni administratione, quam de fuga rationem iniret. Cumque anxia cogitatione fluctuans,

Patria & Parentes.

Contemnit omnia & fugit in eremum.

Frater eius natu maior Christi amore incensus vult regnum relinquere & in Iudocum transferre.

Adiungit se duodecim peregrinis Iudocus.

viam omnem modumque inquireret, vt periculosos illos honorum scopulos, in quos frater eum impellere nitebatur, euaderet: accidit duodecim peregrinos Romam versus iter habere. Quibus conspectis ilicò se, secretò tamẽ, socium adiunxit, fratreque planè ignaro, relictis regni finibus, Parisios venit.

Ibi quasi in primo salutis portu constitutus, consiliũ cæpit à cupiditate gloriæ immortalis excelsum planè, ac homine terrenis rebus superiore dignũ. Dimissis namque comitibus, ad Pontinij cõfinia antiquis plena nemoribus, & inuia, atque inaccessa festinans, in vasta solitudine habitationis suæ locum constituit: omne ibidẽ vitæ tempus exacturus, nisi à Duce Haymone ab eo proposito per septẽ annorum spatium retardatus fuisset. Quo tempore & exactiorem literarum cognitionem imbibit, & sacris initiatus ordinibus, ad intermissa deindè solitudinis exercitia redijt.

Fit Sacerdos.

Extruit ecclesiam & cellam monasticam. VVulmarum eius discipulum.

Locus erat Brahic nomine; fluminis riuulis vndique circundatus; vbi ædificatis ecclesia & domicilio, cogitatum iamdiu cũ hoste certamẽ aggressus est. Erat illi discipulus VVulmarus nomine, cuius ministerio pauperũ necessitatibus incredibili charitate consulebat. Cũque quadam vice cunctis, quæ ad victum pertinebant, erogatis, vnicus tantum superesset panis, vir sanctus ne vnquam petenti pauperi deesset, eundem illum in quadrantes diuidi, & petenti de quadrantibus vnum erogari iussit. Accidit tunc vt egenus quidam extrema confectus inedia aduenerit; cui prima panis portio; secundò denique tertiò & quartò redeuiti, relli-

reliquæ ad vnam omnes tributæ fuerunt. Anno verò VVulmaro & modestè cum magistro expostulante, Iudocus bono eum animo esse iussit; & eccè in alueo fluminis quatuor nauiculæ victualibus onustæ repentè, nullo planè gubernatore, apparuerunt: quæ Christi famulorum inopiam abundè subleuârunt. Erat autem vir sanctus tanta ingenij facilitate & morum suauitate, vt ipse etiam cæli volucres, & diuersi generis pisces, eius consuetudine delectarentur: ita vt escas de manu eius acciperent, nulloque terrore abigi possent.

Diuinitus illi transmittuntur victualia.

Porrò cum ingens hominum confluxus, qui ad impetranda ipsius apud Deum suffragia accedebant, amicam eius quietem interturbaret, iam octo annis ibidem cum maxima sanctitatis opinione exactis, aliud desertum festinus expetjt: vbi, in loco qui Rimacus dicitur, constructo oratorio, maligni insidias atque insultus, qui fœlicibus eius actibus inuidebat, annos quatuordecim egregié sustinuit. Eo in loco aquila inprimis magnas ei molestias exhibebat; quam in sublime cũ gallo gallicaneo auolantem signo Crucis, recepto gallo, prostrauisse dicitur. Non longo post tempore diabolus terribilem mutatus in colubrum, haud leue pedi illius inflixit vulnus; qua læsione accepta diuino admonitus oraculo vt alio cõmigraret, comitãte Duce Haymone, vastam circuibat eremum, vt commodũ in ea habitationis locum inueniret. Accidit verò tunc vt Dux venatoni intẽtus intolerabili sitis ardore torqueretur, ita vt nimia oppressis lassitudi-

Aliud extruit templum.

Eccè vim signi S. Crucis.

Oratione fontem ori rifacit in loco arido.

situdine in somnũ laberetur. Interea Iudocus precibus de more incumbẽs, baculo quo innitebatur humi fixo, aquam elicuit, fontemque largius effluentẽ ad Ducis & familiæ eius solatium produxit: qui in hodiernum vsque diẽ aquã transeuntibus administrare non desinit.

Iam tertiò mutat locum & duo construit oratoria, Vocatur à summo Pontifice Romã.

Progressus deindè versus mare in valle vmbrosa paruum offendit riuum; quo delectatus, duo ibidem lignea proprijs manibus, construxit oratoria; vnum Apostolorum Principi, alterum Gentium Doctori sacra. Ibi dum tota mente cælestibus inhiaret, Romanæ ecclesiæ Pontifex Martinus, tanti viri videndi cupidus, per literas eum accersijt: eiusque colloquio cum magno tum suo tum ecclesiæ totius fructu fruitus fuit. Post varios verò de æternitate & religionis studio sermones inter ipsum & Pontificem habitos, rursus diuino edoctus spiritu (quem in omnibus magistrum habebat & custodem) cum preciosis Sanctorum reliquijs à Pontifice sibi collatis, ad Pontinij confinia reuersus est. Fuit verò ab ipso non tãtum Duce, sed & ab vniuersa tam Cleri quam plebis multitudine cũ summo patriæ totius gaudio exceptus. Cumque venerandas, quas adferebat, reliquias in noua beati Martini ecclesia, quam Dux lapidum ornatu restaurârat, deposuisset, & stolam ad candidam indutus casulã ad diuina celebrãda mysteria procederet, fertur inter ipsa solennia vox cælitus cunctorum auribus insonuisse: Quia spretis diuitijs, & culmine paterni regni contempto, pauper & abiectus esse elegisti in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum; immortalem

Reuertitur in eremum suam.

Psal. 33. Merces renunciantium integrè huic seculo æternæ.

talem in cælis recipies coronam, & cultu perpetuo celebraberis in terra.

Hac accepta promissione Iudocus gaudio sanè incredibili exultans, non quidem propterea factus est remissior: sed assumpta potius maiori vitæ seueritate, vigilias intendit; preces multiplicauit; benignè faciendi disciplinam exercuit; nullisque non pietatis operibus insudauit; donec Idibus Septemb. Angelorum obsequijs & Christo duce ad cælos euocatus abiret. Cuius corpus sicuti ab omni carnalis commixtionis contagio immune extiterat, ità ad sexaginta ferè annos saluum atque integrũ planè permansit. Credidisses vitali adhuc spiritu præditum fuisse. Nam vngues manuum pedumque, capilli quoque capitis & barbæ excrescentes radebantur omni sabbatho, quousque successor Haymonis Doctricus, nescio, quo mentis furore agitatus, sacrarium violenter irrupit; qui statim cæcitate percussus & amentia vexatus, surdus denique ac mutus ad supremum vitæ diem miserabiliter permansit. Porrò miraculorũ eius gloria in claudorum, surdorum, mutorum, cæcorum paralyticorum & aliorum diuersis infirmitatibus laborantium curatione, tanta est vt vix vlla orationis prolixitate singula enarrari possent.

Fœlix obitus eius.

Eius corpus manet incorruptum 60. annis post mortem.

Vltio diuina in præsumptuosum Ducem.

*VITA ET CERTAMINA S. * SPIRIdionis Archiepiscopi * Trimmythuntis: Ex actis à Metaphraste conscriptis.*

SPIRIDION vir magnæ simplicitatis in insula Cypro oriũdus, primò quidẽ pastor ouiũ tanquam alter Iacob vitã instituisse inue-

** al. Spiridonis.*

** al. Trimmithuntis. Vide C. Baron. Annal. Tom 3 & Not in Martyr. Rom. 14. Decẽ.*

Secundum Martyrolog. Rom.

Genes. 25. Patria eius.

Admiranda eius benignitas in pauperes.

inuenitur. Moribus namque commodis admodum atque facilibus, mitiq́ue ingenio prædi-tus, pauperibus benignè faciebat: ingentiſe damno affectum ratus, ſi quis pauperum peregrinorum eius beneficio non recrearetur. Abluebat eorũ pedes; tergebat linteo; cibos miniſtrabat; nullumq́ue officij genus prætermittens, peregrinos quoslibet quaſi iuræ amicitiæ hoſpitio inuitabat. Erant illi vxor & liberi qui rem ruſticam pariter cum eo exercebãt; ſed tanta in illis omnibus ſtudio Spiridonis, virtutum diſciplina, morumq́ue ſuauitas enitebat, vt magni iſtius Abrahami credentium omnium patris familiæ haud abſimiles videretur. Aiunt aliquando nocturnis occultos tenebris, malignos quoſdam ad caulas ouium eius veniſſe: cumque rapere niterentur, ſubitò vinctos, nullo ligante, fures conſtitiſſe. Manè autem facto Spiridion ligatos inueniens ſoluéſq́ue benignè, Cur, inquit, fratres rapere potius & noctem ducere infœlicem elegiſtis, cùm à nobis vtique accipere licuiſſet? Tum miſeratus eorum ſortem, ſimulq́ue ſaluberrimis monitis ad meliora erudiens, Abite hinc, inquit, ſumentes arietem: laborãſtis quippè vigilijs, & decet vos ſinè queremonijs ab ouibus meis recedere.

Hæc ex tripartitæ Hiſtoriæ lib. 1: Cap. 10.

Vide vt tractarit fures.

Cũ hiſce pietatis operibus mirabiliter ſanè fulgeret, & miraculis inſuper clar⁹ morbos curaret, dęmoneſq́; ſolo verbo ex obſeſſis corporibus fugaret, fuit repentè ex ouium paſtore, Trimmythuntinorum, magno omniũ gaudio & gratulatione, factus antiſtes. In ea verò dignitate conſtitutus, vnus idemq́; qui anteà, paupe-

Fit Episcopus Trimmythuntis.

pauperum imprimis curam gerebat, vir tantæ virtutis vt & futura prædiceret, & quæ vellet, precibus à Deo facilè impetraret. Cùm aliquādo extrema rerum inopia Cyprum opprimeret (quo tempore opulēti & diuites è propinquorum malis impium sibi lucrum parant) pauper quidam diuitem accedens, quia precio nō poterat, precibus ac lachrymis exiguum quid frumenti sibi comparare studebat. Sed diues cum iurgio, vt fieri solet, hominem repellens inanem dimisit. Qui ad Spiridionem tanquàm sacram anchoram confugiens, inopiæ suæ malum explicauit. Antistes eius misertus, diuino veluti afflatus spiritu: Esto, inquit, bono & securo animo. Crastina enim die tua quidem domus bonis abundabit: diuitis verò vacua apparebit. Abijt ille parua aut nulla, vt existimabat, spe subleuandæ miseriæ accepta. Sed eccè adueniēte nocte copiosus de cælo imber, tanto impetu in terrā ruit, vt diuitis istius horrea subuerteret, cōditumque frumentum sparsim eijceret, & pauperibus ad prędam confluētibus non tantùm frumentum, sed alios insuper fructus diripiendos traderet. Adfuit tunc inter alios ille, quoque miser: qui tunc gaudio & exultatione plenus, inopię suę abundè consuluit.

Claret spiritu prophetico.

Vide admirabile Dei iudicium in diuitem inhumanum.

Non multò post quidam viri sancti amicus propter virtutis studium, quo excellebat, per calumniam in crimen vocatus, & à Pręside cōprehensus, capitis damnatus fuit. Cumque ad supplicium raperetur, Spiridion hominem liberaturus, ponè subsecutus est. Erat hyems sæuissima: & torrens quidam inundans, viro san-

Vir bonus falsò delatus damnatur capite.

cto transmittendus erat, Cùm autem nauicula deesset, Spiridion fide armatus, nè amicus propter moram periculum subiret, sta, inquit ad fluuium, & Christi famulis transitum præbe. Dictu mirum: Fluuius iter præbens, cessit viri imperio; quo miraculo Præses stupore pariter & timore correptus, repentè solutum à vinculis amicum restituit.

S. Spiridion cogit fluuiũ sibi præbere iter, & liberat innoxiũ capite damnatum.

Sed vt ostendamus quanto vir sanctus fidei ardore flagrarit, non erit abs re pulcherrimũ illius facinus in Nicæno Concilio editum explicare. Cùm enim Constantini Imperatoris permissu & Peripatetici quidam philosophi Synodo interessẽt, & inter eos vnº subdola ratiocinandi arte præstantissimus, Orthodoxorũ patrum argumenta eluderet, fideique vim sua dicendi copia euaderet, Spiridion summæ simplicitatis vir, qui nihil præter Christum, eumque Crucifixum sciebat, cùm cerneret Philosophum sophismatibus se iactantem, & quasi parta iam de Orthodoxis Patribus pro Arianis victoria, temerè exultantem, & ore sacrilego Christo proscindentem, zelo Christianæ fidei inflammatus, vltimam cum eo disputationem subire postulauit. Trepidabant Orthodoxi, imò prohibebant, ne antiquæ simplicitatis vir, & Græcarum disciplinarum prorsus ignarus cum sophista cõgrederetur. Ipse autem intrepidè hominem compellans, exposita verbis simplicissimis fidei suæ ratione: Dic, inquit, an non hæc ità tibi se habere videntur? Res admiratione digna, & miraculi plena. Philosophus illé repentè obstupefactus: Credo inqt, ita se habere: & gratijs illi actis, quòd vir-

1. Corint. 2.

S. Spiridion congreditur cũ Sophista.

Vide stupendam vim sermonum beati viri.

virtute verborum eius ad fidei cognitionē venisset, non modò eadem cum pio & simplici sene sentijt, sed alios etiam modis omnibus ad eandem fidei doctrinam pertraxit. Attulit ea res incredibile Orthodoxis patribus gaudiū, cum summa admiratione cōiunctum: & Arianis perfidiæ interitum, tātumque pudorem, vt hinc indè dilapsi Spiridionis congressum vehementer formidarent.

Antè episcopatum obijt eius vxor, cuius hæc fuit filia.

Dùm hæc aguntur, domum reuersus Spiridion offendit filiam suam florenti ætate virginem, è vita hac caduca ad immortalem migrasse. Quam cū æquo animo sepulturæ mandasset, accessit matrona quædam, depositum quoddam filiæ traditum repetitura. Condiderat illa hoc ipsum sub terra, ne fortè oculis aliorum expositum, furto pateret. Porrò Spiridion horum omnium ignarus matronam vt poterat verbis solabatur. At illa flens eiulansque capillos vellebat, & miseram se tertio quoque verbo clamabat. Tum verò misericordia motus, cursim ad filiæ sepulchrum abijt: eamque de nomine vocans: Dic, inquit, vbi est depositum tuæ fidei à pia hac matrona cōmissum? Et illa tanquàm è molli somno suscitata, patri respondens locum designauit. Tum pater: Dormi, inquit, filia, donec communis dominus te cum omnibus communiter excitauerit.

Obserua stupendum miraculum.

Vt autem eius gratia & virtus Antiochenis quoque innotesceret, Constantius qui magno Constantino in Orientis imperio successerat, & Antiochiam ob expeditionem aduersus Persas parandam se cōtulerat, in morbum inci-

Hæc Baron. Annal. Tom. 3 anno Christi 338.

incidit, vlcere incurabili diuinitùs, vt putatur, immisso: vt à qua deflectere videbatur, fauens Eusebianis, pietatem ardentiùs coleret: & solicitiùs custodiret. Quem quonam modo magnus ille Spiridion ad bonam valetudinem reuocauerit, nõ erit abs re fusiùs explicare. Cùm igitur morbo oppressus salutem suam à medicis in dubium vocari cerneret, quod reliquum erat, ad opem diuinam supplex cõfugit. Cumque intensius precibus incumberet, noctu secundùm quietem, angelus ei multitudinem episcoporum exhibuit; & inter eos, duos aliorum duces & præsides ei ostendit, qui morbi curationem facilè præstarent. Ea visione exhilaratus Imperator, cunctos Romani Imperij antistites per literas euocauit. Sed cum in ijs, quos per visionem agnouerat, minimè conspiceret, Spiridionem è Cypro accersiuit. Ille diuino spiritu cuncta edoctus, assumpto secum Triphyllio, (priuato tunc temporis adhuc viro, sed à Deo ad summi sacerdotij dignitatem destinato) in regiam venit: vili admodùm indutus habitu: manu virgam ex palma tenens. Pendebat ex collo vasculum fictile: & vt verbo dicam, toto corporis habitu contempti hominis speciem præ se ferebat. Itaque regiam ingredientem quidam irridens, & indecorum esse arbitrãs, tam abiecta specie virum regiam intrare, sacræ illius maxillæ impudenter sanè colaphum infregit. Tulit id non modò patienter vir sanctus, sed & alteram, prompto ad patiendum animo, percussori exhibuit. Quæ res insolentem illum tanto pudore affecit, vt repentè ei supplex fieret, & inconsideratæ audaciæ

Constantij Imperatoris visio.

Vide summã S. Spiridionis humilitatem.

Spiridion in regia malè habitus.

ciæ veniam peteret: quam & libens concessit, & hominem paternè instruxit, vt ab inferenda iniuria sese contineret. Quo factum est vt à viris principibus in honore haberetur: qui eũ summa cum reuerentia ad Imperatorem deduxerunt.

En quanta cum reuerẽtia & honore eum excipiat Imperator ægrotãs.

Imperator verò ex excelso tribunali veniẽtem conspiciens, cum eundẽ quem in visione curatorẽ suũ fore acceperat, esse cognosceret statim è solio prosiliens, posthabito fastu regio atque splendore, demisso corporis habitu eum veneratus est: captansque omni humilitate eius beneuolentiam, certum medicamentũ expectabat. Nec frustratus est diutius spe sua & expectatione: nam simulàc vir sanctus manu sua caput illius tetigit, fugato morbo, integrè conualuit. Quæ res non potuit non Imperatori & cunctis principibus ingentem adferre lætitiam. Itaque tota die gaudio exultantes Spiridionem omnes mirabantur, prędicabant, venerabantur. Constantius autem vt grati animi significationẽ ostenderet, immẽsum auri pondus ei obtulit: quod ille cum multis fatigatus precibus admittere cogeretur, vniuersum in regia pauperibus distribuit. Monuit deindè Imperatorem sui officij, hortatusque est vt benignè faciendi disciplinam coleret: qui cuncta se facturum promisit, atque re ipsa præstitit. Indignum verò & absurdum esse statuens, eos qui Regi immortali perpetuò deseruiunt, Regi mortali vectigalia soluere: Sacerdotibus & Diaconis primus lege immunitatem decreuit.

Eundem sanat vir sanctus.

Constantius Imperator Ecclesiasticos statuis immunes esse.

Hisce patratis cùm è regia domum pergeret, obuiam

obuiam ei mulier barbara & Græcæ linguæ imperita procedit: quæ defunctum in vlnis ferens filiũ multis lachrymis & miserando valdè eiulatu proli suæ vitam à Spiridione precabatur. At Spiridion, quãquam mulieris vicem doleret, rei tamen magnitudine deterritus abnuebat. Aderat illi Artemidotus diaconus: qui pontificem blandè ac leniter compellans: Domine, inquit, quid dubitas Christum, vitæ datorem inuocare, à quo in omnibus te exauditũ constat? alioqui si per te salutem obtinuit Imperator, & hæc repulsam patitur, pauperes & inglorij despectui tibi esse videbũtur. Hisce ad opem miseræ mulierculæ ferendam motus, confestim in preces incubuit, fusisque lachrymis mox defunctus vocem in ploratum emittere cœpit. Quo beneficio tam immoderata mater perfusa est lætitia, vt præ gaudio animã exhalaret. Sed propè aderat magn° Spiridion; qui fixis in terram genibus, & vbertim fletibus faciem rigans, eam quoque pari virtute ad vitam reuocauit.

Excitat mortuum.

Item matrẽ eius admirabiliter.

Fuit porrò hic sacer antistes ecclesiasticæ antiquitatis tenacissimus, custosque paternarum traditionum: prorsus vt nec vnius voculæ mutatione passus sit eam quauis occasione labefactari. Vndè cùm aliquandò Triphylium posteà Ledrensis in Cypro episcopum, virum (vt testatur Hieronymus) omnium suæ ætatis eloquentissimum in Synodo orantem audiret, & locum illum Marci Euãgelistæ citaret, Tolle grabatum tuum & ambula: & loco κραββάτου quod habet textus, dixisset σκιμποδίου; id est,

Lib. de scriptoribus Ecclesiast. in Triphyl. Marc. 2.

idest, lectum humilem: assurgens Spiridion: Tunè, inquit, melior es illo, qui τὸν κραββάτον, dixit, vt eius verbis vti dedigneris? Quod cùm dixisset, exilijt è sede sacerdotali, populo inspectante: atque hoc modo Triphyllium eloquentia se arroganter efferentem, ad modestiam erudiuit: nam satis in se habuit auctoritatis ad pudorem alteri incutiendum: quippè cùm & veneratione dignus esset, & rerum admirabiliter gestarum gloria maximè nobilitatus: quin etiam cùm eum & ætate anteiret & dignitate sacerdotali.

S. Spiridion videt arcanas Triphyllij cogitationes.

Cæterùm vt innumera alia, quibus in vita claruit, miracula prætermitamus; tantæ apud omnes existimationis & auctoritatis fuit, licet sublimiores illas Philosophorum disciplinas nè extremis quidem labris gustasset, vt memoratus Triphyllius, qui diù Beryti ius ciuile professus erat, admiratus viri egregiæ vitæ institutionem, miraculorum virtute mirificè illustratam, eo licet homine agresti & custode ouium, vti voluerit præceptore: magnam sibi indè gloriam comparans, quod Spiridionis discipulus effectus esset.

Hæc ex Baron Annal. tom 3 fol. 250 qui hæc eadē ex Sozomeno habet. lib. 1. C. 11 & Nicephor lib. 2. cap. 42.

Et hoc quidem modo vir sanctissimus prudentia pariter & simplicitate admirandus vitam instituit, plenusque dierum & bonorum operum ad cælos migrauit: ab obitu quidem eximijs quoque coruscans miraculis.

Moritur feliciter.

(∴)

CERTA-

CERTAMEN SS. MARTYRVM Nicasij Episcopi Rhemensis & Eutropiæ sororis eius ac sociorum: Ex eo quod est apud V. P. Laur. Sur. Passi sunt anno Christi 407. Innocentij Papæ 6.

Vide Tom. 5. Annal. C. Baron. & Notat. ad Martyrol. Rom.

14. Decēb.

QVO tempore VVandali multas vrbes per diuersas prouincias depopulabantur, Nicasius Rhemēsis, & Anianus Aurelianensis Pontifices magnis prodigijs & virtutibus insignes, fortissimum sese murum impietati opponebant: populum assiduis monitis ad preces lachrymasque & meliorem vitæ frugem inuitantes: quo iustam Dei indignationē à suis capitibus auerterēt. Sed cùm illi in peccatis obdurati salutaria præcepta pertinaciter respuerent, accidit vt* VVandali ad ipsam vsque Rhemorum vrbem armis penetrarent, & omni regione miserrimè depopulata, vltimū ciuibus excidium pararent. Instabat acriter hostis, murosque arietibus quatiens, iam iam introitum ferociter aperuerat: cùm ciues nimio terrore perculsi ad sanctum Nicasium in orationibus prostratum cōfugiunt: consilium petentes, vtiliusnè foret, seruituti gentium se tradere, an vsque ad mortem pro salute vrbis dimicare. Qui præscius, ex reuelatione diuina vrbem penitùs subuertendam, cum magna cōstantia respondit: Indignationem hanc iusto Dei iudicio nostris sceleribus prouocatam nō ignoramus. Quapropter ad flagella diuina cōpuncti, non inuiti aut desperantes, sed patientes & deuotissimè cum summa spe salutis nostræ, suscipiamus mortis periculum: quatenùs ipsa

** fuere hi VVandali Christiani: teste Baronio loco memorato.*

VVandali obsident ciuitatē Rhemensem.

Nicasius docet de manu Domini suscipienda flagella.

ipsa mors præsens, non supplicium nobis fiat, sed remedium. Eccè ego pastor pro ouib. mori paratus sum: proindè instantius pro inimicorum salute Dominum deprecemur.

Eutropia ei soror hortatur eiues ad martyrium.

Sancta quoq; Eutropia germana eius, expansis in cælum manibus, plebem pro viribus ad martyrium prouocabat. Dum ergò furibundus hostium impetus irrueret, vir sanctus comitãte sorore, cum hymnis & canticis spiritualibus ad ostium basilicæ S. Dei genitricis occurrit. Moxque vt ferratas acies vidit, manu silentium indicens ait: O nutibus diuinis ministra fortitudo, quarè contra humanæ naturæ conditionem, victoriam vestræ dignitatis in rabiẽ vertitis? Eccè plebs Christiana Deo suo humilis & deuota, vestris in conspectibus prostrata, remissionem peccatorum vsq; ad mortẽ obediens expectat. Pœnitemini & vos pro sceleribus vestris, nè fortè iusta Dei indignatio, quæ per vos filijs fit ad correctionem salutis, vobis sit stipendium tartareæ damnationis. Quòd si oues meas perseuerãte impietate quæritis trucidare, me primum pro ipsis, victimam diuinæ maiestati libate, vt pariter digni beatitudine cælesti mereamur inueniri. His dictis cùm in oratione prostratus versum hunc decantaret. Adhæsit pauimento anima mea', ilicò gladiatoris ictu, capite truncatus, immortalitatis sententiam adimpleuit dicens: Viuifica me secundum verbum tuum.

En verum pastorẽ, pro ouibus suis ponentem animam suã.

Truncatur capite S. Nicasius. Psalm 118.

Magna animi fortitudo S. Eutropiæ.

Sancta verò Eutropia, videns impietatem eorum, ob corporis sui pulchritudinem, mitigatam, super interfectorẽ sacerdotis insiliẽs: Heu crudelis tyranne, ait, quid fecisti? Magnũ

Dei virum indignis iugulasti manibus, & me tibi abutendam reseruas? Diuina te iam iamq; damnat sentētia. Quem ità ad martyrium suū prouocans, saltu repentino raptis palpebris, non fœminea virtute, sed diuina vltione oculos eius euulsit: maluitque gladios persequentium sustinere, quàm delectationibus eorum assentiendo, peccare. Ilicò igitur sacro fuso sanguine, palmam martyrij cum germano suo, & cæteris sanctis ibidē triumphantibus à Domino promeruit.

Eutropiæ & sodaliū martyrium.

Vniuersorum autem expleta cæde sanctorū terror subitaneus omnes persecutores VVandalos inuasit: cùm propter audaciam virginis & Dei vltionem quam perspiciebant: tum propter acies cælestes, quas cōtra se dimicare sentiebant: tum etiam propter horribilem sonitum, quem in ecclesia audiebant: ità vt relictis spolijs, fuga tumultuantes salutem quærerent. Sicque manente ciuitate solitaria (nam fideles incursiones VVandalorum pertimescentes ad montium munitiones confugerant) sub custodia angelica martyrum ibi corpora seruabantur: ità vt in noctibus à longè cælestia conspicerentur lumina, & suauissimi soni supernarū virtutum à multis audirentur carmina. Vndè paucissimi, qui remanserant, ciues, resumptis animis, ad vrbem properarunt, atque sanctorum corpora cum hymnorum decantationibus circà ciuitatē locis congruis, summa cum reuerentia humarunt. Beatissimi verò Nicasij & sanctæ Eutropiæ reliquias in cœmiterio sancti Agricolæ solenniter sepelierunt.

VVandali diuinitus in fugam vertuntur.

MARTY-

MARTYRIVM S. VALENTINI, CONcordij, Nouali & Agricolæ: Ex Hieronymi Rubei secundo libro Historiarum Rauēnatum. Passi sunt anno Christi 303. Marcelli Papa 7. Dioclet & Maxim. 20.*

* al. Naualis Teste C. Baron Tom. 2. Annal.

IN ea calamitate, quam Diocletianus Christianis intulit Rauennæ, Valentinus cum Nouali & Agricola 17. Kal. Ianuar. ob Christum acerbissimam necem subierunt. De Valentino in vita D Dalmatij Episcopi & martyris Ticinensis, in hanc sententiam legimus. Ad Dalmatium (cùm is esset in vrbe Alba, patre senatore, & occultè primùm Christianus, mox omnibus statim relictis, palàm Christum Deū prædicare & miracula edere cœpisset) Valentinus magister militum, cùm ad eius aures fama peruenisset, Rauenna profectus, venit eum rogans, vt filio graui morbo laboranti, ac iam desperato suppetias ferret. Deū precatus Dalmatius Valentino renunciat, Concordium filium suum, qui erat Rauennæ, conualuisse: virumque sanctissimum, item Rauennatem, nomine Antonium, eadem die obijsse. Quæ omnia cùm Valentinus Rauennam regressus, vera comperisset, denuò ad Dalmatium rediens, vnà cum filio, sacra baptismatis vnda ablutus est. Cœpit ab eo die Valentinus Rauennæ Christum profiteri, multisque ad veram eius religionem adductis, tandem pariter cum filio Concordio, & Nouali, Agricolaque socijs ob Christum (vti memorauimus) necatus est.

16. Decē.

Dalmatij vitam quære 5. Decem.

S. Valēntinus cum filio credit in Christum & baptizatur & tandem martyrio coronatur.

VITA S. GATIANI PRIMI EPIS-copi Turonensis: Ex ea quæ est per S. Gregorium æquè Turonensem episcopum, Lib.10.histor.cap.30.

18.Decēb. *est v.(iuxtà Baron Tom. 2. ann.º Christi Domini 253.

PRIMVS ecclesiæ Turonensis antistes Gatianus anno Imperij * Decij 1. à Romanę Sedis Pontifice Fabiano destinatus est: qui vrbem multitudine paganorum nafaria idolorum superstitione miserrimè conflictante, plenam inueniens, prædicatione diuini verbi clanculùm eam primò expurgare cœpit. Idololatræ namque tanta in eum rabie interdum seuiebant, vt inuentum multis iniurijs afficerent, impositisque plagis haud leuibus sanè ad mortem raptarent. Et quidem ille martyrij cupidus, vitam libenter vel millies data oportunitate pro Christo neci exposuisset: nisi eam in apertam ecclesiæ perniciem vergere prospexisset. Igitur occultè animarum saluti die noctéque inuigilans, tandem in pace post annos non paucos è vita decessit: magno sanè cùm ecclesiæ istius detrimento: vt pote quæ annos 37. pastore deinceps caruerit.

Prædicat Christum clàm.

Multa patitur.

Obitus eius.

Passionem SS. Eugenij & Macarij habet lector in vita S. Artemij 20. Octob.

20. Decē.

Vide Tom.1. Annal. C. Baron & Notat. ad Martyrol. Rom.

COMMENTARIVS RERVM GESTARUM Sancti & gloriosi Apostoli Thomæ: Ex grauissimis Rerum Indicarum Scriptoribus R. P. D. Ioanne Petro Masseio, Bergomate, è Societate Iesu, & Reuerendiss. D. Hieronymo Osorio Lusitano, Siluensi episcopo.

CVM

21. Decēb.

CVM misso sancto Spiritu, Apostoli prouincias instructu diuino docendæ religionis veritatisque causa sortirentur, Thomas Indiam in orbis terrarū distributione sortitus, Socotoram insulam Arabici maris fertur adijsse primùm: dein, multis ibi factis Christianis, traiecisse Cranganorem. In ea ciuitate cùm multos item Christo filios peperisset, Colanum petijt; neque ibi frustrà disseminato Euangelio, trans iuga montium ad oram Orientalem ingenti labore contendit: multisque locis ac præsertim in Coromandelis regno, Christiana re bene gesta, perrexit in Sinas; quorū ea tēpestate celeberrimum erat nomen; ac diuini verbi sementē in ea quoque nouali facere instituit. Atque haud pœnitenda collecta fruge, templisque ad Christi cultum ædificatis, in Coromandelem ad reuisendos & confirmandos in fide neophytos redijt.

Hæc Maffeius histor Indicarū, lib. 1.

Coromandelis caput ac regia tum erat vrbs Meliapor; quam vetustate bellisque dirutam nuper Lusitani, deducta eo militum emeritorū colonia, frequentarunt, ac mutata appellatione, honoris Apostoli causa ab sancto Thoma denominarūt. In ea vrbe sacram ædem extruere aggressus Apostolus, cùm à dęmonum sacrificulis, & ab Sagamo Rege prohiberetur, res interim insignis accidisse perhibetur ad Christi virtutem & fidem Euangelij comprobandam. Inusitatę magnitudinis truncum (vt fit) in littus eiecerat mare: quod eo tempore leucas ferè decem ab vrbe distabat. Eam Rex materiā cùm in vsum ædificij cuiusdam vehemēter expeteret, robusti primùm homines incassum funi-

Vrbs S. Thomæ in India.

Præclarum miraculum.

funibus ergatisque amouere conati, deinadhibiti complures elephanti, cùm toto conniti impetu nihil omninò proficerent, Apostolus Regi conditionem tulisse fertur, si truncum illum sibi ad templum vero Deo ædificandum daret, nullis machinis, nullo mortalium adiutore, sese protinùs ad vrbem attracturum. Cùm Rex, insanire videlicet hominem ratus, per ludibrium annuisset, tum diuus Thomas, zona, qua erat præcinctus, ad prominentem è caudice ramusculum annexa, signo tantùm facto Crucis, immanem stipitem facili ductu sequentem, vniuersa ad spectaculum effusa ciuitate, in ipso pomærio statuit: ibidemque defixa lapidea Cruce, vaticinatus est, cùm ad eum lapidē vsque pertingeret pelagus, tum diuino iussu è remotissimis terris candidos homines ad eadem, quæ ipse intulisset, sacra instaurandā venturos. Neque fefellit prædictio. Siquidē sub Lusitanorum appulsum, occultis tot annorum accessibus locus Oceano demùm allui cœptus.

Vaticinium D. Thomæ, quod hodiè nostris temporibus impletum cernimus.

Verùm ab eo signo cæterisque virtutibus, cùm Thomæ verbis maior in dies accresceret fides, Brachmanis autem, fuco & fallacijs parta iam auctoritas, iam sagina deficeret, accensus rabie quidā ex ijs, fœdum ac ferum facinus mali dæmonis instinctu conciuit. Filio admodū puero ipsemet necē intulit, vt haberet vndè peregrino & inuiso capiti crimen exitiumque conflaret. Citatus ad Regem Thomas, cùm accusator ab eo per summā indignationem & querimoniam pœnas filij extincti repeteret, contrà, Thomæ discipuli, affinem aut omninò con-

Nefandum facinus cuiusdam Brachmanæ.

conscium eius culpæ magistrum negarent, nihil opus esse coniecturis & certaminibus, ait Apostolus, ab ipsomet qui occisus fi dicatur, omnium optimè cognosci rem posse: petit vt eius publicè interrogandi potestas fiat: nihil recusatum ab aduersario: & cunctis tam inauditæ rei expectatione suspensis, cadauer in medium affertur. Tum ad exanimem puerum Thomas placido & sereno vultu conuersus: Agedum, inquit, per Christum quem ego Deũ prædico, palàm & sinè ambagibus puer prome quisnam huiusce tãti sceleris auctor exstiterit. Mirum dictu: ad Christi nomen frigido & exsangui corpusculo vitales confestim rediere spiritus: & clara voce vt oẽs exaudirent, Thomam certum summi Dei legatũ & ipsius odio, adstruendam illi calumniam, nefarias à parẽte sibi manus illatas esse confirmat. Hac tam illustri tamque admiranda testificatione fractus calumniator obmutuit.

Suscitat mortuum S. Thomas.

Sagamus propenso iam antè ad credendum animo Christianam deindè fidem ac religionẽ sinè vlla dubitatione complexus est. Regem ex amicis & popularibus imitati complures. Brachmanis, quãquam detecta diuinitùs fraude, & pulso in exilium parricida, pertinax tamen & cæca mansit improbitas. Cùm lætos Christianæ rei progressus, & neglecta deorum simulachra ferre non posset, facta conspiratione præconem Euangelij è medio tollere omninò constituunt. Tumulus erat non procul ab vrbe, quò Thomas identidem, è Christi disciplina, secedere propitiandi æterni Regis & sui recolligendi gratia, consueuerat: in eum

Rex Sagamus fit Christianus & multi alij.

locum, tempore captato, Brachmanæ armati cum sui similibus impetum dant: ibi Apostolus dum ad Crucem alienato ab sensibus animo, Deum pro salute hominum, & eius præsertim populi deprecatur, telis primùm ac lapidibus appetitus, dein ab vno è Brachmanis lancea trãsfossus occubuit. Venerandum corpus indè sublatum à discipulis & in templo nuper ædificato conditum est. Accessit martyrij nomine & memoriæ causa, fragmẽtum hastæ, quæ inhæserat costis; & baculus præferratus, quo ille ad peregrinationes vtebatur: & vrna fictilis cespite inserto, nẽpè qui manantem è sacris vulneribus cruorem ebiberat. Exindè locus multis miraculis claruit, ac magnus eodem ex omni parte concursus, voti & religionis ergo fieri ceptus.

Martyrio coronatur Apostolus.

Hæc fermè Indi sciscitantibus Lusitanis, nõ è fama solùm, sed etiam è veterum annalibus edidêre: quin egregias Thomæ laudes, ac mortem pro Christi nomine fortiter obitam, pueris Malabarib. patrio carmine decantare mos est. Sunt qui cum tribus magis qui ad Christi liberatoris incunabula cum muneribus adoranda, Sybillæ Indicæ (vt ferunt) monitu, stella duce tetenderant (quo in numero Pirimal Ceilani Rex ponitur) Thomam in Oriente cõgressum: deque immani trunco miraculum non Meliapore, sed Crãganore perpetrasse dicant: ac postremo in Calamina vrbe mactatũ Regis imperio (qui Sagamo defuncto successerat) ac sacrum deindè corpus Edessam Mesopotamiæ translatum à Christianis fuisse contendant. Vtcunque res habeat (nam ego meam

Nota Historiæ veritatem.

meam interponere ſententiam in tali re, tantoque locorum & temporum interuallo non auſim) ſatis conſtat, Apoſtolum in Coromandelio tractu Gangetici ſinus palmam tuliſſe martyrij; nec dubium eſt quin ex diuini viri præceptis atque inſtitutis, ingens hominũ multitudo varijs Indiæ diſperſa regionibus in hæc vſque tempora, Chriſti nomen fidemque tenuerit; quanquam ex Armeniæ Patriarchæ Neſtoriani placitis, à quo epiſcopos paulò ante hanc memoriã accipere conſueuerant, multis vitijs & erroribus inquinatam; alioquin Apoſtolicas cæremonias magna ex parte obeũt: altaris myſteria religioſè venerantur; eoque viatico, decedentes è vita ſe muniunt. Aduentus Domini & 40. dierum ſolenne ieiunium diligenter obſeruãt; quotidianę pſalmodię, & ſacris inſiſtunt: & cum alia Chriſti Domini Sãctorumque feſta ritè concelebrant, tum verò præcipuè Paſchalium feriarum octauam: quã Dominicam in Albis vocamus, quòd eo demũ die, incredulus anteà Sanctus Thomas, indito in Chriſti latus ac vulnera digito, Dominum ſuum ac Deum ſuum præclara teſtificatione confeſſus eſt. Alia prætereà multa ex maiorum traditione diligenter obſeruant; eo maiore fidei & conſtantiæ laude, quod ob idipſum non modò à Mahometanis hominibus acerbè vexantur, ſed etiam ab Regulis Ethnicis in ſeruitutem redacti, cum alias indignitates & contumelias, tum verò ſedẽ ac domicilia iniquis penſionibus redimere ſubindè coguntur.

Ceremonias ab Apoſtolo acceptas etiamnũ retinent Indi.

Cæterùm, vt ad Apoſtolum reuertamur, Ioannes tertiꝰ, defuncto Emmanuele, anno ętatis vige-

Maffeius Hiſtor. Indicarum lib. 1.

Ioannes 3. Lusitaniæ Rex curat inuestigari S. Thomæ Sepulchrum.

vigesimo, acceptis regni gubernaculis, per literas Eduardo Indiæ Prætori mandauit, vt diuini Apostoli Thomæ sepulchrũ in Coromandelio littore perueſtigandum curaret: daretq; operam vti sacrosanctæ illæ reliquiæ (quanquam easdem (vti suprà dictum est) vel earum certè partem Mesopotamia sibi vendicat) cum dignitate custodirentur. Eduardus Emmanueli Friæ, Præposito Coromandelicæ oræ, cum sacerdotibus, aliquot & architecto id negocij dat. Profecti Melioporem (nam ibi sicum Apostoli corpus audierant) æquatam solo ingentis amplitudinis vrbem offendunt. Paucæ tantum pyramides, turresque & columnæ, miserabili è strage supererant: nec non varij coloris lapides, ac veluti porphyretica peregregiè sculpta fragmenta; quæ antiquum vrbis ornatum & elegantiam satis arguerent.

Vetustissimũ templum.

In ijs visebantur operosa magnifici cuiusdam templi vestigia: vno tantum superstite ad Orientalem plagam sacello; crebris intus foriſque lapideis Crucibus è veteri disciplina consperso. Sub eo tecto latêre Apostoli ossa cùm accolæ pro certo affirmarent, primum omnium sarcire ipsum ædificiũ placuit; quod testudinis pondere pressi parietes aliquot locis vitium fecissent. Ad eos ergò fulciẽdos, ac renouanda fundamenta, conductis è vicino operis, dum effoditur humus, ad quintum fermè dodrãtem apparuit loculus lapidea tabula tectus: in quam ab interiore parte incisæ prisca gentis lingua (vti à peritis cognitũ est) literæ testabantur, templum id ab Sancto Dei Apostolo Thoma quondam exstructum; ei tẽplo

plo tuendo colendoque, mercium quæ in vrbem importarentur, decimam ab Sagamo Rege attributam: accesserat obtestatio ad posteros, ne quid ex eo vectigali ac donatione imminutum vellent.

Regis Sagami corpus vna cum S. Apostoli Thomæ inuenitur.

Paulo infrà eam tabulā, ipsius Regis (vti ex priscorum traditione Indi asseuerabant) cadauer inuentum. Altius dein molientibus terrā, quadratum, primò lateritiæ, postremò lapideę structuræ septum apparuit; multiplici operimēto, pedū circiter nouē altitudine: ibi quod sepultū hauddubie corpus Apostoli dicebatur esse adhibiti ad amouendum operculū Lusitani duo (nā Indis rem eiusmodi cōmittere non est visum) non nisi noxis per sacrā confessionē expiatis, & reconciliato per Eucharistiā Deo, aggredi rē ausi, locum aperiunt. Immista calci & arenæ candidissima specie ossa, & apposita lanceæ cuspis, & viatorij baculi frustum, itēque vas fictile, fidem inuenti demum sacri thesauri Lusitanis fecēre. Sub hæc repertum aliud cuiusdam è Thomæ discipulis cadauer; cæterum tetro ac terreo aspectu, quemadmodum & Sagami Regis: vt, si alia argumenta defuissent, ex ipso propemodum colore dignosci Apostoli ossa potuerint. Eo maior gratulatio fuit Christianorum: & affabre factas, arte Sinarū, arculas duas, è proximo emporio Paleacate confestim afferri placuit: quarum in altera eximij operis argento cælata, ipsius Apostoli, in altera discipulorum eius reliquiæ inclusæ: & commune gaudium solenni supplicatione pompaq;, & priuatis omniū qui aderant studijs celebratū est. Propositis deindè in

Certissima indicia inuenti corporis S. Apostoli.

de in ipso altari arculis, adhibitoque custode, claues vtriusque Emmanuel Frias Cocynum Prætori Menesio detulit. Hoc maximè modo per eos dies & sacello & religioni consultum.

S. Apostoli Thomæ corpus Goam translatum.

Biēnio deindè pòst, eadem ossa intrà ipsam aram occulto loco, duobus tātum conscijs Lusitanis, abdita; ac postremò Goam, Constantino Brigantio Prorege (qui D. Thomæ templum in ea vrbe exstruebat) à fratre quodam Franciscano translata fuisse comperio.

Lib. 3. Indicarū Histor. Hunc Martinum Alfonsum, Indiæ prætorem nominatum quidē fuisse: sed non imperasse scribit Maffeius. Idem Indici maris præfectum fuisse lib. 11.

Hæc quæ sequuntur Hieronym. Osorius.

Tempore quo Martinus Alfonsus Sousa, vir fortissimus pro Rege Ioanne tertio Indiam cū imperio obtinebat, fuerunt ad illum æneæ tabulæ delatæ in quibus erant incisæ literæ, quarum vsus absoleuerat; ita vt nemo eas legere posset. Fuit tandem ab illo Iudæus accersitus multis linguis eruditus & minimè antiquitatis ignarus; qui eas tandem cum difficultate propter scripturæ antiquitatem, & linguæ parum notæ rationem (erat enim ex multis conflata) perlegit. Literæ autē nihil aliud in summa continebant, quam Regis, qui Thomę temporibus, illis terris imperabat, donationem Thomæ factam telluris certa dimensione definitæ, in qua templum extrueret. Et quia huius diuini viri mentio facta est, non alienum arbitror, hoc in loco aliud testimonium antiquitatis afferre, quod Thomæ monumentum continet.

Anno à Christo nato M. D. LXII. Pontifex Cochunensis misit ad Henricum Cardinalem testimonium publicis literis consignatū, quod histo-

historiam commemoratione dignam continebat. In ea ciuitate quã diximus appellari * Malipurem, & nunc, postquam à Lusitanis frequentari cæpit, S. Thomæ ciuitas appellatur erat in colle sacellum ædificatum, eò quod affirmarent incolæ in eo loco Thomam fuisse à religionis hostibus interfectum. Erat autem hoc solēniter institutum, vt in eo sacello octo diebus antè diem natalem Christi, res diuina fieret, & omnes Christiani eo conuenirent. Fuerat quoque antè 14. annos in illo colle inuenta Crux in lapide incisa; in cuius fastigio columbæ imago insidebat. Basis verò erat in specie quadam herbarum, quæ diffundi latissimè videbantur, collocata; & tam fastigiũ quã basis & brachia in liliorum formam desinebant. Arcus eam ex eodem lapide factus vndique muniebat. In arcu erant incisę literæ, quas nemo legere poterat. Totum hoc opus integrũ, quod erat satis magnum, fuit super altare eiusdem sacelli multorum operis statutum. In Cruce eminebant notæ sanguinis insignes. Accidit autem die, quo Christiani conueniebãt, vt in eo fano salutationem ab Angelo factam sanctissimæ Virgini, 8. dies, antequam dies Christi natalis adueniret, celebrarent; cum sacerdos, qui rem diuinam faciebat, Euangelium inchoaret, vt Crux in nigrum coloré verteretur, & liquor ex illa incredibili copia dimanaret: deindè color cœruleus pro nigro subiret. In locis autem vbi notæ sanguinis extabant, rosei coloris splendor eluxit. Sequentibus deindé annis eodem die semper eueniebat. Nec enim alio die (quod magnam admirationem com-

* *Maff. Maliaporem; nunc dicta ciuitas S. Thomæ.*

Stupendum vetustæ Crucis miraculum.

cõmouebat)id in nulla Cruce cernebatur.Fuit tamen aliquo tempore eius rei,quæ admirabilis omnibus videbatur,intermissio.

Aliud eiusdem Crucis miraculum.

Anno autem M. D. L. XI.cum Christiani in eundem locum cum eadem pompa & celebritate conuenirent,eo die quo Crux dum sacrificium fieret,stillare solebat,& Sacerdos Euangelium inchoaret(id enim admirandum videbatur quod nunquam prius, quam Euangelium legi cœpisset, ea Crucis mutatio fieret)Crux repẽtè nigris maculis, splendidis tamẽ inficeretur,donec tandem alijs atque alijs subeuntibus,tota nigresceret.Ita verò splendebat,ac si fuisset oleo delibuta . Tũ instar roris guttæ defluere cœperunt; quæ paulatim grandiores effectæ,totã Crucẽ humore largissimo cõpleuerũt.Peregit sacerdos cũ multis lachrymis& crebro singultu sacrificiũ.Deindè ascẽdit in altare & linteis, quibus in rebus sacris de more procurãdis vti solebat,Crucẽ extersit. Linteа maculis sanguineis tincta repẽtè sũt.Ciuitatis præfectus,&reliqua multitudoquæ cõuenerat manus in cœlũ tẽdere;Christi numẽ implorare;flagitiorum veniam postulare;& ad studiũ religionis ardentius excitari. Crux autẽ postquam multo liquore fluxit, clarius splendere cœpit:& color sanguineus euidentius eluxit.

Hoc signum commouit & præfectũ vrbis & primarium sacerdotem,vt diligenter inquirerent,ecquis esset,qui literas illis interpretari posset. Aiunt incolæ, in Narsingæ regno esse Brachmanam, inter omnes Brachmanas literis & eruditione præstantem , qui varias linguas tenebat.Hominem cõtinuò accersunt,& inter-

interrogant an illas literas nosset. Respondit literas esse priscas quibus antiqui sapiẽtes vtebãtur: negligentia verò hominum factum esse, vt earum cognitio interiret. Quin etiam linguam, qua erant descriptæ, à paucis admodum teneri. Admonent illi Brachmanam, vt in altare ascendat. Restitit ille, & nefarium facinus esse dixit, altare in quo res diuina fieret, humanis pedibus conculcari. Inuitus tamen subijt, & literas perlegit; quarum vim eam esse dixit, vt vna nota 10. & 15. & 20. literarum officio fungeretur. Sententia verò literarum in summa hæc erat; Thomam diuinum virum fuisse à Dei filio, cuius erat discipulus, in eas oras Sagami Regis tempore missum, vt Dei summi notitia gentes illas erudiret. Ibique templum extruxisse & res admirabiles effecisse: atq; tandem cum genibus flexis ad Crucem illam affixus, orationem ad Deum funderet, à quodam Brachmana fuisse hasta trãsfixum. Crucẽ verò eiusdem viri sanctissimi cruore tinctam, ad memoriam virtutis illius sempiternam, relictam fuisse. Hæc erat sententia quæ literis cõtinebatur. Fecit autẽ maiorem fidẽ alius eiusdem sectæ vir aliundè accersitus, grandis admodum natu, & sapientiæ opinione præstans qui literas in eandem sententiã interpretatus est. Huius autem Crucis exemplum, in eodem ligno, ex quo templum ædificatum perhibent, insculptum, cum literis publicis multorum virorum testimonio consignatis, retineo: cuius fides tantis tũc argumentis explorata fuit: vt nemo possit de tam claris atque testatis viri diuini monumentis ambigere.

Sententia literarum vetustæ illum Crucis.

MARTYRIVM S. VICTORIAE: EX Adonis Martyrologio. Coronata est anno Christi ducentesimo quinquagesimo tertio, Decij Imp. 1. Sede vacante.

Teste C. Baron. Tom. 2. Annal.

23. Decē.

QVo tempore Decius acri inprimis persecutione Christi Ecclesiam exagitabat, Romæ Victoria eximia pulchritudine virgo fidei certamen cum magna Christiani nominis gloria subiuit. Hæc cum Eugenio viro pagano desponsata esset, blanditijs Titi Aurelij, qui Anatoliæ sororis eius ambibat nuptias, inducta ad sororem suam porrexit, carnalem copulam sedulò suasura. Neque segniter profectò id virgo præstitit: Prophetas & Patriarchas in exemplum adducens, qui vinculo, matrimoniali constricti fuerant. Adiecit deindè: Quin igitur & tu, ô charissima soror, huic sponso coniungere, qui per maritalem copulam, Christo auxiliante, in veram Euāgelij libertatem vindicari poterit. Ad hæc Anatolia, quæ virginitatis amore tota feruebat, Christiique spiritu plena de cælestibus assiduò cogitabat: Rectè tu quidē, inqt, nuptias sāctas esse & honorabiles dicis: & Deus ipse hominibus dixit: Crescite & multiplicamini, & replete terram: sed eo tempore quo vacua planè erat. At nunc cùm infinita hominum sit multitudo postquàm Dei filius de cælo in terram descendit, vt hominem suo scelere in exitiū & perniciem sempiternam prolapsum restauraret, clamat quotidiè: Crescite in fide; multiplicamini in charitate; & replete cælos: quia appropinquauit regnum cælorum.

Victoria sorori suæ Anatoliæ conatur persuadere nuptias.

Genes. 1. 8. & 9.

Matth. 4.

Inter

Inter hæc & alia pia sanctaque colloquia, tandem Anatolia intulit; Ego quo die precium ornamentorum meorum in Christi pauperes destribui, insolito quodam gaudio me delibutam sensi: & quòd omnem admirationem superat, nocte quadam secundum quietem iuuenem aureo diademate splendidum, & purpureis atque gemmatis coruscantem vestibus vidi; qui grata facie & læto vultu virginitatē vnicè mihi commendauit: hortatusque est vt omni diligentia & solicitudine insidias hostium deuitarem; esse namq; innumerabiles qui eximium & incomparabilem virginitatis thesaurum suffurari conantur.

Gaudium bonæ conscientiæ.

Visio Anatoliæ.

Hisce alijsque sororis suæ dictis factisque incitata pariter Victoria, ornamēta distraxit, & larga manu benignè faciendi disciplinam exercuit. Quæ ad aures Eugenij & Aurelij vt peruenerunt, rabie quadā mentis efferati, summa Decij Imperatoris voluntate, ad prædia sua eas abripuerunt: ibidemque cum blanditijs tum minis ad libidinis consensum impellere conati sunt. Sed illæ admiranda in virginitatis proposito constantia permanentes, minas æquè ac blanditias contempserunt. Accessit dira fames & inedia, qua eas conficiebant: rati tam acri telo mentes earum expugnari posse. Sed ea omnia animos virginum mirificè confirmabant; ita vt Victoria sexaginta alias eiusdem propositi effecerit puellas: quæ hymnos & psalmos die nocteque Christo cōcinebant. Fertur etiam immanē draconem omnibus in circuitu populis vehementer infestū precibus suis interfecisse. Post quæ & alia

Victoria, omnia sua largitur pauperibus.

Dirè vexantur Victoria & Anatolia.

Congregat multitudinem Virginum.

diuinæ virtutis indicia gloriosum martyrij triumphũ peregit. Eugenius namque cum omnem mutandi illius animi spẽ penitus abscissam esse cerneret, Iuliano Capitolij pontifici & templorum Comiti persuasit, vt aliquem è suo comitatu mitteret, qui virginem crudeli internecione deleret. Datum id negocij Taliarcho carnifici; qui ausu nefario acinacem in præcordia virginis adegit: fusoque sanguine, quasi pro ludo, animam excussit. Sed non impunè. Nam fœda contagione lepræ repentè infectus: sexto post die consumptus à vermibus expirauit.

Cæditur gladio in pectore S. Victoria.

Percussor eius diuinitus punitur. a Teste C. Baron. Tom. 3. Annal.

MARTYRIVM SS. THEODVLI AC Sociorum, qui in Creta passi sunt, a anno Christi 254. Sede vacante. Decij Imp. anno 2. Ex eo quod est apud S. Metaphrasten.

23. Decẽ.

DECIVS Imperator qui magno furore percitus & ad Christianum nomen penitus delendum fuit violentissimus, ad Cretam insulam Proconsulem quendam, Decium similiter nomine, & pari crudelitate insignem destinauit: vt omnes Christianæ fidei & religionis professores quibuslibet supplicijs exagitaret. Præstitit ille immanem profecto sese tyrannum, & inter alios, decem viros genere pariter & virtute præstantes ad quæstiones euocauit. Vincti & graui pondere ferri onerati antè tribunal stetere; sermone vel factis nequaquam obscuri: prorsus vt furentis Proconsulis iram sua constantia vehementius accenderent.

Decem præstantes viri comprehenduntur.

Nec mora: à verbis ad supplicia ventum est.

Cæsi;

Cæsi; torti; per terram tracti; lapidibus appetiti; irrisi; consputati: & omni denique subsannationis genere affecti sunt. Sed hisce vtpotè leuioribus certaminib⁹ egregiè superatis, postremò dies 10. Kalend. Ianuarias est præstitutus, vt omnē tormentorum vim inuicti Christi athletæ subirent. Feruebat animis vtraq; pars. Hi quidem gaudio & alacritate incredibili: ille verò furore & amentia. Et ille quidem ad mortem vsque puniendam propensus: hi verò addemū vsque spiritū sustinere parati trcōsistebant. Hærebat animo Proconsul vndè potissimum initium faceret, cum cerneret martyres tanta alacritate certamen expetere. Tandem stupore pariter & furore plenus, An, inquit, tormenta hæc non formidatis? Sacrificate, & imminentem suppliciorum tempestatem redimite. Cui martyres: Iam dictis factisque abundè satis testati sumus, nos neque dijs sacrificare, neque tormēta expauēscere. Nā vt de cęteris taceamus, vester ille Iupiter, cui primos honores decernitis, an obscurū est, quam scelestus & nefarius fuerit? Nam in Creta oriundus, itemque sepultus, manifesta & tyrannidis suæ & libidinis nobis reliquit monumēta. Adeò namque intemperans atque ad libidinem procliuis fuit, vt non solum in fœminas, sed in ipsos etiam masculos (prò scelus) insaniret: præstigijs verò & malis artib. in varias idētidem se formas transmutabat, quò liberius per omnia libidinū genera vagaretur. Quidam verò, cū ijsdem contaminati vitijs, in omnē similiter libidinis œstrum sese effundere gauderēt, quò id tutius & sinè frōte liceret,

Multis excruciantur modis.

Iouis libido immanis.

Iupiter vnde dei nomen sit consecutum.

hominem illum nefarium & omnis intemperantiæ auctorem Deum pronunciârunt: eique fana extruxerunt; hodieque etiamnum sacrificant, vt quod eis placet, Deo quoque placere videatur: sicque non solum Deo non inuisum, sed etiam diuinum existimetur, quouis libidinis genere fœdè se atque nefarie cõtaminare.

Sancti martyres dirè cruciantur.

Hæc sacro illo martyrum choro explicante, plebs præcipiti furore agitata impetum in eos fecit: ægreque ab ipso Proconsule prohibita, manus à cæde continuit. Plebis verò dementia sedata, ipse Decius furoris sui instrumenta protulit; & alius quidem ex ipsis, suspẽsus ferreis lacerabãtur vngulis; alij lapidibus & acutis sudibus sauciabantur; alij plumbatis cæsi conterebantur; alij denique alijs atque alijs supplicijs tetro sanè atque horrendo spectaculo excarnificabantur. Vrgebat lictores Proconsul; sæuiebant illi; clamabat populus: Tollite maleficos, truncate deorum contemptores. Martyres verò in tanta rerum asperitate cunctis hostibus, turba; lictoribus: Præside; & ipso denique principe Satana superiores, omnes veluti signo dato, vocem simul extollebant: Sumus Christiani; Christi hostiæ; Christi victimæ etiamsi millies mori oporteat, libenter moriemur.

Illorum stupenda fortitudo.

Præclara martyrum vox.

Tum vero Decius abiecta victoriæ spe, capitis in eos sententiam protulit. Nec mora rapti à lictoribus ad certaminis locũ, qui ab incolis Alonium vocabatur, ipsi inter se, qui ad eam vsque horam concordes fuerant, piam quandam suscipiebant contẽtionem. Omnes enim in sanguinis effusione primi esse volebant; veriti

Alij alios ad mortem auertere conantur.

veriti ne qua forte occasione glorioso illo triumpho postremi fraudarentur. Itaque dũ preces fundunt, & certatim sacras suas ceruices gladijs obijciunt, omnes tandem inclyta martyrij corona insigniti ad cælos migrârunt.

MARTYRIVM S. GREGORII SPOletani, Presbyteri: Ex eo quod extat apud V. P. Laurent. Sur. Passus est anno Christi 303. Marcelli Papæ 7. Diocletiani & Maximiani 20.

Vide Tom. 2. Annal. C. Baron. & Notat. Martyr. Rom. 24. Decẽ.

DIOCLETIANVS & Maximianus Imperatores cum in idolorum cultu statuendo confirmandoque vehementer laborarent, tum Flacco cuidam viro impijssimo, & crudelitate insigni, in mandatis dedêre, vt prouincias peragrando idola erigeret, & cultum eorum omni diligentia instauraret. Is ciuitatem Spoletanam ingressus, cum diligenti, per Tircanum quendam, inuestigatione de ciuium religione & moribus habita, Gregoriũ inter omnes fidei & pietatis amore in Deũ flagrantẽ, & miraculis clarum fana & simulachra demolientẽ intelligeret, rabie protinus incredibili exardescẽs, milites quadraginta ad Gregoriũ destinauit; qui vinctũ eum ad se perducerent. Adductum Flaccus cum Tircano in tribunali sedens ita affatus est; Tune es ille Gregorius, deorum & principum contemptor? Cui Gregorius; Ego, vt verum fatear, ab infantia Deo meo seruiui, qui hominem ex limo terræ ad imaginem & similitudinem suam facere dignatus est, ipse est Deus fortis; qui vnicuique reddet iuxta opera sua.

Cultus dæmonum mirè feruet sub Diocletiano.

Gregorij eximia pietas & zelus pro fide Christiana.

Capitur, & sistitur ad tribunal.

Genes. 1. Romon. 2. Apocal. 22.

Maxillæ eius verberãtur.

Flaccus verò, omissis, inquit, verborum ambagibus præcipio vt sacrifices, nisi pœnas tibi durissimas cumulare velis. Gregorio autem abnuente, & nefarium scelus constanter execrante, Flaccus tormenta proferri, & maxillas martyris, tanquam in deos blasphemi contũdi iussit. Illo autem pari constantia atque virtute deorum vanitatem arguẽte, nodosi fustes allati fuêre; quibus & dorsum eius & ventrem acerrimè verberârunt: ac penitus dissipârunt. Indè manibus pedibusque crudelissimè vinctum, in craticulam, igne supposito, iniecerũt. Illo verò ad Christum preces fundente, diuinumque numen in sui adiutorium vocante, repentè horribilis extitit terræmotus: qui inopinata ruina quadringentos quinquaginta paganos oppressit. Territus ea calamitate Flaccus fuga se indè celeriter proripuit: relictumque martyrem Tircanus ferro constrictum in carcerem reclusit.

Nodosis fustib. cæditur.

In craticula assatur.

Terræmotus multos paganos opprimit.

Angelus eũ consolatur in carcere.

Eadem illa nocte angelus Domini athletam inuisit, dissipatisque tenebris, & vinculis confractis, pacem illi & constantiam precatus est. Insequenti luce rursus ad certamen productus martyr, admotis ad latera lampadibus toto penè corpore adustus fuit: sed nihil ea inuictam illius virtutem infringere potuêre supplicia: prorsus vt Flaccus igne furoris totus exæstuans, moræque impatiens capite eũ plecti iuberet. Raptatus itaque in medium amphiteatrum, & ab Aquilino spathario capite trũcatus, è corporis ergastulo ad cælos migrauit. Porrò Tircanus, vt nouam aliquam apud Flaccum iniret gratiã, horribiles feras dimitti iussit,

Lampadibus aduritur.

Caput ei amputatur.

iussit, qui sacrũ martyris corpus deuorarent: At illæ Flacco Tircanoque humaniores, omni feritate posita, corpus lambere; dimisso capite venerari; rugitus edere; multisque signis & indicijs tyrannorum rabiem detestari. Quo viso populus voce magna exclamauit; Verè magnus est Deus Christianorum: multique sua nomina Christo dedêre. Flaccus verò animo & corpore æger, diuina vrgente iustitia, præcordia euomens expirauit. Sacrũ autem martyris corpus Abundantia insigni pietate ac religione matrona, triginta quinque aureis à Tircano redemptum, preciosis conditum aromatibus, balsamo quoque & nardo, iuxta pontem lapideum & riuum, qui Sanguinarium appellatur, propè muros ciuitatis nono Kalend. Ianuarij cum hymnis & cãticis sepeliuit. Hoc verò tempore sanctissimi huius martyris reliquias religiosè colit ac seruat Ecclesia metropolitana Coloniensis summo in templo, collocatas super tumbam trium Regum: cum quibus eò sunt olim simul adductæ.

Feræ eius corpus venerantur.

Multi credũt in Christum.

Abundantia egregia matrona corpus eius sepelit.

Posteà Coloniam Agrippinatr mans latum.

DE SACROSANCTA SOLENNITATE *Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi: Ex R. P. Lodouico Iranatensi.*

Ex Concio. 3. & 1. de Natali Domini.

QVANQVAM multa sint, fratres Charissimi, quę in hodiernæ solẽnitatis mysterijs admirãda sese nobis offerãt: in his tamẽ ineffabilis nati Saluatoris nostri supereminet humilitas. Mira siquidẽ sunt signa hęc, quę pastoribus cęlestis nuntius ad paruulũ Ihesum inueniendum proposuit; *pãnis quippè inuoluũ, & positũ in præsepio.* Ad quidnã sibi vult hæc tã

25. Decẽ.

Admirauda Christi humilitas.

Lucæ 2.

dissimilium rerum cõiunctio? Parum namque signa hæc tanti Saluatoris dignitati conuenire videntur, siuè diuinam in eo maiestatem, siue regiam potestatem spectare velis. Quomodo enim pannis inuolutum narras, qui per Prophetam dicit *se esse amictum lumine sicut vestimento?* Quomodò in præsepio positum denuncias, qui apud Isaiam dicit: *Cælum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum?* Et quidem hæc humano iudicio superna illa maiestate indigna esse videntur: verùm si paulisper oculos ab hoc diuinæ maiestatis splendore deflectentes, causam propter quam Dominus hanc humilitatis speciem suscepit, propius contemplemur, inueniemus planè nullo conuenientiori habitu eum ad nos venire potuisse. Ex finis enim natura, rationem & conuenientiam eorum quæ ad finem consequendum destinata sunt, iudicare solemus. Nemo enim Regem purpura atque auro indui solitum reprehendit, si cum venatum pergit, rusticano habitu induatur: quandoquidem venatoribus hic amictus conuenientior, quam regius est. Quocircà huius Dominici natalis scopum atque finem paulo diligentius perquiramus. Quid tibi, bone Iesu, cum hoc inferiori mundo? quis tibi tam longinquæ peregrinationis finis exstitit? Nimirum (vt innumera alia bona præteream) ad hoc venisti, vt tanquam verus generis humani medicus vulnera nostra sanares. Et quamuis multi essent ac varij morbi: quibus genus humanum infestabatur, vno tamen grauissimo morbo potissimum laborabat: nempè tumore super-

Psal. 103.

Isaiæ 66.

Simile.

Quarè Christus in mundũ venerit.

superbiæ : quo curando nulla certè potuit excogitari medicina salubrior.

Nam quia generis nostri parens superbia elatus, è summo dignitatis fastigio corruit, hũc ipsum morbum velut hæreditario iure ad posteros transmisit; quo factum est, vt inter omnes omnium hominum cupiditates vehementissima sit honoris cupiditas: propter quem infinitis se periculis & laboribus obijciunt: nullumque facinus tetrum & immane recusant, modò per illud viam sibi ad inanes seculi honores & gloriam sternant. Cùm autem varia sint morbi huius medicamenta, primum inter ea locum humilitatis exempla obtinent: illa præcipuè quæ clarissimorum ac summorum hominũ sunt. Si hoc igitur ita est, quod quæso aliud vel efficacius vel illustrius exemplũ mundo exhiberi potuit, quàm stupenda Dominicæ Natiuitatis humilitas? Neque enim adeò mirum est, si vel Reges, vel Imperatores vel Pontifices Maximi sese ad ima demittant: cum omnes ex nihilo creati, ad nihilum naturæ lege ferantur. Verùm illud superat omnem admirationem, quod altissimus rerum omnium conditor, qui (vt Ioannes ait) habet in veste & femore suo scriptum, *Rex* a *Regum & Dominus Dominantium; qui* b *luccem habitat inaccessibilem; qui sedit super* c *Cherubim; qui* d *ambulat super pennas ventorum*: quem laudant astra matutina; ad cuius conspectum terra magnis fragoribus quassata contremiscit; ad cuius nutum columnæ cæli pauent: cui denique cætera omnia comparata, quamlibet maxima sint, nihil sunt, ille inquã, rerum omnium Dominus, tot se gradibus ad

Quàm inclinetur homo ad ambitionem.

a *Apoc.* 19.
b 1 *Tim* 6.
c *Psalm.* 79.
d 103.

infimum vſque mundi locũ deiecerit. Primùm ſiquidem ad iumentorum ſe demiſit ſtabulum: deindè ad crucis ſupplicium: mox (ac ſi mortis debitor eſſet) ad tumulum: ac poſtremò ad inferorum vſque locum deſcendit. Quo certè exemplo nullum vel maius, vel illuſtrius ad humilitatis commendationem fingi potuit. Denique quiſquis vitam eius ab incunabilis ad crucem vſq; fuerit cõtemplatus inueniet planè omnia Chriſti tum dicta tum facta, humilitatem ſpirare, humilitatem commendare, humilitatem humanis mentibus infigere. Quemadmodum enim qui munitiſſimã arcem ſumma vi expugnare contendunt, diu noctuq; muros arietibus omniq; tormentorũ genere quatiunt, ita hic cæleſtis Imperator ab ipſis incunabulis, ad extremum vſque vitæ actũ, tot humilitatis documentis & exemplis, quaſi arietibus quibuſdam, ſuperbiam noſtram oppugnare non deſtitit. Hinc D. Gregorius: *Ad hoc, inquit, Vnigenitus Dei formam humilitatis noſtræ ſuſcepit; ad hoc inuiſibilis, non ſolum viſibilis, ſed etiam deſpectus apparuit; ad hoc contumeliarum ludibria, irriſionum opprobria, paſſionum tormenta tolerauit: vt ſuperbum hominem doceret humilis Deus.* Quis igitur hoc exemplo non ſuperbiæ tumorem deponat, non ceruices deprimat, non ſanctæ humilitatis iugo colla ſubmittat? Cùm Dauid (propter admiſſum ſcelus in Vriam) diuina purgente vindicta à facie Abſolonis profugus in deſertũ fugeret, & flens nudis pedibus, operto capite, per cliuum montis Oliuarum adſcenderet, familia omnis, quæ illum ſequebatur, operto ſimiliter capite adſcendebat plorans. Si igitur Rege ſic gradiente,

Modis omnibus nos Chriſtus humilitatem docuit.

Simile.

2. Reg. 11. & 15.

diente, quisquam è familia eius phalerato equo veheretur, an non merito in magnum superbiæ atque immodestiæ crimen incideret? Si ergò Angelorum & hominum Rex, non quidem propter sua, sed propter nostra omnium scelera adeò se ad ima deiecit, vt (quemadmodùm Isaias ait) nouissimus virorum reputaretur, quomodo vilis homuncio & omni vitiorum genere coopertus apponit magnificare se super terram, & ambulare in magnis & mirabilibus super se? Itaque si medicamenti huius virtutem spectes, nullum certè huic morbo efficacius potuit adhiberi. Cuius rei præscius idem Propheta, Saluatoris aduentum vehementissimè desiderans: *Vtinam*, inquit, *disrumperes cælos, & descenderes: à facie tua montes defluerent.* Montium autem nomine superbos & elatos homines designauit: quos huius tam stupendæ humilitatis exemplo humiliandos præuidebat.

Esaiæ 53.

Esaiæ 64.

Habemus ergo hodie fratres, in nato saluatore summum humilitatis & paupertatis, imò & totius Euangelicæ perfectionis exemplum. Discamus itaque hinc humilitatem: discamus mansuetudinem: discamus charitatem: discamus patientiam: discamus labores amplecti: delicias aspernari: ac denique discamus omnia, quæ in hoc mundo bona putantur contemnere: cum sic ea videamus à summo orbis Domino despici atque contemni.

MARTY-

MARTYRIVM S. ANASTASIAE: Publij viri clarissimi, sed Gentilis & sceleratissimi coniugis, quam tamen virginem permansisse, ex eius prima epistola ad Chrysogonum quodammodo colligi potest: Itemq; Theodotae & trium filiorũ eius. Ex eo quod est apud S. Metaphrasten. Coronatae sunt anno Christi 303. Marcelli Papae 7. Diocletian. & Maximian. Imp. 20.

Vide Tom. 2. Annal. C. Baron. & Not. Martyr. Roman.

ANASTASIA nobilissima Romanae vrbis fœmina, viri cuiusdam Prætextati sed ethnici,* Christianæ tamen matris filia, generis splendore & corporis pulchritudine, animæ nobilitate & morum honestate nulli prorsus secunda, cum ab infantia Christi cognitione fideiq; mysterijs à Chrysogono exactè esset imbuta, hac vna in re meritò infelix reputari poterat, quòd à patre, inuita planè, viro Gẽtili & Christianæ religionis infensissimo hosti, Publio nomine, matrimonij vinculo copulata fuerit. Horrebat illa viri consuetudinem: eoque in rerum publicarum administratione occupato vili induta habitu, vnica comitante ancilla, carceres obibat: custodibusq; pecunia delinitis, martyrum curabat corpora: lauabat pedes: comam expurgabat; pilos tondebat; vulnera mundabat: nullumq; officij & charitatis genus omittens, Christi confessores, qua poterat reuerentia tractabat, pascebat, fouebatque. Hæc cum Publium latere non possent, qua erat in omnes Christianos crudelitate, ipsam quoque coniugem domestico diu multumque carcere afflictauit; & profectu-

25. Decẽ.

Patria & parẽtes eius.

** vt patet ex Epistola ad Chrysogonũ.*

A Chrysogono docetur fidem Christianam.

Iungitur inuita Publio.

In vili habitu adit carceres & ministrat sanctis.

Maritus eam affligit.

fecturus ad Persas, sub custodia in vinculis dereliquit; de ea supplicium post reditum sumpturus. Sed diuina prouidentia, in ipso itinere morbo confectus interijt: & Anastasia vinculis soluta, libertatique restituta, pristina pietatis officia resumpsit: seseq; totam cum bonis, quæ relicta fuerant, Christianorum præcipuè confessorum ac martyrum vsui atque obsequio mancipauit.

Maritus eius moritur.

Intereà cum Diocletianus odio Christiani nominis vehementer incensus, multa de sanctissimi viri Chrysogoni virtutib. inaudisset, hominem suo confestim tribunali sisti, & in Christi confessione constantem capite plecti iussit. Eadem illa persecutione tres quoque eximia pietate sorores, Agape, Chionia & Irene in Christi confessione constantes glorioso certamine martyrium subiêrunt: quorum omniũ reliquias S. Anastasia, martyrũ cumprimis studiosissima, preciosis vnguentis conditas honorificè composuit. Et hæc quidem Aquileiæ; vbi tunc Anastasia, relicta Vrbe, Christi confessoribus martyribusque suam nauabat operam.

S Chrysogonus capite cæditur.

Harum sororum martyrium quære 1 April. Tomo 2.

Fuit quoque eodem tẽpore Theodota Christianæ religionis apud Diocletianum accusata: matrona cùm corporis animique dotib. ornatissima, tum religione & fide in Deum sanè præstantissima. Erat ex Bithyniæ ciuitate Nicea oriunda, & inquilina cũ Anastasia & trib. liberis in Macedonia, paria pietatis suæ & religionis documenta præbebat. Cùm autem antè Imperatoris tribunal consisteret, Leucadius quidam admiranda illius pulchritudine captus, eam sibi ab Imperatore poposcit coniugẽ: indi-

Theodota martyr. Eius patria.

indignum asserens tanta tamque eximia venustate fœminam ad exitium rapi. Diocletianus haud grauatè Leucadij postulato annuiratus illius blanditijs facilè eam à Christi cõfessione ad deorum cultum perducendam. Igitur Leucadius gaudio exultans domum suam Theodotam abduxit: nihil non moliens vt eã suæ impietatis participem faceret. At illa cernens hominem nullum non mouere lapidem: Si, inquit, propter opes & pecunias me tibi cõiugem postulas, eccè tibi cedo omnibus solo Christo Deo meo contenta. Sin vt amplexibus fruaris, oleum sanè & & operam perdis: cùm ego neque ferro, neque igne, neq; vllis denique supplicijs à Christi amore auellenda sim.

Immutabilis eius constantia.

Intereà Diocletianus audiens tantã effectiuorum multitudinem, qui pro Christiana religione in vinculis tenebantur, vt carceres quanquam amplissimi eorum minimè capaces essent, præcepit, vt innumerabilis multitudo, quouis supplicij genere, è medio tolleretur: locusque carceribus daretur. Fuit ilicò in omnes atrociter sæuitum: ita vt in sequenti luce Anastasia solita pietatis officia martyribus exhibitura veniens, carceres planè vacuos inueniret. Tum verò animo penè deficiens, fudit lachrymas, & concaua ergastuli loca fœmineo complens eiulatu, martyrum agones deplorabat. Accurrunt quidam è custodibus relicti, eamque flentem & eiulantẽ ad Florum Illyrici Præfectum perducunt. Is quanquã puniendæ illius constantiæ, qua in confessione vtebatur, magno ardore teneretur, tamen quia fas nõ esse sciebat illustri genere fœminã supplicijs

Angusti sunt carceres propter multitudinẽ Christianorũ captiuorum.

S. Anastasia denuò comprehẽditur.

cijs ſubdere, eam ad Imperatorem tranſmiſit. Ille verò de facultatibus eius magis quã de honore deorum ſuorum ſolicitus: Vbi, inquit, aurum, vbi ſunt opes, quas à patre tuo viro clariſſimo & ſummo deorum amico accepiſti? Cui Anaſtaſia: Si adhuc reliquum mihi foret auri, quo Chriſti ſeruis ſubuenirem, non vtique me tibi tradidiſſem. Nunc autem quia omnia, vt oportuit, erogata ſunt: quod mihi reliquum eſt, ipſum quoque corpus Chriſto meo offerre volui.

Conſtantiſſimè reſpõdet Diocletiano.

His auditis Imperator, veritus ne tantę prudentiæ, conſtantiæque fęmineæ ſuccumberet, eam Præfecto examinandam tradidit: qui poſt blanditias minasque fruſtrà adhibitas, eam ad Vlpianum Capitolij Pontificem adduxit: vt aſtu ſuo, quo plurimum valere putabatur, eam in fraudem impietatis impelleret. Adhibuit ille cuncta quæ potuit patris ſui ſatanæ inſtrumenta; opes; diuitias; honores; veſtium ornatũ; gemmarum ſplendorem: lectos argento incruſtatos, & ſtragulis elegantib. adornatos: cæteraque id genus ſtultorum ludibria: quin etiam contraria contrarijs opponẽs, enſes micantes: vincula maleficiorum: flagella: lãpades, lebetes æneos: ſartagines: vngulas: aliaque aſpectu ſanè horribilia: quo vel ſic terrorem incuteret vel reb. lętis & externo homini gratiſſimis cõſtantem animi eius virtutem emolliret. Cùmque ſingulari animi magnitudine pia matrona cũcta deſpiceret, Vlpianus virtutẽ admiratus, in tertium diem cauſam diſcutiẽdam diſtulit. Illa verò moræ, propter martyrij deſiderium, impatiens: Iam inquit, exiſtima hos tres dies elapſos

Vlpianus Capitolij pontifex nititur eam euertere.

Non patitur differri martyrium ſuũ.

elapsos esse. Nam eadem, quę nunc, animi tunc erit sententia.

Triduana eius inedia.

Sperans nihilominus Pontifex temporetãtam virtutem cessuram, tradidit eam mulieribus gentilibus, vt eam effœminato sermone blanditijsque emollirent. At illa toto illo tẽpore cibi omnis potûique expers, inter inanes mulierum strepitus, Christi opem implorabat assiduò, vnico tantum studio solicita, ne desiderata martyrij gloria fraudaretur. Die verò tertio Vlpianus vt audiuit immotum eius animum, in aulam furore & amentia plenus insiliens, cum in eam manus inijcere nefarias, & aliquid inhonestum prophanis dijs dignũgerere conaretur, diuinitus oculorum luce orbatus & acri insuper dolore cruciatus in tenebris miser palpitare cœpit. Nec multo post acrioribus dolorum telis confixus, pollutã dijs suis animam tradidit.

Pontifex fit cæcus & vitam amittit.

Exindè Anastasia libertatem consecuta, protinus ad Theodotam abijt, quã suis colloquijs monitisque egregiè confirmauit. Paucis verò post diebus Comes Leucadius ex Bithynia reuersus, vt vidit Anastasiam Theodotæ adhærẽtem, atque pijs sermonibus ad certamen pro Christo subeundum hortantem, haud mediocri percitus furore, Anastasiam quidem statim iudiciario tribunali vinctam obtulit: Theodotam verò Proconsuli Bithyniæ ocyus transmisit. Qui tentata primum per blanditias matronæ voluntate, cum in vanum se verba facere animaduerteret, tyrannus vnum è filijs Euodium nomine accipiens, antè matris oculos virgis crudeliter cædi mandauit. Quod

S. Theodota mittitur captiua in Bithyniam.

videns

videns generosa mater: Quin tu, inquit, nate, fortiter has plagas pro Christo perferto: Hæc enim supplicia sempiternos tibi honores & immarcessibilem æternæ vitæ coronam cóciliabũt. Sta viriliter nate, nè succumbas. Aderit citò ipse Dominus Christus Iesus, qui suauissima consolatione omnem lachrymam ab oculis absterget.

Euodius Theodotæ filius acriter cæditur.

S. Theodota egregiè confortat filium suum.

His Proconsul animo vel maximè incensus maligni dæmonis suggestióe improbum capit consilium. Viro enim petulanti & œstro libidinis insanienti castissimam matronam tradidit illudendam. Erat ei nomen Hyrtacus: qui simulàc manum in eam inijcere tentauit, ab angelo Dei adeò grauiter cæsus est, vt profluẽte è naribus cruore, tota facie liuidus recederet. Vndè magis conturbatus Proconsul eam vnà cum filijs ignis incendio condemnauit. Itaq; ardentem cum trib. liberis ingressa fornacem, læti omnes & alacres suas Christo animas reddiderunt.

Vltio diuina in virum libidinosum.

S. Theodota cum tribus filijs in fornace reddit spiritum.

Porrò Anastasia in vinculis tenebatur apud Præfectum Illyrici: qui cum tota mentis auiditate opibus illius inhiaret, fraudulenter accedens: Quandoquidem, inquit, Christus tuus præcepit diuitiarum contemptum: cede mihi pecunijs, & possessionibus cunctisque facultatibus: quò deinceps liberè Deo tuo seruire valeas. Ad ea Christi famula respõdens: Sed enim (inquit) ô Iudex alicubi dictum est in Euangelijs à meo Christo: Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis sic thesaurum in cælis. Itanè ergo, tibi homini diuiti & opulento pauperum facultates tradam? Commotus ira

Matth. 19.

Præfectus, eã cũ alijs numero 120. in profundũ maris ſubmergi iubet. Eo verò mortis diſcrimine B. Theodotę adiutorio mirabiliter eruta; tertio poſt die præſidis mandato trib. fuit alligata palis; ſicque conſummanda, igne vndique circũdata: quæ quidem in medijs flammis eam continua inedia cruciandam in vincula protruſit: vbi poſtquam dies ſexaginta, omni licet alimento deſtituta ſecurè & ſanè exegiſſet, indignans & fremens, tyrannus eandem placidè Chriſto ſpiritum commendans, mente hilariè vita exceſſit. Sacrum eius corpus Appollonia claro genere matrona, domi ſuæ reuerenter condidit, atque in horto honorificè ſepeliuit, inclytis admodum poſteà glorificatum miraculis.

S. Anaſtaſia victrix migrat ad Dominum.

VITA ET MARTYRIVM S. EVGEniæ virginis Romanæ nobiliſsimæ: Philippi Patris eius, Prothi & Hyacinthi Eunuchorũ. Ex eo quod eſt apud Metaphraſten. Paſſa ſub anno Chriſti 262. Dionyſ. Papæ 2. Valeria. & Gall. Impp. 8.

Vide Tom. 2 Annal. C. Baron. & Notat. ad Martyrol. Rom. 25. Decẽb.

Patria & parẽtes eius.

BEATA Eugenia, animo vti generoſa, ſic ſpecie & pulchritudine admodùm inclyta, parentibus Romanis orta eſt, natalium ſplendore quidem illuſtriſſimis: at cultui idolorum plurimùm deditis; patre nimirum Philippo: matre verò Claudia. Erant autem ei fratres germani Auita & Sergius. Porrò pater eius ob meritorum claritudinem ab Imperatore Commodo eximia dignitate ſublimatus, Præfectura videlicet totius Aegypti,

Philippus pater eius exaltatur ab Imperatore.

pti, assumpta secum omni familia: in vrbe Alexandrina sedem fixit. Et quidem rerum gubernacula prudenter administrans, Iudæos & magos vt pessimum hominum genus vehementer exagitabat; Christianis autem ob perfectam vitæ philosophiam parcens: concedebat eis habitare & conuersari in suburbijs. Sed enim cùm esset eruditionis & eloquentiæ amantissimus, Eugeniam filiam suam omnibus liberalibus artibus, plenè erudiri & tam Latino quàm Græco eloquio egregiè instrui curauit. Illa verò vt erat acerrimi ingenij & memoriæ admodũ tenacis, quicquid audiendo semel vel legendo poterat arripere: perpetuò retinebat.

Beneuolus in Christianos.

Eugeniæ filiæ eius in literis progressus.

Fama igitur meritorum eius longè lateq́ue sese diffundente, iuuenes sanè complures opibus & genere clarissimi eius ambiebant nuptias; demùm verò * Aquilino Consuli apud Romanos nobilissimo à parentibus desponsata fuit. At illa quiduis potius pati parata, quàm castæ virginitatis dispendium: pia quadam fraude vtrosq́ue decepit. Venit ei autẽ quandoq́; in manus B. Pauli Apostoli Epistolarum liber; quẽ cum attentissima mẽte perlegeret, fuit ilicò diuinitùs illuminata: ac Christo occultè credidit. Igitur animo iam reddita Christiana, secũ pertractans qua ratiõe impietatis vinculis facilius sese expediret, rogat parentes vt recreandi gratia permitteretur prædia sua in suburbano Alexandrię posita circuire & perlustrare. Quo impetrato, assumptis secum Eunuchis * Protho & Hyacintho, eis

Despondetur Eugenia Aquilino Consuli.

** Aquilio & Acilio.*

Quo pacto ad Christum cõuersa.

En prouidũ eius consiliũ.

** Prota.*

(quod essent omni disciplinarum genere egregiè imbuti) nullo penè negotio ad fidem Christi conuersis, animi sui conceptum manifestauit. Itaque clam ab eis attonsa ac virili habitu induta, protinus relicto cautè comitatu, ad monasterium monachorũ quod erat non procul à ciuitate simul properant: virumque se simulans ac Eugenium nũcupans vna cum Protho & Hyacintho in fratrum societatem sese recipi postulant. Quam Helenus Episcopus Heliopoleos, diuino oraculo edoctus, cum fœminam sciret, præclarè de virili animo commendauit, ac sacro fonte cum socijs expiatam, in numerum monachorum coaptauit.

Prothum & Hyacinthũ eunuchos suos ad Christi fidem cõuertit.

Mutatis habitu & nomine baptizatur cũ eunuchis & fit monacha.

Illa igitur vocationem suam iugiter attendens, virtutum incrementis strenuè inuigilabat: in diuinis scripturis meditãs die ac nocte. Quo factum est, vt biennij spatio vitæ integritate omnes ibidem longè superaret; tenera, inquam, virgo viros: ac B. Abbate nõ multo post vita functo, in regimine succedere communi fratrum suffragio coacta fuerit. Parentibus interim eius ob dilectissimæ filiæ amissionem, in continuo penè luctu degentibus. Gentilium verò pontifices mœrebundo patri solamen aliquod excogitantes, vaticinantur deos captos amore Eugeniæ, eam in cælum rapuisse. Vndè ille plurimum gauisus, auream ei erexit statuam: & tanquam nouæ Deæ miser illi sacrificabat. At mater & fratres quibus sanior mens, de figmento dubitantes: Eugeniam supra modum lugebant.

Mirè proficit in pietate

Cogitur præesse fratribus.

Parentes plurimum dolent filiæ amissionem.

Quæ intereà cum insigniter admodum præfecturam monasterij exerceret: tum ei cęlitus access-

Optimè præest suis Eugenia.

accessit curationũ gratia. Contigit porrò matronam quãdam opibus ac gloria insignẽ, Melanthiam nomine, in quodam suo agro propè monasterium degentem, à quartana, olei sacri vnctione ab Eugenia liberari. Et quidem eam virum Melanthia existimans, progressu temporis familiarior effecta, & sępiusculè eã cum munusculis visitãs, demum satanæ astu speciei ac vultus eius decore capta, sub cupidinis iugo infelix ingemiscebat. Excogitans igitur qualiter interna depascens incendium extinguere posset: languorem simulans pro Eugenio misit. Cui tanquàm viro cum amorem pandit: tum protinus ad commixtionẽ inducere omni studio conatur. At Eugenius scelus abhorrens, cũ eam sermonibus manibusque à se repelleret, Melanthia confusa, magis autem ob contemptum exacerbata, dubitans nè Eugenius factũ proderet & sic infamiam ipsa incurreret: eum præueniendum censuit. Ad vrbem itaque properat, Præfectum Philippum protinùs adit: ac Eugenium de intentata violẽtia acerrimo spiritu accusat. Præfectus verò tantæ matronæ indubiam adhibens fidem, Eugenium cum omnibus qui cũ eo erãt comprehendi iussit, diemque statuit, quo cuncti pariter acerbissimis suppliciorum generibus interirent.

Claret miraculũ.

Impudicè damatur à quadam matrona.

Sollicitatur ad stuprum.

Abhorret nefarium actum.

Accusatur innocens stupri.

Præfinito igitur die in medium producta Eugenia, grauibus onerata catenis Præfecto oblata fuit: qui toruo eam intuens vultu, inter varia verborum iacula scisciatur, num adeò nefaria & impudica Christus quẽ coleret, doceret. Cumque obiectum crimen virgo egregiè diluisset, Melanthia verò pertinax, ancillã

Sistitur Præfecto.

Purgat se.

prout ab ea edocta fuerat testem violentiæ adhibuisset; Eugenia demùm pro defensione veritatis, & nè Christianum nomen falsitate cõfunderetur, coacta etiam aliquid facere præter honestum & decorum, supernè acceptam disrumpit tunicam; nudatisque quibusdam partibus corporis, verè fęminam se esse ostendit; deindè conuersa ad patrem, se ipsam Eugeniam eius filiam: socios verò Prothum & Hyacinthum eunuchos suos esse palam declarauit. Quanto autem tunc stupore repleti, quanto gaudio, quantisque lachrymis perfusi filiam agnitam parentes amplexati sint, quis pro dignitate explicare queat? Melanthia verò resipiscere contemnens, diuina eam persequente vindicta, à fulmine interempta: cum omni domo sua consumpta est. Parentibus autem Eugeniæ & amicis, eius sedulitate ad Christi fidem conuersis, reddita est breui Ecclesiæ optata pax.

Qualis & quænam sit manifestat.

Melanthiæ infœlix interitus.

Eugenia parentes suos ad Christi fidem conuertit.

Rebus igitur Christianorum egregiè florentibus, eccè impij quidam satanę immissionibus excitati Imperatores adeũt, ac Philippum prę-fectum de magnorum deorum cultus abolitione, & Reip. cõturbatione accusarunt. Illi eorũ relatione plurimũ cõmoti, Philippo cõfestim scriptis denunciarunt, ni velit insigni sua dignitate exui, protinùs patrios ritus restaurет. Eo accepto mandato Philippus, morbum simulans, venditisque interim facultatibus, eas partim ecclesijs partim pauperibus distribuit.

Philippus pater eius accusatur apud Imperatores.

Mittitur ei inter hæc in Præfectura successor Terentius, qui subornatis quibusdam fictis Chri-

Philippi successor Terentius.

Christianis, ac clanculum ad eum immissis, precibus intentum gladio percuti curauit. Sicque martyrij gloria redimitus Philippus, post triduum quod accepta plaga superuixerat, honorificè admodum sepultus est in loco Isium nuncupato; vbi ipse, cum adhuc viueret ædem sacram ædificarat. Cui cum & aliam domum ad excipiẽdos peregrinos Claudia vxor eius addidisset, aliquanto post tempore Romam cum suis redijt. Vbi Eugenia meliora æmulans charismata, complures virgines natalium quoque ac diuitiarum gloria illustres, cum ad Christi fidem conuertisset, sibi associauit. Et quidem præter alias, opera Prothi & Hyacinthi, clarissimam Basillam; quæ quod nollet sponso suo Pompeio matrimonio copulari, ab eo apud Imperatorem accusata quod & Christiana esset: iussu eiusdem capite obtruncata martyrij palmam adepta est.

Philippi martyrium.

Locus sepulturæ eius.

Claudia cum familia reuertitur Romam.

Eugeniæ ibidem eximij fructus.

Basillæ virginis martyrium.

Post quæ compræhenduntur Prothus & Hyacinthus Eunuchi, Beatæ Eugeniæ indiuisi comites & meritis haud impares; trahũtur ad Iouis fanum: vt ei sacrificent. Cùm autem orarent, cecidit simulachrum ad pedes eorum: in puluerem cineremque omninò redactum. Nicetius verò Præfectus id haud virtuti diuinæ sed magicæ arti attribuens, gladio eos animaduerti iussit: & Eugeniam mandato Imperatoris sibi sisti. Quæ imperterrita antè tribunal eius consistens, insigni sanè oratione Christianos, à calumnia quod magicis artibus vterentur vindicauit: ac idolorum vanitatem, eorumque cultores egregiè pudefecit.

Prothi & Hyacinthi Eunuchorũ Martyrium.

Eugenia sistitur Præfecto.

Templum Dianæ eius precibus subuersum.

Vndè Nicetius exacerbatus, protinùs eam ad templum Dianæ abduci iussit, vt eidē sacrificaret; verùm illa Deum deprecante fanum cum idolo cælitùs subuersum est. Id audiens Imperator, tenebris impietatis occęcatus, eam ingenti saxo collo eius alligato in Tyberim præcipitari mandat: quod & confestim factum est.

Quanta illæsa passa.

Ioan. 21.

Sed lapide collo eius exoluto, aquas instar diui Petri inambulabat. Indè verò in fornacem ardentem mittitur: verùm igne diuinitùs extincto illęsa egreditur. Carceri deindè mancipatur tenebricosissimo: vt ibidē squalore & inedia consumpta interiret. At ibidē à Christo, diuino lumine & cælesti pane confortata: ab eodem, quod & illo die quo ad terras descenderat, eam ad cælestia subleuaret, promissum accipere meruit.

Consolatur à Christo Domino.

Decollatur.

Ipso igitur die Natalis Domini à Præfecto missus spiculator, eam in carcere obtruncauit. Porrò sacrum corpus eius à matre & fratribus indè sublatum, via Romana honorificè admodùm tumulatum est. Cæterùm aliquanto post tempore matri apparuit, ineffabili splendore coruſca: ac gloriosa virginum stipata multitudine. Cumque eam abundè consolata fuisset: non ita multis post diebus subsecuturam eam certo prædixit.

Locus sepulturæ eius.

Apparet matri & obitū eius prædicit.

(.·.)

NOBILE

NOBILE CERTAMEN SANCTISsimi Protomartyris Stephani; qui passus est 26. Decembris: Septimo ab Ascensione Domini mēse. Anno 18. Tiberij Imp.

Vide C. Baron. Annal. Tom. 1. anno Christi 34. & Not. in Martyr. Rom. 26. Decē.

STEPHANVS diuini spiritûs gratia mirificè repletus, primus Diaconorum Christianorum omnium, primus inuectam ab ipso Christo in mundum fidem, præclaro sanguinis sui testimonio consignauit. Vndè autem necis eius oborta fuit occasio S. Lucas in actis Apostolorum docet; qui nobile eius certamen & triumphum egregium exactè conscripsit. Postquàm enim vehemens è cælo spiritus à Christo missus, sacra Apostolorũ pectora stupendo planè & vocis & linguæ miraculo impleuerat, continuo ad fidei & Sacrosancti Euangelij semina dispergenda se contulerunt. Cumque ex omni, quæ sub cælo est, natione Hierosolymis degerent, reique nouitate commoti, ad concionem confluerent, stupore sanè repleti sunt, quod homines rudes & idiotas omnium idioma proferre audirēt. Quarè Pharisæi & proprijs aurib. fidē derogantes, & eos qui rei tam admirandæ stupore tenebantur, irridentes, ex musto mentis quendam furorem, Apostolos hausisse calumniati sunt. Petrus verò diuini verbi calore accensus, vno orationis actu, tria animarũ millia piscatus est: & insigni insuper miraculo claudi ad Speciosam templi portam integræ sanitati restituti, Ecclesiã incredibili accessione cumulauit: prorsus vt iam indè plurium opera, qui gratiæ ministrarent, indigeret.

Act. 6. 7. 8.

Act. 2.

En admirabilem Sancti spiritûs operationem.

Eximius fructus concionis D. Petri.

Act. 3.

S. Stephani Primordia.

Igitur Spiritussanctus ad communem Apostolorum operam promomouendam, Stephanum admirabili sapientia & gratia virum aduocauit. Qui signis & stupendis rerum factis omnium in se ora conuertit; & pios quidem ad Christi cõfessionem perduxit: impios verò odio & ira furentes in se concitauit.

Antiq. lib. 20. cap. vlt. Lucia. epis. de Inuent. S. Stephani.

Erant Hierosolymis omnium Iudæorũ metropoli collegia, in quibus erudiebantur adolescentes, qui ex diuersis prouincijs confluebant, vt diuinam legem addiscerent: Græcorũ verò scientias vel nationum linguas haud licuisse publicè tradi Iosephus testatur. Erat Stephanus vnus ex illis, & cum illis eodem vsus fuerat legis magistro Gamaliele; cumque Christi fidẽ liberè fortiterque annunciaret, ac eã miraculis consignaret, cũ sodalium omniũ ac condiscipulorũ, tum præsertim Sauli Tharsensis synagogæ eorum qui erant è Cilicia facile principis in se impetum mouit. Incentor enim omnium esse visus est Saulus, quod ipse in Iudaismo profecisset præ cæteris coætaneis suis, paternarum traditionum abundantius æmulator existens: qui nec à cœpto destitit, donec eundẽ lapidibus obrutũ, sicque iã esse cognouisset exstinctum. Sed æquum est vt inuicti Martyris certamen, quo aduersus fidei hostes Alexandrinos & Libertinos, & Cyrenæos, aliosq; ex omni parte homines impietate cõspirantes decertauit, inspiciamus. Cũ nullis vel argumentis vel fraudibus diui Spiritûs vi, qui in Stephano operabatur, resistere valerẽt, falsis eum criminibus oppugnare constituunt. Ac primò quidẽ execrandæ in Deũ & Mosen blasphemiæ

Paul. ad Gal. cap. 1.

Falso accusatur Stephanus.

phemiæ apud populum eum insimulant: deindè multa aduersus locũ sanctum & sacra eorũ instituta disseruisse calumniati sunt. Stephanus autẽ diuino quodam claritatis lumine circumfusus, longa orationis serie à sacro petita eloquio, Christum eiusq; gratiam eis aperuit: & inflammato spiritu perfidiam & in instituto scelere pertinaciam exprobrauit. Illi verò immani & ferina quadam rabie debacchantes dissecabantur cordibus & dentium stridore insitum animis furorem testabantur. Sed animi & prudentiæ magnitudine excellens Stephanus, furori illorum patientiam opponebat, beneuolentiam odio; minis mortis contemptionẽ: terrori vitæ despicientiã. Cumque perfidi Iudęi, & in scelere pertinaces, toto animo ad cædẽ spectarẽt, ille admirabili charitatis ardore incensus, nunc eos vt fratres intuẽs, nũc vt patres demulcens, omnem eorũ rabiem facilè superabat. Sed cũ nec si quidem excellẽs eius in omni genere virtus immanem eorum crudelitatem frangere posset, tota mente Deo intentus, cum esset plenus Spiritusancto, eccè, inquit, video cælos apertos, & Christũ diuinitatis gloria mirabiliter fulgentem à dexteris virtutis Dei causæ nostrę patrocinio fungentẽ adspicio. Illi verò accepta hac voce, obstructis auribus, in eũ consurgunt; & valido cum impetu atque clamore è synagoga eijciũt: festinantesq; & suæ crudelitati, & Stephani desiderio finẽ imponere densissimo lapidũ imbre illum obruũt. Sed quid interim Stephanus? Quib. armis tantã eorũ sæuitiam repulit? Certè non alijs, quã quibus ipse Christus Dominus Cruci con-

Purgat se S. Stephanus.

Stephanĩ eximiæ virtutes.

Stephanus videt Christum.

Lapidibus obruitur.

confixus suorum inimicorum rabiem repressit. De corporis enim Salute nihil omninò solicitus, primò quidem perbreui oratione huí domino animam cõmendans exclamauit: Domine suscipe spiritum meum. Dein ardentiori pietatis studio pro lapidantium se salute deprecans, positis, summa cum reuerentia humi genibus, Domine, inquit, ne statuas illis hoc peccatum. Quæ cum voce magna & pietate plenissima exorâsset, in dulcem mortis resolutus soporem placidè quieuit.

Orat pro lapidãtibus se.

Obdormit in Domino.

Locus vbi passus est Stephanus.

Locus verò, in quo sanctus protomartyr pro confessione Christi occubuit, non integro stadio Hierosolymis distabat; quem Eudoxia Augusta nobilissimæ ecclesiæ fabrica egregiè illustrauit; situsque erat extra portam quæ vergebat ad Aquilonem, & ducebat ad Cedar; quæ posteà S. Stephani nomine appellata fuit: alio nomine porta Ephraim dicta. Lapis verò, super quem positus lapidum suscepit imbres, in Ecclesiam Apostolorum ad montem Sion positam translatus, magna veneratione est habitus. Porrò vnus ex lapidibus, quo idem protomartyr percussus est, à quopiam Christianorum collectus Anconam Italiæ ciuitatem translatus est: ibidemque ea de causa, Ecclesia in honorem Martyris excitata: in qua eius memoriam annua celebritate agi consueuisse, antiqua testantur Martyrologia. Ibi verò quantis eius sanctitas, & gloria, qua in cælis fruitur, coruscauerit miraculis: satis superq; declarat Augustinus qui vnus sufficiẽs est ad hæreticorũ calumnias retũdẽdas.

a Serm. 31. & 32. de diuersis.

Cæterùm sacrum eius corpus sepulturæ cõmitti

mitti ſtatim non potuit, obſtantibus Iudæis; quam die nocteque ſub dio expoſitum cuſtodiebât, vt à feris & volucrib. cõſumeretur. Sed Chriſto protectore intactum planè atque illeſum permãſit; donec Gamaliel collectos quoſcunque potuit, Chriſtianos occultè ſubmiſit: qui rebus omnibus ad ſepulturam neceſſarijs egregiè inſtructi, ſublatum vehiculo ad villã Caphargamalã (quod interpretatur villa Gamalielis) deportarunt: vbi ſumma funeris magnificentia, in Orientali theca in nouo monumento ipſius Gamalielis conditum fuit.

Gamaliel corpus S. Protomartyris ſepeliri curat.

De inuentione reliquiarum eius ac ſociorum quærat Lector tom. 3. die. 3. Auguſti. De miraculis verò multa ſunt apud Auguſtinum & Euodium epiſcopum quæ nimis longum foret hic adſcribere.

VITA S. IOANNIS APOSTOLI ET Euangeliſtæ: Ex probatiſsimis antiquorum patrum ſcriptis, Ad cenſuram Illuſtriſsimi Baron. rèdactis: Obijt anno Domini 101. Clementis Papæ nono, Traiani Imp. 2.

Vide 1 & 2. Tom C. Baron. & Not. ad Martyr. Rom.

IOANNES Iacobi Apoſtoli, quem *a* Herodes gladio interficiendum curauit, frater, Zebedæo patre natus eſt. Is à Chriſto vnà cum Iacobo fratre, cum in mare Galileæ piſcatores retia reficerent, vocatus, ſtatim relicto patre, rebuſque omnibus, ſe in illius diſciplinam tradidit. Licet enim nobilitate generis multis conſpicuus & ea propter ipſi etiã Pontifici notus fuiſſe dicatur, Euangeliſtæ tamen teſti-

27. Decẽ.

a Actor 12. Patria eius.

Ioannes fuit nobilis.

Hieron. Epiſt. 6.

testimonio ipsum fuisse piscatorem & retia consarcinâsse constat. Ditiorem tamen cæteris Apostolis piscatoribus fuisse, ea est cõiectura, quod mercenarios ad piscationem conductos habebat: nam Marcus de ipso, & Iacobo fratre ipsi⁹ ait, quod relicto patre suo Zebedęo in naui cum mercenarijs, secuti sunt Iesum: habuisseque Hierosolymis domum, in quam post Christi passionem, Dei genitricem recepit, æquè assentimur. Cæterùm à Domino ad Apostolici muneris dignitatem nõ adolescentulus, sed annũ agens vigesimum secundũ, electus est: ac tribus post annis, quibus cũ Domino versatus est, tempore passionis in vltima cœna anno ætatis suæ vigesimo quinto, sacerdotio initiatus est: nam ab ea ætate diuina lege Leuitis concessum erat ministrare in tabernaculo fœderis. Porrò quanta amoris teneritudine Christus Dominus eũ amplexatus fuerit, ex Euangelijs luce meridiana clarius patet. Quarè omissis ijs, quæ sacrosancta Euangelia de illo testantur, operæ precium est vt gesta illius à glorioso Crucis triumpho perstringamus.

Marc. 1.

Secundũ editionem septuaginta interpretum. Secundũ Hebraicã verò triginta annorũ numerum præscriptum fuisse Hieronymus tradit in Ezechielem l. 3 Cap 11. Euseb. principio 3 lib. Histor. Eccl. Asianæ Ecclesiæ primũ ab Apostolis Petro & Paulo institutæ.

Igitur in partitione prouinciarum Asiam illi obtigisse referunt: non quidẽ statim à morte Christi, sed multo post tempore; vtpotè post necem Petri & Pauli Apostolorum; quorum prædicatione, Ecclesiæ Asianæ fuerant fundatæ, & ad pietatem optimè institutæ. Nã & Minoris Asiæ ecclesias à Petro erectas esse constat; à Paulo autẽ alias plures; vtpotè qui Ephesi Asiæ metropoli triennio docuit, eandẽque Ecclesiã primus omnium fundauit. Quãobrem

obrem etsi(quod multi testantur) cum Hierosolymis iussi sunt abire fideles, Ioannes vnà cum Dei genitrice Ephesum venit, non tamen illum ibi Euangelium prædicasse, atque Ephesinam Ecclesiam erexisse constat, Timotheus namque à Paulo Ephesinus pontifex creatus, antè Ioannem in ea messe laborauit: quo viuo Ioannes eidem Ecclesiæ nequaquam præfuit; licet fortassis eam lumine suæ doctrinæ illustrauerit. Cæterùm vltimis post necem Apostolorum temporibus cum ab hæreticis Asiæ ecclesias vexari cognosceret, eò profectus est, easque protinus administrandas curandasque suscepit: ne, qui in ea erant regione fideles, hæreticorum fraudibus à syncera fide exciderent.

Venit Ephesum Ioannes cum virgine Maria.

Timotheus antè Ioannem Ephesi Episcopus præfuit.

Dum igitur Ephesi atque adeò in tota Asia verbũ Dei prædicaret, anno Christi Redemptoris nonagesimo secundo, Domitiano Augusto decimumquintum, & Nerua Cocceio secundum Coss. siue inuidia Apollonij, qui in Christianos erat infensissimus, vel fortassis Euphratis philosophi desertoris apud Domitianum agentis, his officijs assueti; aut opera Ebionis hæresiarchæ, eiusdem Ioannis hostis acerbissimi, ipse Ioannes ad Domitianum Imperatorem reus impietatis, à Proconsule Asiæ Romam vinctus mittitur; atque ad portam Latinam in conspectu Senatûs in dolium feruentis olei, (siue potius solium) tonsus primum ignominiæ causa, immittitur: ex quo tamen saluus planè atque incolumis, sinè vllo doloris sensu, magna omnium admiratione exiuit. Hæc ita se habere confirmat inpri-

Ephesо Romam reus accersitur.

Martyrium eius.

Huius veritatis grauissimi sunt ad-

Stipulatores Tertull. de præscript. cap 36. Hieronym. in Iouin. lib 1. & in Matth. cap. 20.

inprimis vetus ac nobile Ioannis martyrij, & tam insignis editi miraculi monumentum, apud portam Latinam; vbi sæuum illud constat illatum esse supplicium; imò & ipsa dies qua hæc facta sunt pridiè Nonas Maij; quæ perpetua est memoria illustrata: dum eadem, recurrente quolibet anno, Romæ, & alibi, annua celebritate recolitur.

Mittitur in exilium Ioannes in Patmos.

Porrò Domitianus, tam inusitatæ rei miraculo stupore quidem correptus, verum tenebris infidelitatis planè occæcatus, virum sanctum perpetuo exilio condemnans, in insulam Patmos deportandum curauit. In ea insula, eo die quem Dominicum nunc etiam dicimus, visio quædam ei oblata est; qua illi multa magnaque mysteria ita patefacta sunt, vt ea cum scripsisset, ad septem Asiæ Ecclesias, Ephesinã, Smyrnensem; Pergamenam; Thyatiranam; Sardensem: Philadelphianã; Laodicenemque iussu Dei miserit. In insula verò Patmos anno vno & eo amplius constitutus omnes eiusdem insulæ incolas ad pietatem instituit, & minimè pænitendos exilij sui fructus fecit. Eodem illo tempore sacer * Dionysius 90. fermè annorum vir ex Athenis ad Apostolum literas dedit, quibus prophetico spiritu instantem ab exilio in Asiam reditum ei annunciauit. Quod vaticinium mox effectum sortitum est. Nam mortuo Domitiano, Nerua, qui in imperium successit, rescissis Domitiani actis, omnibus pœna exilij mulctatis libertatem restituit.

Conscribit Apocalypsim.

Hæc Metaphr. quæ non reijcit Baronius, imo confirmat.

** Areopagita*

Nerua Imperator eum ab exilio reuocat.

Igitur Imperatoris edicto in Patmon delato, Ioannes sinè mora Ephesum nauigare constituit. At verò insulani qui sanctissimi Doctoris

ctoris ſui monita pietatemque egregiè imbiberant, illius diſceſſum ægris admodum animis tulêre; vndè luctu lachrymiſque deformati, ſupplices ad eum venêre, orantes atque obteſtantes, vt, ſi abire omninò decreuiſſet, ſaltē aliquod doctrinæ ſuæ monimentum relinqueret, & totum redemptionis noſtræ myſterium literis conſignaret. Nec recuſauit Theologus, ſed indicto omnib. ieiunio, ieiunus ipſe & propemodum corpore exhauſtus, aſſumpto ſecum ex diſcipulis vno, montis conſcendit verticem. Vbi cum tota mēte diuinis intentus rebus Euangelij myſteria ſcribere aggrederetur, repentè horrenda tonitrua ac fulgura vehemēti fragore eliſa, atque effulgentia micuêre. Quorum terrore exanimis propemodū collapſus diſcipulus, Ioannes verò Chriſti ſpiritu egregiè roboratus conſtitit immobilis; finemq; rerum admirandarum expectans, poſtremò huiuſmodi vocem è cælo dilapſam percepit: In principio erat verbū, & verbū erat apud Deū, & Deus erat verbū. Sicque totā Euangelij ſeriē contexens, eā Inſularibus tradidit, ijſq; lugentibus & inuitis Epheſum deindè nauigauit. Vbi cū ſedem ac domicilium rerum ſuarum collocaſſet, omneſque & animi & corporis vires ad collapſa in multis fidei ac religionis fundamenta reſtauranda intenderet, quorundam rogatu ad finitimas gentes proficiſcitur.

Hæc ſanè haud quaquam apocrypha eſſe teſtatur Baron. Annal. tom. I.

Conſcribit Euangeliū.

Redit Epheſum.

Cumque ad vrbem quandam non longè indè diſtantem (cuius etiam nomen nōnulli memorant) ſe contuliſſet: & fratres, qui in hac erant, opportunè recreaſſet, quendam ibi fortè reperit adoleſcentē, corporis viribus valentē,

Hanc hiſtoriam, vt veriſsimam, plurimorum teſtimonio

comprobat C. Baron. Tom. 1. Annal. anno Christi 98.

vultu & oris confirmatione admodum venustũ. Generositatem verò animæ illius, ac morum liberalitatem attentius cum obseruasset, alio autẽ indè discessurus, protinus, data adolescenti benedictione, in eũ, qui ibi episcopus erat constitutus, oculos conuertit, eumque sic affatus est: Hunc adolescentulum omni studio, cura & cogitatione, coram Ecclesia & Christo teste, tibi tuæque fidei commendo. Quem cum Episcopus in suam tutelam accepisset, & omnia se facturum fuisset pollicitus, Ioannes eadem iterum atque iterum illi edisserit: eiusque fidem contestator: Ephesum deindè redit. Episcopus ille adolescentulum sibi concreditum in domum suam recipiens, educauit pro suo; in officio continuit; fouitque humaniter: ad extremum Baptismi sacramento illuminauit. Posteà verò vbi Sigillo Domini (nempè Sacramento Confirmationis, vt addit interpres) tanquam perfecta tutaque eius animæ custodia obsignasset, nõ nihil de cura & obseruatione in eo instituendo suscepta remisit. Quem quidem non solum liberior viuendi potestas, quam fuerat paulò antè tempus adeptus, verũ etiam quidam adolescentes eius æquales, otio languidi, inertia dissoluti, & omni malorum genere assuefacti corrupêrunt. Et primum exquisitis conuiuiorum opiparorum delicijs, illum alliciunt, inuitumq; noctu deindè educẽtes, ad furti societatem coëundam atrahunt: tum maiora moliri flagitia hortantur. Iste pedetentim assuescit; & propter generosam animi magnitudinem, tãquam æquus effrænatus, & nimium sibi suisque viribus præfidens, extrà

En qrid non facit praua societas.

rectam

rectam viam impetu fertur, frænaque acriter præmordés, procliuius in profundũ vitiorum gurgitẽ se præcipitat. Atq; cùm iam in desperationem salutis in Deo sitæ veniret, deinceps non de exiguis noxis cogitauit, sed maximis quibusdam ac nefarijs facinoribus admissis: vbi semel omni improbitate & nequitia perditus euaserat, nullã non sceleris labem ex æquo cum alijs contrahere secum statuit. Illis igitur in familiaritatem adscitis, & magna latronum turba collecta, animo prompto paratoque se ducem manu violentissimum, sanguinis effusione crudelissimum, seueritate denique acerbissimum præbuit.

Adolescens optimè institutus tandè fit pessimus latro.

Intereà temporis, vbi necessaria ad rem incidebat occasio, Ioannes accersitur. Ille, vbi alias res, quarum gratia venerat, recta ratione disposuisset: Age, inquit, episcope, depositum nobis redde, quod ego & Christus, Ecclesia teste, quam gubernas, tibi commisimus. Hic verò primò attonitus obstupuit: arbitratus pecuniam quam nunquàm acceperat, à se per fraudem & dolum malum repeti: & tamen neque facilè credere poterat ea à se reposci per calumniam, quæ neutiquàm habuisset: neque Ioanni depositum repetenti omninò diffidere. Verùm simulatque Ioannes dixerat, Adolescentulum repeto & animam fratris: senex demisso vultu ingemiscens & item lachrymans: Ille, inquit, mortuus est. Quomodò & quo genere mortis? DEO, inquit, mortuus est: nam nequam, & perditus: & vt verbo cõcludam latro euasit: & iam pro ecclesia, in qua versabatur, montem cum nefaria

En vt flagrat zelo salutis perditi adolescentis.

sui similium turba occupat. Apostolus verò his auditis, dolore vehementi oppressus, reuerà, inquit, egregium te custodem animæ fratris tui reliqui. Equus iam mihi adsit, & dux aliquis itineris. Indè ab Ecclesia, ita vt erat, cum festinatione se proripuit. Profectus autem ad locum, à primis latronum excubitoribus præhenditur: qui neque fugam parans, neque euitare studens, sed vociferans admodum, dixit; Huc huius rei causa accessi, me ad principem vestrum deducite: qui quidem ad tempus, vt erat, armatus exspectabat. Verum vt Ioannem aduentantem agnouerat, præ pudore fugam capessit. Hic verò ætatis suæ oblitus, illum pro viribus properè insequitur atque clamans: Quid, inquit, fili me tuum ipsius patrem inermem, & ætate confectum fugis? Miserere laboris mei, fili; ne formides; adhuc tibi salutis spes reliqua est; ego Christo pro te reddam rationem; & si sit opus, pro te lubens mortē oppetā; sicut Dominus pro omnibus nobis; pro tua anima meam dabo, consiste, crede: Christus me misit ad te. Ille vbi hæc audiuerat, primum oculis humi defixis, constitit: deindè arma abiecit; tum horrore perfusus, grauiter & acerbè lamentatus est; senem ad se aduentātem complectitur; fletu & mœrore, quoad poterat pro culpa satisfecit: & dextera sola occultata, lachrymarum vnda secundò baptizatur. Apostolus rata & cōstanti asseueratione, ei se à Saluatore veniam & remissionem peccatorum precibus suis impetraturum pollicetur; atque ad genua accidens, ipsam manum dexteram, tanquam aqua

pœni-

pœnitentiæ ablutam purgatamque osculatus, illum ad ecclesiam reducit. Crebris item precibus Deum pro illo inuocat; continuis ieiunijs vnà cum eo se macerat; varijs diuinæ sapientiæ sententijs eius animum quasi quibusdam blanditijs mitigat, tranquillatque: neque prius, vt fertur, indè decessit, quam illum ecclesiæ ministerio præfecisset. Cuius conuersione magnum veræ pœnitentiæ exemplum; præclarum secundæ regenerationis specimen; illustre denique trophæum à peccatis resurrectionis, per exteriora pœnitentiæ signa hominibus Deus proposuit ad imitandũ.

Nota quomodo reducat perditum adolescentẽ in viam salutis.

Cæterum Ioannes cùm totã Asiam religione nostra imbueret, à barbaris seditione cõcitata in templũ Dianæ pertractus est, vt ei immolaret & sacrum faceret. Ipse autem hanc eis conditionem proposuit, vt si illi Christi templum Dianæ fide implorata euerterent, ipse Dianæ sacrificaret: sin ipse, appellato inuocatoque Christi nomine, Dianæ templum funditus tolleret, illi Christo crederent. Quæ cum maiori parti placuisset conditio, Ioannes omnibus è templo egressis, preces ad Deum fudit, & Dianæ simulachrum momento comminuit. Aristodemus autem quidam pontifex tum sacerdotum, re cognita, populum concitauit: eoque furoris impulit, vt pars vna cum altera prælio decertare constitueret. Quod cum summa, haud immeritò, molestia Apostolum afficeret, Aristodemum adijt, quæsiuitque ab eo, qua tandem ratione ipsius animum ita infestum placare posset. Ille ita demum se & omnem animi iracundiã ac ferociam depositu-

Subuertit Dianæ simulachrum S. Ioannes.

ſiturum, & Chriſto, quem Deum prædiceret, crediturum pollicitus eſt, ſi venenũ quod daturus eſſet biberet, nec ei quidquã mali afferret. Nihil recuſauit Apoſtolus. Quẽ Ariſtodemus vt vidit tanta fiducia præditum, quo facilius eum à ſuſcepto cõſilio deterreret, duobus ſe daturum eſſe dixit, qui vt primum bibiſſent, necarentur. Ne hoc quidem Ioannẽ deterruit. Ariſtodemus ad Proconſulem veniẽs duos qui capitis rei erant, poſtulauit. Hi epoto veneno, ſpiritum ediderunt. Ioannes verò, accepto poculo, cũ ſignũ Crucis expreſſiſſet, magno fortiq́ue animo ita venenũ hauſit, vt nihil prorſus mali ſentiret. Omnes mirari; Deũ laudibus efferre: & Apoſtolum verum Dei ſeruum prædicare. Ariſtodemus autem adhuc animo fluctuans, tum demum ſe Chriſto crediturum dixit, ſi defunctos illos ab inferis excitaret. Tunc Apoſtolus fertur ei tunicam ſuam tradidiſſe, vt eam mortuis adhiberet. Ea adibita dicto citius exanimes ad vitam redierunt. Proconſul & Ariſtodemus tam inuſitatæ rei miraculo impulſi, ſacris diſciplinæ religioniſq́ue noſtrę initiati ſunt.

S. Ioannes bibit venenum nec quidquam læditur.

Excitat 2. mortuos.

Adduntur ad hæc, alia multa miranda, à Ioanne peracta; vt mutatio* virgarum in aurum, & ſaxorum in gemmas: ſed quia ſunt apocrypha, æq́ue reijcienda putamus. Ferunt & viduam, nec non adoleſcentem defunctos ab eodem Ioanne eſſe reuocatos ad vitam, ſed hæc ex pſeudo-Prochoro, vel alijs quorum fides in omnibus non probatur. Illud verò de mortuo homine ad vitam reſtituto firmum habetur, & teſtimonio Apollonij antiquioris Theologi, quem

** herbarum.*

Euſeb. lib. 5. ca. 17 in fin.

quem citat Eusebius, comprobatur. Confirmat hoc ipsum Sozomenus sic dicens: Non solum Petrus Apostolus mortuum suscitauit, sed & Ioannes Euangelista Ephesi: & Philippi filiæ Hierapoli; & eadem à multis tum veteribus, tum nostri temporis pijs viris (nempè ab Epiphanio inter alios) esse gesta reperies. Plura sanè eademque magna edita esse à Ioanne miracula, cum reuersus est Ephesum, vt credamus, illud magnoperè persuadet, quod Apollonius Tyanæus, magus illorum temporũ famosissimus, cùm se exemisset è manibus Domitiani, qui eum Romæ detinuit vinctum in carcere, ab Vrbe recedens, & per Græciã se in Asiam conferens, Ephesi moraretur. Oportuit igitur, vt olim Petrum aduersus Simonem magum, sic Ioannem magna virtute in magum obniti: ne, qui credidissent, eius malis artibus in præceps adducerentur; cum præsertim recens esset exemplum, quo Apollonius magnam de se apud Ephesios existimationem concitauerat.

Sozom. lib. 7. cap. 26.

Fecit alia multa miracula Ioannes.

Actor. 8.

Vt autẽ mirè beneuolus in peccatores quamuis penè desperatos, ac conclamatos, vt ita dicam, erat: sic in eos, qui Christianam religionẽ fidemq; pertinaciter oppugnabant, ita seuerus extitit, vt rei nullius cũ eis societate coniungi vellet. Quod Irenæus vna in re, ex qua de cęteris cõiecturã facere possimus, apertè declarat. Erat Cherintus quidã homo pestilenti hæresis cõtagione infectus; qui cum Ephesi die quodã in balneis lauandi causa ageret, & Ioannes eò fortè, eãdẽ ob causã, venisset, viso homine hæretico, ilicò re infecta recessit: dicẽs vereri se, ne bal-

Detestatur hæreticos S. Apostolus.

Lib. 3 cap. 3.

ne balneæ, in quibus Cherintus veritatis hostis esset, conciderent.

D. Hieron. in epist. ad Galatas lib. 3 cap. 6.

Illud verò in virtutibus eius minimè prætereundum : Cum Ephesi moraretur Ioannes vsque ad vltimam senectutem , & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur , nec posset in plura vocem verba contexere ; nihil aliud solebat per singulas proferre collectas , nisi hoc : Filioli diligite alterutrum . Vnde & tandem discipuli , & fratres qui aderant , tædio affecti quod eadem semper audirent , dixerunt: Magister, quare hoc semper loqueris ? Qui respondit dignam Ioanne sententiam : Quia præceptum Domini est ; & si solum fiat, sufficit.

Et hæc quidem apostolico viro & virtute digna, aliaque multa quæ nos latent, cum deuexa planè ætate in terris præclare gessisset, Ioannes, anno à Saluatoris nostri passione 68. Traiani Imperatoris 2. Ephesi diem extremum clausit , & iuxtà eandem vrbem sepultus est. Testantur hoc ipsum Eusebius ex Irenæo, [a] Polycrates quoque Theologorum antiquissimus , ad Victorem Romanum Pontificem scribens , hæc habet de eiusdem Ioannis obitu: His accedit Ioannes, qui supra pectus Domini recubuit; quique cum esset sacerdos, πέταλον gestauit: qui denique martyr & doctor fuit, & Ephesi etiam obdormiuit. Hæc ipse, quę Eusebius recitat, magnum sanè testimonium eiusdē loci episcopi sanctitate & doctrina celebris; quē haud potuerūt latuisse, quę de Ioannis exitu vera essent : cui merito omnes de Ioan-

Hæc est sententia D. Hieron. de scriptor. Eccles. in Ioann. Euseb. in Chronic.

a *Apud Euseb. lib 3. cap. 25.*

Hæc Baron. Tom. 2. Annal. anno 101.

de Ioannis obitu debeant auſcultare: cùm præſertim idipſum Tertullianus teſtatum expreſsè reliquerit, cùm ait: Tranſlatus eſt Enoch, & Elias, nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet: cæterum morituri reſeruãtur, vt Antichriſtum ſanguine ſuo extinguant. Obijt & Ioannes, quem in aduentu Domini remãſurum fruſtrà fuerat ſpes. Hæc idcirco Tertullianus, ꝓ viuente adhuc Ioanne, multi qui ſentẽtia Domini de eo dicentis ad Petrum. Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? quãdo & exijt ſermo ille inter fratres, quod diſcipulꝰ ille non moritur: in eum ſenſum acceperũt, vt putarent Ioannem vſque ad Domini aduentũ fore ſuperſtitem. Nec ſatis fuit, Ioannem eos illa ſuſpicione liberaſſe, cùm ſcripſit dicens: Et nõ dixit Ieſus, non moritur; ſignificans nimirum noluiſſe illis verbis: Sic enim volo manere donec veniam, vt non eſſet vſque ad illud tempus moriturus, intelligere.

Tertull. lib. de Anima cap. 20.

Ioan. 21.

Semel igitur illapſo in diſcipulos Domini de immortalitate Ioannis errore, licet ab ipſo Ioanne videri potuiſſet eſſe omninò ſublatus, ſic tamen in nonnullos, poſteà propagatus eſt, vt conſtanter etiam affirmarint, Ioannem adhuc viuere, eundemque venturum cum Enoch & Elia, ſecundi aduentus Domini præcurſoribus. At verò Ioannem (ſicut eſt ſors omnium hominum) certo certius eſſe defunctum, non tantum quæ à nobis adducta ſunt, ſed & aliorum antiquorum ſignificant teſtimonia: quæ in Doctiſſimi Baronij Annalib. fuſè ſtudioſus lector indagare poteſt.

Huius opinionis primꝰ aſſertor fuit Hippolytus Portuenſis, quem egregiè confutat Baron. Annal. Tom. 2. Anno 101.

DE SANCTIS INNOCENTIBVS, eorumq; festo: ex Notis R.P. Petri Canisij, Doctoris Theologi.

28. Decē.

Quàm hoc festum antiquū & comprobatum.

QVAM hoc festum nobis charum ac religiosum esse debet, ex veterum Ecclesiæ scriptorum, maiorumq; nostrorū commendatione facilè quiuis colligere potest: cū & longo piorum in Latina & Græca Ecclesia consensu publicè comprobetur. Antè mille siquidem annos agnouit & celebrauit hoc festū D. Augustinus: illud sacratissimum vocans in illis homelijs, quas tūc apud populum habuit. *Inter ceteros Martyres* (inquit) *quos sub ara Dei consistere prædicamus* (allusit enim ad verba Ioannis in Apocalypsi) *etiam beatos illos infantū lactantium pro Christo primitias Martyrum laudemus: qui non loquendo, sed moriendo confessi coronas meruerūt. Neque enim dubitandum est, eos in martyrio plura præ cæteris exorare: qui in martyrio præ cæteris præcesserunt.* Et rursus: *Dignè natalem illorum colimus, quos beatiùs beatæ vitæ mundus edidit: quàm quos maternorum viscerum partus effudit. Siquidem antè vitæ perpetuæ adeptæ sunt dignitatem: quàm vsuram præsentis acceperint.*

Homil. 4. in fest. Innoc. Apocal. 6.

Innocente quo pacto Christū confessi.

Quantum in cælis possint. Homil. 3. de festo.

In 2. cap. Matth.

Porrò Origenes Augustino vetustior: Orthodoxorum fidem de hoc festo explicat luculenter. Non igitur falluntur qui hoc festum vt antiquissimum & receptissimum, ad Ecclesiam referunt primitiuam: hosque infantes verè beatos & sanctos cum Irenæo & Origine prædicant. Augustinus quidem illos *Martyrum flores* pulchrè

pulchrè vocat; *quos in medio frigore infidelitatis exortas, velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas: quædam persecutionis pruina decoxit. Et ideo dignum est* (ait) *interfectis pro Christo infantibus honores impendere.* Et post alia: *Oportet* (inquit) *quia primitias Martyrum hodierna festiuitate veneramur, vt de æterna quæ in cælis est, festiuitate Martyrum sedulò cogitemus, eorumq; vestigia in quantum possumus sequendo, & ipsi eiusdem festiuitatis supernæ participes existere curemus.* Cyprianus quoque aut certè author peruetustus, de ijsdem innocentibus hæc scribit: *Eccè parauli isti, quos hostis naturæ, pietatis inimicus, bestialis sæuitiæ, inauditæ crudelitatis mõstrum Herodes occidit, subitò fiunt martyres: & dum vice Christi, & pro Christo auulsi à matrum vberibus detruncantur, testimonium quod nondum poterãt sermone, perhibent paßione: & sufficit causa testimonio, licet nondum eloquio distinguatur.* vbi eos vocat secretorum diuinorum conscios, & in ordine Sanctorum Protomartyres; qui primũ habeant locum, Deiq́ue clementiam pro nostris exorent laboribus.

Homil 3.

Quid in festis Sanctorũ contemplandum.

Sermon. de stella & Magis & Innocæde.

Innocentes in ordine Sãctor. Protomartyres.

Sed & Bernardi ea vox est: *Illo pro Christo trucidatos infantes dubitet inter Martyres coronari, qui regeneratos in Christo non credit inter adoptionis filios numerari.* Quid quod Sancti Patres non solum infantes istos vt veros Christi Martyres, nostrosq́ue apud Deum intercessores agnoscunt, sed & matres illorum sic extollunt, vt beatas reputari & celebrari posse sentiant? Vndè non satis est Chrysologo dicere de Inno-

Serm. in Natal SS. Innocent.

Innocentes nostri intercessores apud Deum.

Serm. 3. de hoc festo.

Innocentibus. *Viuunt, viuunt, quia verè viuunt: qui pro Christo merentur occidi*: sed hoc præterea de matribus illorum adiungit: *Beati ventres qui portauerunt tales: beata vbera quæ se talibus infuderunt: beatæ lachrymæ, quæ pro talibus fusa flentibus gratiam baptismatis contulerunt. Nam diuerso modo, dono vno in lachrymis suis matres, & sui filij suo sanguine baptizantur. In Martyrio paruulorum passæ sunt matres, nam gladius filiorum pertransiens membra ad matrum corda peruenit, & necesse est vt sint præmij consortes, quæ fuerunt sociæ passionis.* Ex Augustino autem repetere supersedeo, quibus quantisque lamentis hæ matres & se & suos liberos in medijs gladijs atque furoribus Herodianorũ carnificum miserè deplorarint.

Serm 10. de Sanctis.

Psalm. 150.

Nos igitur, vt monet propheta, Deũ in Sanctis suis prædicemus, ac peculiariter diuinam electionem ac prędestinationem læti agnoscamus: qua factum est, vt tot innocentium millia tanto mysterio destinarentur, qui recens nato Messiæ, eiusque aduentui & ortui præclarum ederent testimonium: & singuli quidem, vice Christi immaniter paterentur, suumque sanguinem profunderent. Ita demùm vna cum Propheta, Deo verè dixerimus: *Ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem propter inimicos tuos, &c.*

Innocentes vice Christi Passi.

Psalm. 8.

Herodis insignis crudelitas.

Huiusmodi capitalis inimicus erat cumprimis Herodes: qui omnes iussit occidi paruulos propter suspectam vnius personam: vt dum omnes pereunt, ille saltem nõ effugeret, sed cõmuni

muni interneciõe quoq; deleretur. Tanta verò crudelitas nõ obfuit sed ,pfuit mactatis Innocentibus: eamq; illis prærogatiuam attulit: vt Ecclesię omniumque martyrum noui testamẽti tanquam primitiæ, pergratum Deo suauitatis odorem redderent. Et sicut de Henoch scribitur, quod transtulerit illum Deus, cui inprimis erat acceptus: ita de his etiam testari possumus, quod rapuerit eos Dominus, nè malitia mutaret intellectum eorum, aut nè fictio illorum animam deciperet aut deprauaret.

Innocentes primitiæ martyrum.
Genes. 5.
Hebr. 11.
Sapien. 4.

Habemus sanè hic typum & pręludium futuræ persecutionis, quàm indè ab initio præfiniuit ac disposuit altissimus: vt noui testamenti fideles præcipui, per sanguinem Christo capiti conformarentur: & ad singularem coronam præpararentur. Vndè CHRISTVS, qui propter passionem mortis gloria & honore coronatus fuit, apertè prædixit: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Ac iterùm: *Calicem quidem meum bibetis.* Et quidem non solum adulti, sed infantes etiam Christo in cruce, sicut & in gloria conformes esse debuerunt, vt lauarent stolas suas, & dealbarent eas in sanguine agni: ideò sunt antè thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius: quemadmodum in Apocalypsi legimus. Non itaque nobis sit graue vnquam ac arduum, si Christum amemus, pro Christo quoque in vita & morte decertare: iugiter illud memoria præsenti complectentes: *Nondum vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatũ repugnantes.* Sed enim non decet perfectos salutari aqua cõtentos, in solo baptismatis sacramẽto cõquiescere: verùm se quoq; ad perfectio-

Innocẽtium cædes, præludium subsequentium persecutionũ Christianorum.
Hebr 2.
Ioan. 15.
Matth 20.
Apocal. 7.
Innocentes æternum beati.
In quo imitari eos debemus.
Hebr 12.
Primò corporaliter.

Sin minus.

Spiritualiter.

Serm. in Octaua Paschæ.

Spirituale martyrium quale.

ctiorē illum sanguinis baptismū ꝓparare: qui maiorem gratiam & gloriā procreat. Si verò istius baptismatis, nimirū realis martyrij, nec gratiam, nec causam, nec occasionem habuerimus, optabimus tanto ardentiùs verum sacri martyrij spiritum in nobis nutriri & maturescere: vt si non actu & opere, voluntate saltem & affectu Christo Domino nos gratos ostendamus: & qualecunque testimonium feramus: si non acerba morte: saltem quotidiana veteris hominis mortificatione. Est enim, sicut præclarè docet Bernardus, martyrij genus, & effusio quædam sanguinis in quotidiana corporis sui afflictione, diuturnitate quidē molestius, sed horrore mitius quàm in illis martyribus; quorum membra ferro secantur: & sanguis apertè profunditur.

Vide Tom. 2. Annal. C. Baron. anno Christi 293. 301 & 302. 28. Decēb. Iuxtà Martyr. Roman. Cyrillus episcopus Nicomediensis multa cōdit monasteria. a De his passim videre licet Baroniū Tom. 1 & 2. Annal. cōtrà

EGREGIVM CERTAMEN SS. MARtyrum Indes & Domnæ, & Multitudinis viginti millium martyrum: Ex actis à Simeone Metaphraste conscriptis: Passi sunt partim anno Christi 301 partim 302.

QVO tempore secundum Galerius Maximianus in imperio agebat annum, præerat Nicomediensi Ecclesiæ Cyrillus episcopus: qui sedulò pastorali studio eam mirificè illustrabat. Excitabat passim cælestis disciplinæ a domicilia, tantisque virtutibus eadem excolebat, vt multi non modo Christiani, sed barbari etiam pulchritudine virtutis permoti, relicta deorum superstitione, eò cōfluerent: seseq; & corpore & animo in societatem monacho-

nachorum libenter cōferrent. Erat ijs temporibus Gentilis quædam incredibili pulchritudine virgo, Domna nomine: gloria insignis: in thalamo imperatorio nutrita: cunctisque honoribus aucta: ac postremò deorum sacrificijs, quæ in regia fiebant, maxima sacerdotum præfecta. Verùmenimuerò cùm præstanti esset indole, & ingenio ad res maximas & abditas cōtuendo prædita, vt primùm de excellenti, & diuina prorsus Apostolorum doctrina, quædā audiuit, studiosè acta Apostolorum voluere cœpit: ex quibus tantum tamque suauem pietatis gustum percepit, vt spiritali quodā amore ebria, noctu ad Cyrillum veniret: quò pleniorem perfectioremque diuinarum rerum cognitionem ab eo hauriret. Cyrillus verò Pontifex docile eius ingenium ita formauit reformauitque, vt signo Crucis ex more, dato nomine, consignata, catechumena fieret: Agapiumq; diaconū ab eodem Cyrillo catechistam acciperet, qui diuinā legem exactissimè eam edoceret. Huius rei conscius erat tantùm regius quidam Eunuchus, Indes quidem nomine, genere autem barbarus, sed moribus egregiè ornatus, qui paribus votis ad Christiana sacra aspirabat. Ambo igitur probè instituti, statuto tempore, baptismum suscepêre: & quod in Actis legerant, quæcunque possidebant, earum rerum precia ad Cyrilli pedes in pauperes eroganda portarunt.

eos, qui monasteria tunc temporis nō fuisse cōtendunt.

Excellens Domnæ ingenium.

Legendo acta Apostolorum fit Christiana.

Instruitur à Cyrillo.

Indes Eunuchus regius.

Dāt sua pauperib. Domna & Indes. Act. 4. & 5.

Non multò post Cyrillo Pōtifice è vita sublato, * Anthimus in defuncti locum succedit: cuius sedis tempore, Persa quædam, perspecto eorum vitæ instituto, Præfecto domûs regiæ eos

Anthimus succedit Cyrillo.

** al. Antimus.*

Accusantur à Persa quodam.

eos detulit, quod Christianam fidem excolerent, & stipendia sua pauperibus erogarent. Prefectus rem accuratius exploraturus, suasione delatoris cubiculum eorum ingreditur. Cumque opes, & preciosas vestes, atq; suppellectilem delicatam, se inuenturum speraſſet: nihil aliud præter diuinæ Crucis figuram, & librum sacrosanctum, opesque non alias, quã duas storeas in nudo solo stratas, reperit. Hæc generosorum Christi militũ erat suppellex: hę diuitiæ: quas cunctis mundi opibus & præcedentibus vitæ delicijs longè chariores habebant. Præterea fictile thuribulum & lucerna, & lignea arcula, quæ sacram continebat oblationem, cuius fiebant participes, apud eos inuenta sunt.

Sancta eorũ suppellex.

Pristinæ huius consuetudinis tam occidentalis, quam Orientalis Ecclesiæ, domum ab Ecclesia sumptam ferre Eucharistiam, & in arca collocatam asseruare, eandemq; diebus singulis participare frequenter meminit Baron. Tom. I.

Cæterũ sic detecti Domna atq; Indes Christiani, detruduntur in carcerem: ac famè diutius cruciantur: sed diuinitus impertitis alimentis pellunt inediam. Itaque Præfectus cum præter opinionem eos corpore animoque optimè affectos inueniret, ad blanditias & fraudes dæmonis conuersus eos ergastulo liberauit, & pristinas vitæ delicias, opes quoque & vestium splendorẽ restituit. Quæ omnia Christi athletæ ita admisêre, vt clam maximam eorum partem Christianis pauperibus distribuerent: & sedulò misericordiæ operibus die noctéque incumberent. At verò, cùm mente & cogitatiõe ineuitabiles antiqui serpentis fraudes Domna præuideret, ne Præfecti blanditijs & certamini eiusmodi, vni omnium periculosissimo, succumberet, non sinè diuini Spiritus instinctu, instar Dauid Saulem fugientis simulauit

lauit insaniam; arreptæ à dæmone speciem præ se ferens: quo vel sic è tabernaculis peccatorũ ad Dei castra transire posset. Exhibebat inconditis clamoribus, & stultis gestibus, ingentem omnibus molestiam; commouebat simulata calamitate Præfecti animum ad misericordiã: qui eam postremò, Anthimo episcopo curandam commisit. Eam enim barbari etiam de Christianis habebant opinionem virtutis, vt dæmones ex obsessis fugarent corporibus, vt mentis corporisque salutem facilè restituerẽt.

Domna simulat amentiam cum Dauid. 1. Reg. 21.

Consueuisse planè Gentiles ad liberandos arreptos à dæmone Christianorum auxilium implorare declarat Baron. ex Tertulliano, Cypriano & alijs SS.

Itaque Domna Anthimo antistiti tradita, mox deposita simulatione mentem suam pontifici aperuit: qui eam, incredibili gaudio perfusam vna cum inde (nam is quoque à Præfecto Domnæ in ministrum adhibitus erat) ad monasterium quoddam transmisit.

Domna & Indes mittũtur ab Anthimo ad quoddã monasterium.

Intereà Maximianus, accepta de Parthis Persisque victoria, theatrum erexit; congregataque maxima populi frequentia, dijs suis sacrificia peregit. Quod cum Christiani, qui fortè præsentes erant, animaduerterẽt, tacito discessu nefandos ritus & sacrilegum cultum detestati sunt. Quos Maximianus abeuntes compellans: Quo, inquit, abitis, ô homines, luci tenebras præferentes; & deos nostros, à quibus hoc vniuersum dependet, contemnentes? Non videtis victorias & trophæa? Non videtis bona plurima, quibus indies à dijs cumulamur? non gloriam, quæ augetur? nõ Imperium quod dilatatur? non ciuitates quæ partim quidem nunc captę sunt, partim capiendæ? nõ gentium Reges quæ ex sublimi solio in seruitutem à nobis redacti sunt? Cuiusnam hæc, nisi deorũ,

Hæc dicit Maximianus alludens ad insignem de Persis & Parthis obtẽtam victoriam, quæ vitio à Ctesiphontem (quod anteà Romanorum

Imperatorũ nemini licuisset) imperiũ propagasset, & regias personas captiuas duxisset. Hæc Baron. Tom. Annal. 2. anno 301.

Vltio diuina in blasphemos.

contingunt prouidentia? Cùm hæc elato animo & superbo spiritu plenis buccis intonaret, totoque animi impetu impietatẽ agitaret, eccè in medio solis æstu, cælo mirificè blandiente, repentè erupere tonitrua, & micãtia fulgetra, cum valida imbrium tempestate; quæ vniuersam multitudinem tãto terrore cõpleuerunt, vt alij quidem semianimes humi sternerentur: alij, dum fuga salutem quærunt, violento exitu compressi atque oppressi expirarẽt. Neque ibi tamen iusta Dei indignatio substitit: sed aquarum insuper inundationes, lætas segetes funditus sustulerunt, vnaque secum in mare præcipites egerũt. Hæc, quanq; grauis nõ minùs quã repentina calamitas, Maximiani animum ab errore & dementia nequaquam reuocare potuit: imò verò, eo impietatis processit, vt comperta Domnæ & Indes Eunuchi pietate & religione, qua à deorum cultu penitùs desciuerant, primum quidem in regiæ domus præfectũ indignationẽ conuerterit: eumq; præfectura exutum Claudiopolim ad camelorũ seruitia amandarit. Deindè indicta publicis edictis, in Christianos omnes sæuissima persecutione, Indem cõfestim reduci præcepit: Domna in monasteria relicta, quòd eam mentis rabie reuerà laborare putaret. At verò Indes in regiam reductus orationibus & ieiunijs vacãs, non solùm se ab idolorum cultu impollutum seruabat, sed maximam quoq; multitudinem, qui in fraudem impulsi fuerãt, ad veritatis agnitionem reuocabat.

Reuocatur in regiam ex monasterio Indes.

S. Indes multos ad Christũ traducit.

Porrò Maximianus soluta, qua hactenus vsus fuerat, omni humanitatis specie, apertum cum

cum ipso Christo bellũ suscepit. Ecclesias itaque templaque Christianorum demoliens sæuos per oẽs prouincias crudelitatis suæ mittebat ministros, qui sacrificare recusantes, sinè vllo vel personarum vel dignitatis respectu, supplicijs subderent. Ipse verò cunctis Præfectis seipsum formam modumque subuertendi Christianos puniendiq; constituens, cõuocata concione, orationem habuit; qua nunc horrendos cruciatus ob oculos proponebat, nunc humanitatem & beneuolentiam, opes deniq; & honores, deorũ cultoribus ostẽtabat. Cumque totis viribus in eo pugnaret, vt constantes Christianorum animos vel minis vel promissis conuelleret, presbyter quidã Christianus, Glycerius nomine, nõ minore sapientia q̃ pietate prẽditus, Maximiano egregia animi virtute atq; constantia se opponens: Neque tua, inquit, promissa & dona desideramus ô Imperator, neque minas omninò curamus. Qomodo enim ea nostros delinient aut afficient animos, quæ pro somnijs habemus? Mala aũt quid minitaris ijs, qui damnũ pœnamque reputant, nõ vel grauissimis pro Christo exerceri supplicijs? De trophæis verò & inclytis victorijs de Gentibus reportatis, vide quæso quã stultè & ineptè glorieris; vtpotè, qui cùm plurimos viceris, à fœminis tamẽ & pueris, Christianæ religionis miserè vincaris. Vide igitur quo animo nobiscum certamen suscipis. Sunt enim nobis non terrena, sed arma cælestia, quibus contra te in aciẽ prodibimus: & admirabili victoria inclyti triũphabimus. Percussi enim interimemus, & cadentes, contra te trophæũ erigemus.

Galerius Maximianus sua oratione quã ad Christianos habet, Christi fideles subuertere nitẽtur.

Glycerius presbyter ei præclarè respondet.

Hæc audiens Imperator incredibili animi dolore faucius, occultos furoris stimulos tunc quidem repressit, egressusque è templo, iubet Glycerium ad Ecclesiam tendentem manu militari compræhendi: & correptum ad se adduci. Adductus ad tribunal, annuente solummodò Imperatore, mox boum neruis tam vehemēter cæsus fuit, vt & verberantes quidē vires, & illum qui cædebatur, vox deficeret. Cumq; ijs tormentis martyr longè superior esset, immanis tyrannus lictores ad inferendos cruciatus eousque incitauit: donec humi stratus martyr, nihil ab exanimi differret: sanguine quidē iam exaninato, pelle verò vento tumefacta, & ipsa carne prius consumpta, nudis ossibus solū ad misericordiam omnibus cōmouendam, apparentibus. Nec erat sanè aliquis tam fidelis q̄ barbarus, qui non ingemisceret, & misericordia motus, ad tantos cruciatus profundius suspiraret. Solus Maximiani animus omni adamante durior ei insultabat. Martyr verò quanquā nihil à mortuo differret, lingua tamen pro Christi gloria cōtra tyrannū decertabat, vehementiq̄ue spiritu hæc assiduè verba repetebat: Sum Christianus, seru⁹ Christi, qui solus verus Deus est: vnus est mihi Dominus, vnus Rex. Tyrannus verò non ferens loquendi libertatē, iubet eum solui à vinculis, abductum verò extrà ciuitatem, igne crematum mortem subire.

S. Glycerius immanissimè flagellatur.

Stupenda martyris fortitudo.

Ductus ergò generosus ille ad locum cōstitutum, versa ad Orientem facie, Christo partim gratias agens, partim supplices pro se preces fundens, ligno affixus fuit, totoq; corpore Crucis signo munito igne subtus accenso præclara

Viuus crematur S. Glycerius.

clara Iesu victima cremata fuit. Eò verò tã glorioso fine consummato cùm idolorũ cultores candidis & magnificis induti vestibus ad fanũ duodecim deorum, quod erat in regia, festum celebraturi confluerent, solus Indes atra pullaque veste deformatus, in tenebrosa delituit domuncula; copiosa lachrymarum imbre impiorum interitum acerbè deflens. Quod simulac renunciatum fuit Imperatori, ille furore insaniens Indem adduci, victumque compedibus carceris squalorem subire iussit. Deindè de maxima sacerdote diligenter inquirẽs, eam quoque ad regiam reduci præcepit. Quod Præfecta monasterij vt resciuit, Domnam virili cõfestim habitu & tonsu adornauit, adhibitisque precibus & lachrymis viæ custodibus, eam dimisit.

Indes degit in custodia.

Præfecta monasterij, in quo degit Domna, eam virili habitu induit, & dimittit.

Sceleratus interim cuncta lustrans monasteria, cùm eam minimè inueniret, furorem suum manusque nefarias in sacratissima domicilia & corpora Christo consecrata intulit, & cædibus atque incendijs cuncta miserabiliter repleuit. Fugiebant certatim ad montes & speluncas, vna tantum cura solicitę, vt pudicitiam conseruarent: & opprobria improborum hominum euaderent.

Deuastat monasteria Galerius Maximianus.

Inter omnes autem exstitit tunc vna, Theophila nomine, cęteris & corporis pulchritudine, & generis claritate, & virtute præstantior: quæ rapta à lictoribus, ad prostibulum trahebatur. Illa verò Iesum amorem suũ cũ lachrymis inuocans certum de cælo expectabat auxilium. Itaque in lupanar inducta, cum vnus insano libidinis œstro percitus, ad eã accederet:

Theophila virgo sanctissima ducitur in lupanar.

& illa lectioni sacrosancti Euangelij incumberet: mox scelestus diuina vltione humi concidit, multisq; horis omni sensu destitutus, ad pedes Theophilæ immobilis expirauit. Alijs deindè atque alijs irruentibus similis omninò terror incussus fuit: ità vt visis mirabilibus apertè Christi virtutem & potentiam faterentur. Astabat virgini Angelus Domini in specie adolescentis superadmirabilis; ex cuius oculis radij quidam splendoris, fulguris instar coruscabant, quorum aspectu nefarij impiorum conatus ilicò concidebant. Plerique etiam, abnegata simulachrorum superstitione, Christo nomina sua dederunt. Omnibus itaque metu repressis & fuga elapsis, angelus virginem ad templi vestibulum manu deduxit: in quo nocturnos de more hymnos Christiani concinebant. Ingressa verò templum gaudio & metu plena magnalia Dei cunctis enarrauit, fuloq; præ lætitia imbre lachrymarũ, vota precesque & gratiarũ actiones Deo magnificè persoluit.

Malè perit homo petulans.

Plerique credunt in Christum.

S. Angelus Theophilam liberat è lupanari.

Interea ministri Imperatoris odio & ira in Christianos furentes, aduersus Dorotheũ, qui gloria quidem & ciuili dignitate erat insignis (vtpotè qui ab Italis Præpositus vocaretur) pietate autem erat insignior: calumniam commouerunt. Habebat ille eximiæ pietatis suæ socios Mardonium & Mygdonium, Indemq; qui omnes pariter Maximiano oblati sunt. Tyrannus cùm sua sponte in eos satis esset concitatus, tùm verò improborũ istorum calumnijs stimulatus, adeò rabie exarsit, vt extensis simul manibus & pedibus, crudis boum neruis martyres immaniter cædi iuberet. Et statim sex vnum-

S. Dorotheus cum socijs apud Imperatorem accusatur.

Item Mardonius & Mygdonius. Cæduntur lorũ neruis crudelissimè

vnumquemq; circumsistentes lictores, magna parte diei eos perpetuò verberarũt; nulla scelerati moti communis naturæ misericordia: licet lubrica, propter profluentem in terram sanguinem, ægrè vestigia firmarent.

Mittuntur in carcerem.

Cæsi deindè totoque corpore laniati in carcerem, graui ferri pondere onerati, abducti sunt. Vagabatur intereà furor Maximiani & obuios quosq; Christianos dilacerabat. Nec ministri impietatis rem segnius gerebãt. Cùm enim non ignorarent Christianos celebritate præcipua Christi Saluatoris natalitia colere, cunctosque ad eam solennitatẽ certatim confluere, obseruata diligenter temporis ratione, hanc ab Imperatore potestatem postularunt: vt liceret Christianos ea solẽnitate in templo congregatos magna militum manu circundare, & dijs sacrificare recusantes vnà cum ipso templo concremare. Placuit mirum in modũ hoc dæmonis inuentem Imperatori: qui non modò potestatem fecit, sed consilio quoque, & militibus iuuit, vt vna internecione Christianos omnes delerent. Adfuit tandem Saluatoris natiuitas, & Christianis pariter adunatis, & in hymnos precesque incumbentibus, impij templum lignis, sarmentis & arida qualibet materia circumdederunt: missoque præcone nũciarunt, vt præsens suppliciũ euadere vellet, dijs confestim supplex fieret. Aderat Ecclesiæ Archidiaconus; qui audita pręconis voce, igne diuini amoris vehementer incãduit; vocemq; cõtrà extollens luculẽtis sanè verbis ex eloquio sacrorũ voluminum prolatis, Christianos oẽs ad subeundam pro Christo Saluatore mortem

Impij regis impij satellites.

Christiani omnes ipsa natiuitatis Dominicæ die, in templo suo circumuallantur.

Archidiaconus egregiè accēdit animos Christianorum.

egregiè confirmauit. Vix ille orationem finierat, cum omnes vna voce exclamarunt, Christiani sumus, Christiani, & deos tuos, ô Imperator, non colemus. Maximianus ea martyrum constantia turbatus, faces subdi, & cunctos flāmis absumi mandauit. Christiani interim, omnes catechumenos sacro fonte lustrantes, mutuis abhortationibus ad gloriosam mortem fese prouocabant. Christique numen iugiter implorantes, ac canticū trium puerorum magna voce concinnentes, tandem, flammis in altum sublatis, omnes simul exusti sunt. Quinq; dies ignis sæuiebat, pascebatque vniuersa: magno sanè gaudio Imperatore exultante, quòd iam Christianis omnibus deletis, nullos prætereà superesse putaret: qui pro pietate vel hiscere auderent.

Dan. 3. Multa Christianorū millia cum templo comburuntur.

Itaque vt dijs suis de tanta victoria triumphum ageret, fanū Cereris, quæ erat apud eos dea maxima, ingressus est. Cumque execrandis intentus sacrificijs, gloriabundus antè aram consisteret, quidam ex numero militari, Zeno nomine, zelo plenus aduersus impios, exclamans: Erras, inquit, ô Imperator, lapidibus & lignis, manu hominum fabrefactis, sacrificas. Resipisce miser, & vel ex ipsis Dei operibus opificem agnosce. Ad eam vocem stupefactus Imperator: Quin, inquit, hominem istum tanta audacia ac temeritate reprimitis? Maxillas eius lapidibus confringite, & capite, vt par est, plectite. Contritis maxillis, parùm spirans extrà ciuitatem abductus fuit: ibique capitis abscissione martyrij corona redimitus est.

Zenonis militis eximius pro pietate zelus.

Capite cæditur.

Post

Post hunc alius quidam comprehensus atque in vincula cõiectus fuit, qui literas ab Anthimo episcopo ad Dorotheum, eiusque socios deferebat. Delitescebat pontifex in vico quodam; & non modò precibus, sed literis etiam suorum animos in fide roborabat. Itaque literarum baiulus (erat is * Diaconus) à Maximiani satellitibus tentus, & propter dicendi libertatem lingua prius execta, lapidibus obrutus constanter occubuit. Indè furorem ad Dorotheum eiusque socios conuertens tyrannus, Dorotheum quidem capitis damnauit; Mardonium verò incendio: & Mygdonium humo defossum vita spoliari iussit. Gorgonium autem & Indem ac a Petrum molaribus ad collum lapidibus alligatis in mare præcipites agi.

* *forsan Theophilus nomine.*

Diaconus, lingua præcisa, lapidib. obruitur.

Sex illustres martyres perimuntur.

a *Eusebio & Nicephorus de Petro aliter sentire videntur: nempè quòd in supplicijs animam efflauerit.*

Quæ vt casta resciuit Domna, quæ in antro delitescens herbarum radicibus & potu aquæ, vitam ęgrè sustentabat, haud mediocri est gaudio perfusa; maximè quòd Indem antiquũ pristini certaminis sui consortem, tam glorioso fine coronatum intelligeret. Itaque martyrij similiter vehementer cupida, è spelunca ciuitatem adijt; omniaque perlustrans, cùm templum in cineres planè redactum cerneret, ingentẽ lachrymarum vim profudit: tacitè eos fœlices prædicans qui agonẽ suum per flãmas compleuerant. Indè verò ad mare abiens, eccè piscatores in littore retia parantes & contos remosq; expediẽtes, eam ad laboris pariter & prædæ societatẽ inuitarunt. Illa verò alacri animo obtemperans, vtpotè virili contecta habitu, cymbam est ingressa; missisque in profun-

S. Domna è spelunca venit in ciuitatem.

Diuinitus SS. Indes, & sociorum reperit cadauera, S. Domna.

dum retibus, noctu, pellente caliginem luna, immane pondus persenserunt. Et eccè reductis ad littus nauiculis, inter piscium multitudinem, mortuorum corpora non sinè stupore inuenerũt. Quæ Domna incredibili cũ gaudio & lachrymis excipiens, in loco quodã pro facultatum & temporis ratione aliquamdiu curauit, fouit; lachrymis abluit: & linteis extersit. Inter ea officia alius quidam nauclerus diuina prouidẽtia ad littus ipsum appulit; qui cum Christianis esset initiatus sacris, gratulabundus sindones & vestes candidas, vnguenta denique & suffitus è naui protulit: atque in deponendis sanctorum reliquijs, cum Domna laborauit. Quas illa omni cum reuerentia cõposuit, pariterque cum nauclero ad portam ciuitatis detulit: & corporibus Dorothei atque sociorum eius eodem in sepulchro sociauit.

Sepelit ea propè in tumulo SS. Dorothei & sociorum eius. S. Domna indiuulsa adhæret Sanctorum reliquijs eas colens.

Adhæsit verò deinceps, nauclero abeunte, sacris reliquijs sanctissima virgo; debitumque martyribus impẽdit honorem: ad eandẽ martyrij palmã votis precibusque sinè intermissione aspirans. Quod vt ad aures peruenit Maximiani, iussit eam gladio feriri, & ijsdem eodem in loco martyribus sociari. Igitur præclara virgo, vitæ sanctitate & moribus ornatissima, multisque certaminibus inclyta, truncato capite (quod homines nefarij igni tradiderunt) desideratam diu martyrij palmam adepta est.

S. Domnæ amputatum caput comburitur.

Et paulò pòst præstanti sapientia vir Buthymius sociatus fuit; qui cum multos, per omnẽ vitam, doctrinis & monitis Christo martyres obtulisset, acriter in se Maximiani furorem sulci-

S. Euthymij martyrium.

ſuſcitauerat. Vndè multis eũ prius tormentis à Chriſti confeſſione conatus eſt abducere: ſed cum fruſtrà inuictum pectus diu multumque exercuiſſet: celebrẽ illi mortem enſe intulit.

His igitur veluti quibuſdam aſtris Nicomedia decorata, magnum & gratum emittit ſplẽdorem: qui auro & gemmis & margaritarum nitoribus longè eſt illuſtrior. Sunt enim martyres multitudine & pulchritudine inſignes, numero viginti millia; quorũ vno, poſt Chriſti natalem, die peragitur memoria; tanto maiore gaudio, quod altero pòſt die, Infantium certamina toto orbe celeberrima, maximo Chriſtianorum omnium gaudio recoluntur: quod ſicut illi enſe, ita etiam hi igne, ad eandẽ & parem Chriſti gloriam peruenerũt. Quibus poſtremò acceſſit Glycerius, Zeno, Theophilus, Mardonius, Dorotheus, Indes, Petrus & Mygdonius: & tres denique virgines, Agape, Theophila & Domna; quæ in hiſce certaminibus facilè primas obtinet.

20000. Martyrum Nicomediæ.

Cæterùm Anthimus, poſt hos omnes ſumma induſtria perquiſitus, tandem inuentus Nicomediamque perductus, conſummauit martyrium; non quidem breue atque leue, ſed in quem Maximianus præ cæteris immenſum odium concepiſſet; vtpotè quem ſibi antè alios aduerſarium ſentiebat (quo ſuperſtite, ſpe cadere videri poſſet, vt quod conabatur, efficeret, de Chriſtianis vbique delendis) in eum inquã ad ſe perductũ, omnia quę diu fuerat meditatus ſupplicia exercuit: vt lector ſingulatim videre poterit, in eius Actis 27. Aprilis Tom. 2.

VITA

Vide Not. C. Baron. in Martyr. Rom.

28. Decē.

Vbi vixerint.

VITA SS. EVTYCHII ET FLORENtij seruorum Dei: Ex D. Gregorij Papæ, libro Dialogorum tertio, Cap. 15.

IN partibus Nursinæ prouinciæ Euthycius & Florentius, viri vita & habitu sanctæcõuersationis cultissimi, admirandis bonorũ operum fructibus claruerunt. Et Euthycius quidem, præter vitę morumque integritatem, insigni prudentia & spiritali zelo instructus, multos ab infœlici dæmonum seruitute ad Christi libertatem traducebat: Florentius verò summæ simplicitatis vir, precibus lachrymisque incumbens, in sola cælestium rerum meditatione sese exercebat. Aberat non longè ab eorum domicilio celebre monasteriũ, quod suo pastore destitutum, tandem Euthycium Præfectum postulauit. Ille precibus eorũ haud cessit inuitus: relictoque Florentio in suo oratorio, vberiores multo, pietatis & industriæ suæ fructus collegit. Porrò Florentius tanti amici præsentia orbatus, quod reliquum erat, die nocteque solitudinis suæ solatium aliquod à Deo postulauit: & eccè manè egressus, antè oratorij fores immanem vrsum stantem repperit; qui demisso humiliter capite, & omni feritate posita se ad obsequium viri Dei diuinitus missum esse ostendebat. Florentius, visa rei nouitate, vrsum à Deo sibi missum nihil dubitans, eum adduxit: & gregi suo pastorem præfecit. Constabat is grex ex paucis ouibus quas immanis illa bellua tanta cura & solicitudine ad pastum duxit, reduxitque: vt iussis viri Dei, haud secus atque animal rationis capax,

Euthycius multos à vitijs ad virtutẽ traducit.

Florentius vacat contemplationi.

Euthychius fit præfectus monasterij.

Vrsus pastor ouium efficitur.

capax, obtemperaret. Cumque tanti miraculi magnitudo longè lateque increbesceret, viri quatuor, beati Euthycij discipuli, inuidiæ stimulis acriter concitati, quod homo simplex miraculis inclaresceret, & eorum Præfectus prudentiæ & eruditionis laude celeberrimus, hac gloria careret, vrsum illum ex insidijs adorti occiderunt. Cumque hora consueta cum ouibus domum non rediret. Florentius admiratione perculsus ad agrum tetendit, vrsumque, saluis ouibus, interemptum inuenit. Nec latuêre eum diu sceleris auctores: quorum cũ impium facinus magis quam vrsi interitum deploraret, nullumque omninò doloris sui remedium ab Euthycio admitteret, nescio qua animi passione commotus tandem ait: Spero quod malefici illi in hac vita antè omnium oculos nequitiæ suæ vindictam recipient. Vix hæc effatus erat: & eccè quatuor illi, elephantico morbo subitò correpti, membris putrescentibus, interierunt. Quod factum vir diuinus adeò vehementer expauit, vt toto deinceps vitæ tempore, luctu lachrymisque sese deploraret: crudelem se & homicidam clamitans, quod à Deo hac in re exauditus fuisset. Quod idcirco Dei permissu accidisse credimus, ne vir miræ simplicitatis quantolibet dolore commotus intorquere vltrà iaculum maledictionis præsumeret. Graue namq; piaculum est maledicentiæ crimen; vltricibus nõ nisi flammis expiandum: testante Paulo; qui maledicos regnum Dei possessuros negat.

Vrsus ab inuidis occiditur.

Diuinitus puniuntur occisores.

Cauendum à maledictione.

1. Cor. 6.

Idem vir sanctus cum die quodam ingẽtem serpentium multitudinem domicilij sui fores obsi-

Florentius occisos oratione serpentes, per aues exportari curat.

obsidere cerneret, eleuatis ad cælum oculis, fusa ad Deum oratione dicto citius pestem illam internecione deleuit: deindè solicitus quis eam tolleret, eccè, illo rursus oranteauium adfuit copia: quæ stratos humi serpentes sustulerunt; Florentio, Christi bonitatē admirāte & hymnis atq; laudibus mirificè celebrāte. Nec mirum sanè, virū illum tantæ simplicitatis tam facilè à Deo exauditum; vtpotè qui ab omni profanorum hominum consuetudine segregatus, præcipua oris cordisque munditia enitebat: atque ab omnibus non dico noxijs, sed ociosis quoque verbis abstinebat.

Eutycius post mortem claret miraculis.

Cæterum Euthycius licet in vita nulla miraculorū virtute claruerit, ne alijs multis magnisque dotibus mens eius oruata ad superbiæ scopulos allisa in præcipitium rueret; post mortem tamen rerum maximarum gloria reliquias eius Dominus decorauit: atque celeberrimas reddidit.

Vide Not. C. Baron. in Martyrol. Rom.

MARTYRIVM S. THOMAE ARCHIEpiscopi Cantuariensis: Ex eo quod est à M. Eduardo eius contemporaneo editum. Coronatus est anno Domini 1170. facta est eiusdem translatio, anno octauo Honorij Papæ tertij: qui fuit Christi 1224. iuxtà Genebrardum.

29. Decē. *Patria & parētes eius.*

THOMAS Cantuariensis antistes, inter alios, de quibus meritò Anglia gloriari potest, martyrio insignis, generis dignitate, opum gloria, eruditionis laude & animi magnitudine illustris, Londini Britanniam suo ortu illustrauit. Pater illi fuit Gillebertus, mater Mathildis: vterque non opibus tan-

tantum & genere, ſed quod multò præſtantius eſt, morum integritate & innocentia nulli ciuium ſuorum ſecundus. Mater cum eum vtero geſtaret, de futura illius ſanctitate & dignitate varias fertur habuiſſe viſiones: quas ipſe ſua natiuitate mirabiliter confirmauit, cum videlicet, ipſo partûs die ignis è domo egreſſus paterna, magnam Londini partem inflammauit.

Vt primum per ætatem diſciplinarũ capax literis adhibitus fuit, breui mirificos in ijs fecit proceſſus; feciſſetque maiores: niſi fortunæ ludibrium ſpem cogitationum eius retardâſſet. Parentes enim in ſumma rerum omnium opulentia, crebris incendijs ac multis aduerſis afflicti caſibus, ſedulam filij ſui inſtituendi curam remiſerunt: atq; poſtremò morte antè tempus oppreſſi magnam illi cũ orbitate calamitatẽ reliquerunt. Neq; tamen idcircò concidit animo Thomas; ſed Richerio cuidã viro opulento & nobili, qui patris hoſpitio frequẽter vti ſolet, ſeſe adiungens, facto cum Muſis iam quodammodo repudio, venatione & aucupio ferè ſe oblectauit: canibus auibuſque ità gaudens, vt tamen virtutis ſtudium nequaquã deſereret; ſed corpore ac mente caſtus & ab omni mendacio alienus inſitos pietatis igniculos fouebat.

Dat operam literis.

Parentes aduerſa conflictantur fortuna.

Cumq; parentibus iam orbatus propria virtute emergere deberet, Osberno cuidam inſigni prudentia, & diuitiarũ gloria inclyto viro, ei ſanguine iuncto, toto ferè triennio adhæſit: cui in acceptis & expenſis operam ſuam ſumma fide nauabat. Iamque adulta ætate ad

hono-

Degit in aula Cantuariensis Archiepiscopi.

honores & mundi. huius dignitates aspirare videbatur, cum occulto Dei consilio in Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi notitiam familiaritatemque deuenit: qui tanta eum beneuolētia, propter iucundam morum grauitatem & singularem animi prudentiam, est complexus: vt suis eum consilijs, & publicis priuatisque negotijs adhiberet. Tum verò ludis & omni penitus leuitate reiecta, sensu peruigil & consilio prouidus, talem tantumque se Episcopo præstitit, vt ab eo multis magnisque decoratus beneficijs, tandem Archidiaconus, adiuncta Beuerlacēsi Præpositura, crearetur. Nec deerant æmuli qui clam palam modò conuicijs, modò scommatibus eum appetebant: cōceptumque virus modis omnibus euomentes ab aula Archipræsulis excludere nitebantur. At ille inanes rabularum strepitus animi magnitudine contemnens, semper ad maiora nitebatur: vtpotè quod excelsi animi flamma humili loco hærere non posset.

Fit Archidiaconus Cantuariēsis.

Æmuli eius.

Animi eius magnitudo.

Itaque Archiepiscopus perspecta viri virtute, singulari sapientia, & consiliorum maturitate eum Regi ab eximia prudentia, fide & veritate commendauit. Rex explorata prius viri integritate, præstantique virtute, confestim eū totius regni Cancellarium constituit: auctumque honoribus; cumulatum diuitijs; prædijs denique & possessionibus; non minori quam seipsum electo militum numero stipauit. Adamabat enim vehementer eximiam viri prudētiam, cæterasque dotes, quas plena manu Dominus in eum congesserat. Nullus eo disertior; nullus munificentior; nemo prudentior habe-

Rex eum facit Cancellarium suum.

habebatur. Tantam sibi & Regis & totius regni conciliârat gratiam: vt non minori cunctis amori, quam admirationi esset.

Consecratur Archiepiscopus Cantuariensis.

Intereà Theobaldo ex humanis sublato, Rex Cancellarium suum, quod eum sibi suisque rebus ad omnia obsecuturũ speraret, in defuncti Antistitis honorem summa cum auctoritate substitui curauit. Coactum est Londini Concilium; confirmata electio: & Thomas solenni deuotione Cleri, atque mirifica populi totius gratulatione Cantuariũ introducitur. Ibi consecratus, cũ suscepti muneris dignitatem difficultatemque sedulò perpẽderet, tũ maioribus virtutum omnium adminiculis ad tãti oneris administrationem opus esse decernens, post diuersos pœnitẽtiæ labores spontaneè susceptos, Canonicorum, quos regulares vocant, institutum habitumq; est amplexatus; terrenisq; rebus procul ab animo remotis, tota mente cælestia est consectatus: sæuus in seipsum exactor; vt hostiam viuam, sanctam, Deo placentem sese mactaret & immolaret. Gulam tenui domabat victu; illicitos animi motus sacrę lectionis & orationis assiduitate comprimebat; naturalis incendij flammas somno breuiori & cilicio asperiori coërcebat. Quidquid anteà mundanum & fluxum senserat, largo lachrimarum imbre diluit; & pij amoris incendio in ara cordis concremauit: graueque sibi bellũ indicens, quas prius sordes peccatorum contraxerat, pœnitentiæ nitro egregiè expurgauit. Iustitiæ adeò tenax erat, vt nullis vel minis vel blãditijs ad praui semitam inflecti posset. Post habita quoq; terreni Regis voluntate

Amplectitur institutum Canonicorum Regularium.

Sibi ipsi acre bellum indicit.

& obſequijs, ſacris ſummum ſibi Regem conciliabat vigilijs, ieiunijs, precib⁹, lectionibus, & quod caput in eo erat, largiſſimis eleemoſynis. Tantam enim pauperum multitudinem fouebat quotidiè, vt citius petentes deeſſe, quam dandi voluntas in eo deficere videretur. Atque vt largiſſimus benignitatis fons perpetuè flueret, poſſeſſiones Eccleſiæ conſeruabat; alienatas recuperabat; priſtinumque Eccleſiæ ſuæ ius reformabat.

Innumeros fouet pauperes.

Patitur perſecutiones.

Hæc res cum ſacrilegos quoſdam rerum Eccleſiaſticarũ vſurpatores peſſimè haberet, tum nihil nõ moliti ſunt, vt Regẽ eiuſq; familiã in Antiſtitem concitarent; opportunis ad eã rem vſi calumnijs: dicentes eũ regias cõſuetudines & donationes velle abolere, & ad præſcriptũ Canonum, Clerũ populumq; moderari. Hinc ipſe Rex ſuſpicatus ſe contẽptui haberi ab eo, quẽ tãti fecerat, eoq; dignitatis & honoris euexerat, creſcente ſenſim animi acerbitate, eũ à ſecretis amouit cõſilijs: & dictis factiſque occultũ animi vir⁹ expromere cœpit. Poſtremò ab impotẽti iræ ſuæ dominatu vict⁹ Rex, cõuocata Epiſcoporũ multitudine, pręſente Archipræſule regniq; procerib⁹, ſancitas iã olim ab auo ſuo regni cõſuetudines, quas ipſe propoſiturus eſſet, cõfirmari poſtulauit. Ibi tunc Thomas eccleſiaſticę libertatis vindex eximi⁹, nullius ſe parere velle legibus reſpondit, quæ cũ diuinis apertè pugnarent. Applaudunt conſtãti prudentiq; viri reſponſio antiſtites omnes; vno tantum excepto; qui vt amiſſam iam ante Regis amicitiam recuperaret, fœda ſe adulatione contaminans, clam perſuaſit Regi, vt ali-

Contradicit Regi quædã contra fas exigenti.

aliquot antiſtites quauis tãdem ratione ab Archiepiſcopi partibus auelleret: quô ſic demũ coniunctis viribus robuſtum illius pectus expugnarent. Ceſſit hoc Satanæ inſidijs ex animi ſententia, & tres epiſcopi in fraudem impulſi iniquas Regis partes per fas perq; nefas tueri, fouere, & æquas ac iuſtas eſſe docere conati ſunt. Acceſſit præterea Abbas quidam, magnæ exiſtimationis vir; qui è tranſmarinis ſuperueniens regionibus, affirmabat ſe ſummi Pontificis & Cardinalium adferre literas, quibus Cantuarienſem Præſulem ad conſentiendum Regi hortabantur. Adhibuit deindè exactiſſimã, qua plurimùm pollebat oris facundiã Abbas; qua tandem viro ſancto ſuaſit, perſuaſitque: vt auitas regni conſuetudines ſeruaret. Thomas cum nihil fraudis ſubeſſe exiſtimaret, verbo promiſit, Regi ſe conſuetudines diuino iuri non contrarias ſeruaturum. Tum Rex vt palam coram omnibus idem pollicereturvrgere cœpit. At Archiepiſcopus latẽtem fraudem ilicò ſentiens, grauiter ingemuit: & ſeipſum nimiæ facilitatis damnans, pedem retraxit. Spectabat enim hoc ſolum Rex vt Eccleſiaſticam libertatem in ius regium redigeret: & ipſe vitæ pariter neciſque poteſtatem in Chriſti Sacerdotes haberet. Quod ne fictum falſumq; videri poſſit, ſimulque vt intelligi queat, quam iuſtè ac ſanctè Archiepiſcopus ſe Regi oppoſuerit, non erit abs re, vel ſola ſex iniquæ conſtitutionis capita, ab Rege oblata, ſubiungere.

Quidã epiſcopi malè perſuaſi adhærent Regi.

Abbatis cuiuſdam nefarij dolus.

Auitas, hoc eſt, ab Auo Regis inſtitutas.

En impiam Regis mentẽ.

Itaque petebat Rex: Ne ad ſedem Apoſtolicam ſinè Regis licentia appellaretur. Ne

Rex inique constitutionis articuli sive capita.

Archiepiscopus & episcopi è regni finibus sinè licentia Regis excederent. Ne sententiam excommunicationis in Regis subditos proferrent. Quod non liceat Episcopo aliquem de periurio vel læsa fide coërcere. Quod Clerici sæcularibus subiecti iudicijs punirẽtur. Quod laici, seu Rex, seu alij, causas de decimis vel ecclesijs deinceps tractarent.

Constantia S. Thomæ pro Ecclesiastica libertate tuenda.

Hæc cum vir sanctus constanter reijceret, Rex vehementi ira excandescens, Clero minas intentare, & Ecclesiæ perniciem moliri. Duo adhuc antistites sacro Præsuli suo adhærebãt: qui imminentis periculi magnitudine perculsi, precibus lachrymisque Thomæ animum ad Regis voluntatem inflectere conati sunt. Accessere dein milites duo, ex eorum numero quos Templarios vocant, fidei sanè & veritatis amantes: quorum lachrymis & obtestationibus fractus tandem Archiepiscopus (præsertim quod affirmarent Regem nihil noui moliturum) publicè spospondit, se bona fide leges & regni consuetudines seruaturum. Rex confestim, Audistis, inquit, quid promiserit Archiepiscopus. Volo igitur vt idẽ reliquis præcipiat episcopis. Et Thomas; Permitto, inquit: moxque assensere omnes. Tum Rex leges aui sui recitari, & sigillo Archiepiscopi muniri præcepit. At Thomas, deprehensa fraude, incredibili animi dolore affectus, interposita fide, quam Deo debebat, negauit hoc se viuo futurum. Indè è regia excedens sese lamẽtis tradidit: totusque sibijpsi suprà modum iratus, à sacrosancto Missæ abstinuit officio: donec à summo Pontifice esset absolutus.

Malè persuasus à bonis viris consentit Regi.

Sibi ipsi interdicit Missæ sacrificium.

Rex

Rex intereà, eiusque ministri, odio & ira in Antistitem furentes, multis eum & intolerandis diuexabant cõtumelijs: quas ille insita animi magnitudine ità sustinebat, vt mortem etiã pro Ecclesiasticæ libertatis defensione subire paratus esset. Erant per id tempus dissoluti admodum Clericorum mores, multique diuini pariter & humani iuris fractis repagulis per omnia libidinum genera vagabentur. Quos cũ Rex sæculari subiectos iudicio, pro criminum varietate supplicio affici vellet, Archiepiscopus sese constanter opponens, non tulit, vt in sanctæ matris Ecclesiæ contemptũ diuino cultui mancipati laicis legibus plecterẽtur. Quin potius à se puniendos asserens, Regem magna animi libertate reprehendit, quod Ecclesiastici iuris potestatem nefario ausu sibi sumeret. Tum verò vehementius excandescens Rex, omnia mentis suæ consilia in apertam Pontificis conuertit perniciem; implacabili animi indignatione commotus: quam solus Sacerdotis sanguine leniri posse apparebat.

Ecclesiæ & Cleri libertatem constantissimè defendit.

Itaque regio furori temporique nonnihil cedendum esse ratus, vt ope & auctoritate Summi Pontificis desolatæ Ecclesię & oppresso gregi subueniret, paucis assumptis nauem ingreditur; sed nautæ Regis iram veriti, negabant se hoc vento, eo posse pertingere, quo ipse velit. At ille comiter, Si etiam, inquit, vẽti nobis aduersantur, Domini fiat voluntas. Dum hæc fiunt, miles quidam è Regis domesticis calumniam viro sancto apud Regem intentauit. Indictus tunc erat Norhantume publicus conuentus. Ibi citatus Archiepiscopus

Nautæ eum noluntraducere.

Accusatur falsò apud Regem.

excusat se per morbum, quo grauiter cõflictabatur. Iratus Rex excusationem non recipit; putans eum iudicium subterfugere. Citatur ergo ad Regis tribunal. Comparet vir sanctus; orat submissè, vt pro vtriusque salute patiatur ipsum ad Pontificem ire. Indignatur ille; iubensque ocyus decerni, qua pœna sit mulctandus, quingentarum librarum condemnatur. Ingemiscit Christi Sacerdos, in loco iudicij iniquitatem videns. Agitur deindè de eo quod miles ei intentârat. At Archiepiscopus magna libertate respondẽs, negat eam rem ad regios pertinere ministros, sed ad Ecclesiæ iudicium: neque posse, ait, militem intentatum crimen probare. Is miles eodem anno cum duobus filijs extinctus est; quòd non esset veritus mittere manum in Christum Domini.

Citatur ad tribunal Regis.

Damnatur 500. librarum.

Vltio diuina in accusatorem impium.

Cũ hac via modoque nihil proficerent aduersarij, eo conuersi sunt, vt eorum, quæ in officio Cancellarij gesserat, redderet rationem: licet iam antè publicè atque honorificè ab eiusmodi liber pronunciatus fuerat. Laborabat tũc graui dolore splenis: lectoque affixus æger trahebat spiritũ: & tamen rationẽ reddere cogebatur. Alterò itaque die ad regiam iturus, oblato prius cum multa animi pietate & lachrymis Missæ sacrificio, stolã induit, & dextera Crucem tenens, pro Ecclesia decertaturus ad Regem perrexit. Ibi tunc duo episcopi, visa Cruce, vt eam deponeret, hortati sunt: asserentes eum gladium aduersus Regem ferre. At ille, Crux, inquit, pacem adfert, non gladium: pacificans quæ in cælo & in terra sunt: & ego pacem volo, nec Crucem depono. Interim

Cum cruce pergit ad regiam.

Coloss. 1.

rim audit à quibusdam, qui Regis consilio interfuerant, eo die, ni sibi consulat, se vel capitis vel certè carceris damnandum esse. Ille verò pro se intrepidus, pro Ecclesia anxius, ad summum prouocat Pontificem. Ea re cum omnes haud mediocriter turbarentur, tũ Vvintoniensis antistes, vt episcopatu se abdicaret, eumque Regi permitteret, hortatus est. At ille: Non ea, inquit, conditione episcopatũ suscepi, vt Regi eum tradam, sed vt pro illo etiam meipsum impendam.

Prouocat ad Pontificem.

Inter hasce aliasque difficultates innumeras, improbo malignorum quorundam hortatu, & venenato sibilo, postremò tanquam communis pacis proditor carcere damnatus fuit. Qua accepta sententia, non stans, ne derogaret sacerdotij dignitati, sed sedens respondit magnificè, maiorem à minoribus non debere iudicari: se illorum non teneri sententia. Ordo, inquit, confunditur, si pastorem ouis, magistrum discipulus, patrem filius verberet. Non tantum aurum ferrum antecellit, quantũ sacerdotium regiam potestatem. Addidit etiam post interpositam appellationem nolle se audire iudicium. Quibusdam dicentibus, quod amplas à Rege obtineret hæreditates, respondit ille: Non est hæreditas quam teneo: nec à Rege, sed à Deo sunt, cui in eleemosynam data sunt, quæ obtineo. Grauissimè deindè præcipiens, ne ea die in ipsum ferrent sententiã, sedemque Apostolicam appellans, nihilominus condemnatus est. Abeuntem illũ è Concilio, vndiq; conuicijs insectantur; clamitant, Eccè proditor Regis abit: certatimque con-

Damnatur carcere vir sanctus.

Sacerdotium præstantius regia dignitate.

Vide quantus vir tãtus laceretur conuicijs.

contortis eum appetentes ſtraminibus, alijſq; id genus contumelijs, haud multum aberat, quin diſcerperent, ni Regius ſatelles illæſum eum conſeruaſſet dimiſiſſetq́ue.

Tum verò vir Domini ſolo patientiæ clypeo munitus, ſolis ſex miniſtris comitatus, cæteris metu Regis hinc indè dilapſis, ad monaſterium abijt: vbi retrò altare, tanquam tuto ibi quieturus, lectum ſibi parari iuſſit. Profundis autem imminentibus tenebris, duobus fratribus & famulo iuprimis fideli ſtipatus, vrbe egreſſus eſt: largiſſimorum imbrium beneficio & hyemalium tempeſtatum beneficio inſidias deuitans. Tota verò nocte iter agens primum Lincolniam venit; vbi mutato & habitu, & nomine, (nam frater Hermanus dictus eſt) alio ſe contulit: ac tandem, ingenti miſeriarum cumulo deuorato, Romam appulit. Ibi cum prudenter Eccleſiæ cauſam coram Pōtifice ageret, tum ſanè conſtanter, Cardinaliū quorundam, qui Regis partes tueri nitebātur, argumenta ita confutauit: vt non mediocrem ea die optimi Paſtoris & Pontificis laudē obtineret.

Clam excedit è regno.

Venit Romam.

Cæterum Rex Angliæ vt percepit illū iam in tuto collocatum, furorem ſuum rabiemq́ue in omnes eius cognatos conuertit: neque vlla vel ordinis vel ętatis, vel ſexûs habita ratione, nudatos facultatibus, è toto regno proſcripſit: vt maiorē animi dolorē viro ſancto inureret. Fuit ea cognatorum calamitas ſancto martyri perquam acerba. Sed Deus afflictū propter ſe martyrem ſuum nequaquam deſeruit. Permouit enim Franciæ Regem regniq́ue proceres, vt li-

Cognati eius male mulctantur.

Franciæ Rex & Proceres ei multa largiuntur.

vt liberaliter ei suppeditarēt, quod & ipsi & omnibus cognatis eius sufficeret. Degebat tunc vir sanctus in Pontiniacensi monasterio; vbi annis admodum duobus incredibili vitæ austeritate sese afflixit, & multis certaminib⁹ ad martyrij palmam exercuit. Porrò Rex Angliæ dictis factisque innocentem persequens, Abbati Cistertiensi (cui Pontiniacenses æquè, vt alij eiusdem instituti monachi parebant) per literas significauit, vt eum monasterio excluderet: ni mallet breui omnes eius Ordinis monachos in Anglia degentes recipere. Quod ex Abbate vt resciuit Thomas, ilicò præsentem rerum suarum statum, per omnia lamentabilem, Ludouico Franciæ Regi per literas aperuit; qui Pontiniacum ocyùs aduolans, indè eū honorificè secum abduxit: atque in S. Columbæ monasterio, Senonibus propinquo, collocauit: vbi regijs impensis annos quatuor sustentatus est. Et quidem licuisset in episcoporum & Archiepiscoporum aulis demorari, consuetisque honoribus circumfluere: sed vt reconditum diuini amoris ignem in cordis sui penetrali tutiùs foueret, excitaretque sopitum, vitabat publicum; totumque sese Deo in holocaustum offerens, precibus lachrymisque ad futurum martyrij certamen mentem pariter & corpus aptabat. Neque enim sola cogitatione acerbissimos corporis cruciatus pertractabat, sed amoto à dorso cilicio, sacellanum singulis noctibus in corpus flagello, vsque ad sanguinem sæuire cogebat: ita vt nonnunquàm sacellanus ipse fatigatus succumberet. Iam antè enim secūdùm quietem à Christo præmonitus

Absentem etiam persequitur Rex Angliæ.

Rex Frāciæ eum magno afficit honore & fouet.

En quomodo hic vir sanctus corpus suum castiget & in seruitutem redigat.

fuerant, Ecclesiã eius sanguine esse illustrandam. Itaque vir magnanimus, vt maiore cum Christi gloria & Ecclesiæ vtilitate certamen illud peragerer; tanquàm fortis & gnauus miles; qui in æstiuis, aut hybernis agit, aut dum induciæ præstant; nequaquàm inerti otio contabuit, sed omni certaminum genere ad futuram palæstram die noctéque sese exercuit.

Reuocatur in Angliam post septimũ exilij sui annum.

Tandem post longa exilij incommoda, post varias velitationes, quæ inter Franciæ Regem & Angliæ, viri sancti causa, agitatæ sunt, septimo exilij anno pax restitura; & libera in Angliam redeundi potestas Archiepiscopo facta est. Sed vir sanctissimus non ignorans nihil sibi in hac vita præter tentationes & pericula superesse, tanto feruentius ad futuram properabat vitam, quanto certius ad palmam se accedere prospiciebat. Itaque ad sedem reuersus, summa cum animi deuotiõe ac puritate Christi celebrauit natalitia; peractaque concione, vnum ex regijs ministris terribili sentẽtia perculit: itemque Randulphum hominem scelestum, totius malitiæ incentorem anathemati subiecit.

Quosdam excommunicat.

Postremò adiecit: A Christo IESV sint maledicti, qui inter me & Dominum meum Regem odij & discordiarum fomitem suscitant. Hæc vt in regia omnium sermone diuulgata sunt, Rege admodum stomachante atque inertiam suorum ipsis exprobrãte, quod à plebeio quodam (vti aiebat) clerico ipsum tam probrosè paterentur illudi, quatuor viri nobiles & genere conspicui; mox in necem sancti viri conspirarunt; atque Rege inscio Cantuariam

riam nefarium facinus patraturi, mare traiecerunt.

Igitur altero, post sanctorum Innocentium, die pestifera cogitatione pleni, ad Archiepiscopũ venêre; cui pro honorifica non minus, quã pacifica salutatione, maledicta reddidêre: adeoque in Præsulem sanctissimum furore & rabie exarsêre, vt si per alia licuisset hasta protinus eum confodissent. Tandem post minas & conuicia sacrilego ore in Christi Sacerdotem congesta: ex mãdato Regis, vt illi fingebant, cũ omnibus suis è regno excedere iubent. Quibus episcopus: Non veni, inquit, vt fugerem: sed vt pro commisso mihi grege ad mortem vsq; decertarẽ. Non me terrent minæ vestræ; non gladij: qui si prompti paratiq; sunt ad feriendum, promptior ego ad martyrium obeũdum. Illis cum clamore & contumelijs abeuntibus, vir Dei animo imperterritus suos consolabatur: se interim nulla cõsolatione egere, vultu verbisque egregiè declarans.

Quatuor Regis aulici Cantuariam veniunt ad occidendum Archiepiscopum.

Mentiuntur turpiter in eius præsentia.

Mox illi loricati, securibus gladijsque armati reuertuntur. Cumque obseratis forib. introitum non inuenirent, occultiore per pomariũ via ad ligneam sepem diuertunt: ferroque & & magna vi aditu patefacto, penetralia domus ingredi parant. Eò horribili strepitu ministri & Clerici penè omnes territi vehementer, fuga salutem quæsiêre. Pauci qui remanserant, vt in ecclesiam se recipiat, sacroque asylo imminens mortis periculũ redimat hortãtur. Recusat ille: indignũ Sacerdote esse docens, mortem pro Ecclesiæ libertate & iustitię defensione formidare. Instant nihilominùs monachi:

Clerici omnes ferè præ timore eum deserunt.

orant

orant obſecrantque. Cumque nulla vel ratione, vel precibus, permouere eum poſſent, inuitum tandem & reluctātem in Eccleſiam aſportant. Sequuntur curſu rapidiſſimo quatuor illi nobiles cum Hugone deploratæ nequitiæ diacono; armis pariter & verbis necem ſpirantes. Monachis autem fores Eccleſiæ obſerare volentibus vir ſanctus acriter reſtitit, præclarè ſuos inſtituens: Triumphum ex hoſte, patiendo quàm pugnando fieri celebriorem.

Sententia.

Sacrilegi in Eccleſiam irruunt, vt eũ occidant. Inuicta animi eius fortitudo.

Intereà ſacrilegi adſunt carnifices; Thomam Beketh, Regis & regni proditorem furibundi inclamantes. Eo reſpondente, maiori contentione vociferantur: vbi eſt Archiepiſcopus? Tum ille intrepidus planè atq; imperterritus, Eccè adſum, inquit, non regni proditor, ſed ſacerdos: paratus pro illo ſanguinem fundere, qui, me precioſo ſuo ſanguine à morte redemit. Illis vrgentibus, vt percuſſos anathemate abſolueret, reſpondit vir ſanctus: Tum demum abſoluam, vbi iuſto animi dolore, ob admiſſa facinora, proſtratos videro. Et illi: Nunc igitur morieris, & pro meritis recipies. Non recuſo, inquit ille, glorioſam pro Domino meo mortem ſubire, vt Eccleſia meo ſanguine pacem & libertatem aſſequatur. Mox illi facto impetu, extrà Eccleſiæ fores extrahere eũ conantur, vt illic aut gladijs cõfoderent, aut vinculis conſtrictum in carcerem abriperent. Sed cum difficile loco moueri poſſet, & vnum ex eis acrius inſiſtentẽ remouiſſet, is terribili incenſus furore, enſem contra eius verticem vibrauit.

Tum verò pius & ſanctus Antiſtes, cernens pro-

promissam martyrij adesse coronã, ceruicem instar orantis inclinauit: iunctisque & sursum erectis manibus suam & Ecclesiæ causam Deo commendauit. Vix ea prolocutum, nefandus vir veritus ne populus eum ex manibus ipsorum eriperet, coronam capitis eius, inflicto vulnere, tanta vi amputauit, vt pariter secaret & præcideret brachium isthæc referentis; qui solus, cunctis & monachis & clericis in fugam versis, sancto martyri constanter adhæsit, & inter vlnas eum cõtinuit, donec altera earum amputata est. Additus indè est & alter ictus: quẽ immoto corpore placidè excepit. Tertiò percussus, flexis genibus submissa voce dixit: Pro nomine IESV, & Ecclesiæ defensiõe mori paratus sum. Tum verò tertius ex illis sacrilegis percussoribus, ita procumbenti graue inflixit vulnus, vt cum sanguine pariter è capite cerebrum in eius faciem deflueret. Quartò interim superuenientes abigente, vt cæteri in ea cæde liberius versarentur, postremò loco accessit is, quem antè diximus, Hugo execrabilis; positoque in collo sanctissimi martyris pede, quod sinè horrore dici non potest, cerebrum cum sanguine per pauimentum sparsit, aitque ad illos quatuor: Abeamus hinc: iste, posthac non resurget.

Offert ceruicem percussoribus.

Hic videtur Author seipsum significare.

Tertio ictu funditur martyris cerebrum.

Nefandum & horribile facinus Hugonis Diaconi.

In his omnibus incredibilem licebat sancti martyris videre constantiam; vt qui neque manum, neque vestem percussoribus opponeret: imò nè gemitum quidem aut aliquam doloris significationem exprimeret. Hoc igitur modo, cæde patrata, infœlices illi & cæteris homicidis immaniores, gloriabundi per ædes Archiepisco-

Magna viri sancti patiẽtia & constantia.

Diripitur domus Archiepiscopi.

episcopi discurrunt;aurum, argentum, vestes, vasa preciosa, libros & Ecclesiæ chartas, permultaque alia diripiunt. Indè in eius clericos, clientes & parentes, publica potestas suam exercet tyrannidem; diuersisque affectos contumelijs, priuat facultatibus: ita vt miseri & mēdici per ignotas dispersi regiones vagarentur. Magno sanè omnibus horrori fuit tam crudele facinus in ecclesia designatum.

Eu vt corpus occulte domarit.

Postero die sacrum martyris corpus ad abluendum de more nudatum, aspero & porrecto ad genua succinctum cilicio, est inuētum. Quæ res largos ex præsentium oculis lachrymarum expressit imbres: cùm cernerent tantū pœnitentiæ rigorem, qui anteà paucissimis vix familiaribus cognitus fuerat. Conditum indè est venerandum corpus honorificè admodum atque reuerenter;quod tantis non multò post illustratum est miraculis, vt ea fidem planè vincere putarentur: nisi adeò manifesta & & gloriosa forent, vt multiplicatis ipsa etiam aduersariorum impietas ijs cedere coacta fuisset.

Sepulchrum eius eximijs miraculis celebre.

Cùm autem toto bienio, demptis diebus decem, diuinæ laudes, & Missarum solennia in eius ecclesia conticuissent, subitò & præter omnem expectationē, Deo fusum martyris sui sanguinem vlciscente, turbulētis seditionibus regnum agitari cœpit: bellaque intestina adeò illud dilacerarunt, vt filius in patrem, pater in filium insurgeret: prorsus vt tota Anglia à facie cladis imminentis contremisceret. Obsidebant eam hostes vndique; & intus exitiales vasta-

Deus vlciscitur martyris sanguinē.

vastabant seditiones: ita vt nihil præter extremum excidium superesse videretur.

Itaque sancti martyris aduersarij animis fracti, cum Deo in gratiā redire, & admissum crimen dignis pœnitentiæ lachrymis delere studuêre. Denique ipse Rex per visionem admonitus, nullam aliam, nisi conciliato martyre, recuperādæ pacis superesse rationē: corde cōtrito & humiliato ad monumentū beati martyris veniā petiturus properauit. Cumq; Cantuariam venisset, ab æde B Dunstanni ad summum templum vsque, in quo S. Thomas cōditus erat, nudis pedibus & cōmuni veste lachrymabundus processit: non pedum teneritudine, non viarum asperitate retardatus. Vbi ad ecclesiæ fores venit, procidit & adorauit: porrò locum ingressus, qui eius martyrio consecratus est, lachrymis infudit: deindè dicta confessione coram Episcopis, multo cum tremore ac reuerentia ad loculū martyris accessit: ibique toto corpore prostratus, fuso, cum crebro singultu, lachrymarum imbre, palam se reū proclamauit; veniamque precatus, quod sanctū virum tam pertinaciter esset persecutus, non tamen occcidi voluisset: omnia Ecclesiæ iura & dignitates in integrum restituit; additisque insuper è suo 30. librarū redditibus supplex martyris pro se ad Deum intercessionē postulauit. Deindè (neque enim hic finis erat) exteriori se nudans veste, caput & scapulas in tumuli fenestram magna humilitate submisit; primoq; ab Episcopis quinquies cæsus est: deindè à monachis amplius 80. ternos accepit ictus; atque ita solenniter absolutus est. Post hæc nuda residēs humo

Obserua singularem Regis pœnitentiam.

Rex omnia iura & dignitates Ecclesiæ restituit Cantuariensi.

Nota hæc.

humo; nudis, vt venerat, pedibus: atque ieiunus totam illam in precibus exegit noctem: præclarum atque admirandum cunctis Principib' & Regibus se præbens exemplum: quale in historijs non facilè reperire liceat.

Eodem autem illo die, quo Rex pro suis in martyrem peccatis satisfacturus, Cantuariam venit: Comes Flandriæ, qui cùm immenso exercitu in Angliam traijcere statuerat, mutata illicò sententia, recessit. Altero verò die Scotiæ Rex, Angliam vastaturus, in acie comprehensus est: & breui omnes conticuere hostes. Neque dubium sanè, quin Thomæ potissimum precibus meritisq; optata regno redierit tranquillitas: Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritusancto viuit & regnat in secula seculorum: Amen.

Coronati sũt teste C. Baro. Tom. 2. Anal. anno Christi 301. Marcel. Papæ 5. Diocle. & Maxim. Imp 18. 30. Decẽ.

MARTYRIVM SS. SABINI EPISCOpi, Exuperantij & Marcelli Diaconorum, &c. Ex ijs quæ extant in Martyrolog. Venerabilis Bedæ, & Archiepiscopi Adonis.

Comprehenditur à Venustiano Præside.

BEATVS Sabinus Spoletinus antistes cũ diuinis eloquijs egregiè instructus, præstanti sua facundia Christianam rem mirificè locupletaret, Venustianus Tusciæ Præses de cultu deorum suorum solicitus, cũ duobus diaconibus Exuperantio & Marcello, & multis clericis, eum comprehendit: & domum suã perductos ad thura Iouis simulachro, quod mira superstitione colebat, offerenda compellere nitebatur. At Sabinus hominis erroré miseratus, fusa ad Deum oratione, simulachrum mani-

Sabinus confringit Iouis simulachrũ.

manibus ſuis pauimento alliſit, confregitque. Quo facto, Venuſtianus tãto furore excãduit, vt antiſtiti manus confeſtim præcidi iuberet. Neque ea crudelitate contentus, Marcellum & Exuperantium in eculeo ſuſpenſos fuſtibus macerari, latera eorum vnguibus radi, & igne ſuppoſito tamdiu cruciari mandauit: donec in Chriſti confeſſione ſpiritum redderent. Quorum corpora in fluuium præcipitata ſunt: Sabinus verò Epiſcopus fœdo carceri mancipatus eſt.

Truncatur manibus.

SS. Marcell. & Exuperãtius reddunt ſpiritũ, poſt immania tormenta.

Erat eo tempore Serena quædã, inſigni pietate & religiõe vidua, quæ Sabini antiſtitis curam ſuſcepit: eumq; & pauit; & omni, qua potuit, humanitate fouit. Erat ei nepos Priſcianus nomine, oculorũ lumine miſerè orbatus: cuius oculis Sabinus truncas imponens manus mira facilitate lumen reformauit. Quo miraculo vndecim viri, qui eodem carcere vincti tenebantur, pedibus illius ilicò proſtrati, ſalutare regenerationis lauacrum, impio deorũ cultu abiurato, poſtularũt. Abluit eos ſanctus martyr; expiatosque in Chriſti confeſſione egregiè confirmauit.

Serena Vidua curam gerit S. Sabini.

Sabinus cæcum ſanat.

Baptizat viros vndecim.

Eodem tempore Venuſtianus tanto tamque vehementi oculorum dolore laborabat, vt neque cibum, neque potum, neq; ſomnum capere poſſet. Doloris itaq; victus magnitudine, per vxorem & duos filios Sabinum è carcere domũ ſuam adduci curauit. Veniẽtem venerabundus excepit: eiuſque pedibus cum fletu proſtratus, & ſibi, & vxori, & filijs, baptiſmũ ſupplex impertiri petijt. Ea re gauiſus vehementer Sabinus, catecheſi eos exactè inſtruxit; & hero

Venuſtianus credit cum familia.

fonte ritè expiauit: quo tempore omnis oculorum dolor repentè cessit.

Fuêre hæc continuò Maximiano nunciata; qui pro sua in Christianos rabie Sabinum damnari, & Venustianum capite truncari iussit. Lucius tribunus crudelitatis executor, Venustianum cum vxore & filijs in ciuitate* Assisinate capite plectit. Sanctum verò Sabinũ Spoleti plumbatis tamdiu cædi præcepit: donec in Christi confessione spiritum exhalaret. Cuius corpus Serena, quæ iam sacras eius manus in vitrea pixide cum aromatibus condiderat, vno plus minus, à ciuitate Spoletana, milliario, honorificè sepeliuit.

** Assisina. Occiditur cum suis.*

Item S. Sabinus.

VITA S. SYLVESTRI PONTIFICIS Romani præstãtissimi: Ex ijs quæ extant apud C. Baronium. Obijt anno à Christi Incarnatione 335. Constantini Imperatoris 30. cum sedisset annos 21. menses 10. & diem vnum.

Tom. 3. Annal. C. Baron. & in Notat. ad Martyrol. Rom.

31. Decẽb.

Patria & parẽtes eius.

** al. Iusta.*

DIVINVS planè vir & magnum Orthodoxę Ecclesię ornamentũ Syluester, Romę patre Ruffino, matre verò* Iustina ingenuis omniq; honestate ac probitate conspicuis parentibus natus est. Præstanti indole puer, à teneris sanctiora vitæ instituta summo studio & diligentia sectatus legitur. Iuuenis adhuc, * Curionem quendam eximia fide & eruditione presbyterũ secutus est: à quo Christianæ fidei edoctus mysteria & sanctissimis disciplinis ritè imbutus, ac succedente tempore à Marcellino Papa presbyter ordinatus, eos præcipuo ac singulari quodam amore & honore prosecutus est, quos expiandis mortalium

** al. Caritiũ S. Syluester à Curione presbytero institutus.*

talium animis operam è Christiana disciplina nauare cognoscebat. Itaque inter alios, quos Romæ peregrinos excepit, Timotheum quendam, virum diuinũ, qui Antiochia Romam peregrinus aduenerat, & strenuâ multiplicandæ rei Christianę operâ impendebat, anno vno & paulò ampliùs domi suæ fouit; nihil verit° impiorum minas suppliciaque: quæ diuini verbi pręconibus eorumq; fautoribus cõstituta erãt.

Mirè est hospitalis.

Enimuerò Timotheus post vberem messem, in Ecclesiæ horreum magno labore à se congestam, tandem in vincula coniectus, & longo carceris squalore maceratus, postremò capitis obtruncatione gloriosam martyrij palmam adeptus est. Cuius reliquias beatus Sylvester profunda nocte rapuit: spretaque Tyrannorum crudelitate, cùm hymnis & psalmis accedente Melchiade Papa sepulturæ honorificè mandauit: quæ tamen posteà fuêre à Theodorę pia matrona in horto suo, non longè à B. Apostoli Pauli sepulchro via Ostiensi sepultæ; ac in eius tandem Basilica honestissimè collocatæ. Quam ob rem ab vrbis Præfecto Tarquinio Perpenna comprehensus, cunctas Timothei facultates iussus est prodere: ni mallet omni suppliciorum genere consumi. Instabat Præfectus: vrgebat, minas & horrendos cruciatus intentabat: ni ilicò opes Timothei panderet. Sanctus autem mentis oculis præsens Dei iudicium mirabiliter præuidens, Euangelica voce respondens: Hac nocte, inquit, animam à te repetent, & tu intentatas minas quomodò ad effectum deduces? His verbis commotus sanè Præfectus arctioribus vinculis Sylue-

S. Timotheus pro fide necatur.

Lucæ 12.

Sylvester mittitur in carcerem.

ſtrum conſtringi iuſſit. Ipſe verò imminentis periculi ignarus miſer, inter epulas meridianas piſciculi generis fortè lautioris os imprudens deglutiuit: quod gutturi fixum diuinitùs inhærens, infęlicem animam media nocte miſero excuſſit. Hoc cum idolorum cultoribus haud mediocrem incuteret timorem, tum beato Sylueſtro libertatem reſtituit; tantamque venerationem, tam apud fideles, quàm infideles, conciliauit.

Vltio diuina in Præfectũ.

Vt paulò pòſt, beato Melchiade ex hac vita ad meliorem translato, omnium votis ad ſummum illud honoris culmen euectus ſit. Inuitus planè & ægrè gradum illũ dignitatis conſcendit. Sed cùm neque precibus, neque obteſtationibus, declinare poſſet: quod reliquum erat, animum ad Chriſti Eccleſiam omnium virtutum ſplendore illuſtrandam adiecit. Et primò quidem cum clericos, & ſacræ militiæ conſecratos, mercimonijs alijsque rebus ſecularibus parùm honeſtè vacãtes inueniret, primus omnium lege cauit, vt omnes in ſacram Chriſti militiam adſcripti negotijs ſecularibus planè valere iuſſis, rebus diuinis ſedulò intenderent: Reperitur non multò poſt tempore celeberrimæ illi contrà Donatiſtas Arelati in Gallijs a celebratæ Synodo præfuiſſe; quanquàm per legatos tantùm: eoſdemque tumultuantes ad tempus multum compreſſiſſe.

Pis Romanis Pontifex.

Secundùm illud D. Pauli 2. Tim. 2. Nemo militans Deo, &c.

a Anno Chriſti 314. Præfuit Concilio Arelatenſi, contra Donatiſtas. Ariani in Oriẽte expurgunt.

Biennio autem plus minus elapſo, cum Orientalis Eccleſia Arij hæreſi vbiq; concuteretur, ac vehementer exagitaretur, beatus Pontifex litteris Alexandri Alexandrinorum Antiſtitis de cunctis rebus geſtis certior redditus, quod

quod ſui muneris præcipuè erat nequaquam prætermiſit. ſed egregiam in his componendis diſcordijs, & erroribus pullulantibus euellendis, nauauit operam. Miſit ſiquidem tũc Oſium Epiſcopum Cordubenſem, clariſſimum confeſſione & eruditione virum, legatum in Orientem: vt in AEgypto vel alio, vbi opus eſſet, ſi quo pio modo poſſet, excitatum per Arium aliosque ſchiſmaticos incẽdium extingueret, rixasque ſedaret.

Ad eos alioſque comprimendos Oſium Antiſtitem Cordubẽſem eo dirigit.

Tractabat eo quidem tempore imperij gubernacula Conſtantinus varijs præcedentibus ſignis ac viſionibus diuinis, inclytisque victorijs, factus ergà Chriſtianam religionem propenſior ad tempus: à qua importunis impiorũ quorundam ſuaſionibus, cum auitam ſuperſtitionem aliqua ſaltẽ ex parte reſumpſiſſet, penitus ferè, non multò poſt tempore, eſt reuocatus: ac fluctuans eius animus in deteriora propulſus. Vndè infenſiſſimi Chriſtiani nominis hoſtes, tam opportunã nacti occaſionẽ, fideles præter ſpem haud modicè vexarunt, atq; inuitos ad eorũ ſacra pertraxêre. In ipſum quoque totius Chriſtianitatis Antiſtitẽ, tanq; in aduerſariæ partis anteſignanũ, retentum diu ac metu cõpreſſum furorẽ magno impetu effudere; quorum impetuoſo aggreſſui ad tẽpus eſſe cedendum, B. Pontifex cõſultius arbitrans, neve ſuo capite vniuerſam Eccleſiam in maius conijceret diſcrimen, quòd Imperator procul eſſet ab vrbe: eadẽ relicta in montem Soractem cum ſuis ſeſe abdidit: vbi precibus & lachrymis afflicta Eccleſiæ membra curabat.

Conſtantino parum tepeſcente in pietate, vexantur Chriſtiani.

Latitat in monte S. Syluester.

Intereà Deus, qui ſuos paterna prouidentia

Constantinus sit leprosus.

semper & vbiq́ue fouet Imperatorem horrenda fœdissimaq́; lepræ cõtagione perculit; quæ cum nulla medicorũ arte, nullis medicamentis fugari posset, abiecta spe salutis, inter omnes honores & diuitias potentissimus Orbis Monarcha miserè contabuit. Accedunt ad illũ idolorum Põtifices, aiunt vnicam hanc superesse consequendæ salutis spem: si corpus lepra fœdatum in sanguine infantium, bulliẽte adhuc atq; exhalante, diligẽter lauet. Quid multis? Missi per prouinciam satellites, infantes à matrũ complexibus vberisq́ue auellunt: adductosq́; in Capitoliũ, certo pręfinito die, ad necem pręparant. Adest Imperator, vt nefaria innocentium cæde magis se magisq́ue contaminet. Adsunt & matres miserabili valdè eiulatu regiã & Capitolium, & totam deniq; Vrbẽ implentes. Horret repentè tantos tamq́ue lamẽtabiles clamores Constantinus: nefandumq́ue facinus, quo polluendus erat detestans, è Capitolio in regiam reuertitur. Iubetq́ue sinè mora innocentes matribus reddi infantes; earumq́ue luctum atque lachrymas donis insuper atq; muneribus placari; satius esse dicens, se vnum fœdo morbo intabescere: quàm tantã innocentium multitudinem, cum incerta salutis spe, crudelissima internecione deleri.

Detestabile consilium ad sanitatem corporis cõsequendam.

Constantinus detestatur cruentum consilium.

Itaque damnato execrando Pontificum consilio, cùm in regia nocte quadam leni oppressus sopore cubaret: eccè visi adesse viri duo, veneranda canitie graues, Petrus & Paulus; qui corporis non modò sed animæ quoq; salutem spondebant sempiternam; quòd infantib⁹ piæ miserationis affectu commotus vitam donasset

Visio Constãtini Imperatoris.

set: eorumque salutem propria chariorem habuisset. Monent igitur vt Sylvestrum in monte Soracte latitantem accersat: salutari per eum fonte à corporis animæque sordibus expiandus. Hac visione ab oculis ablata, Imperator Sylvestrum dictum factum omni cum reuerẽtia ad se adduci curauit: adductumq; compellans; Dic, inquit, num qui apud vos Petrus & Paulus dij habeantur. Respondet Pontifex: Vnum tantum, cęli terręque conditorem, Deum esse, Petrum verò & Paulum Dei seruos Christique discipulos, à Nerone pro fidei confessione, martyrio coronatos è vita migrâsse. His auditis eorum effigies sibi exhiberi postulans Imperator, reipsa cognoscere voluit, veranè visio, an somnij quoddam ludibrium esset.

S. Sylvester à Constantino è monte Soracte Romam aduocatur.

Visis verò imaginibus, tanto est perfusus gaudio, vt nihil iam de rei veritate dubitans, protinus sibi cæleste lauacrum exhiberi vellet. At Sylvester: Non ita, inquit, ô Imperator, dona illa cælestia conferuntur, sed lachrymis primùm precibusque Deus tibi placandus: deponenda purpura & regium diadema; nefaria idolorum superstitio funditus extirpanda: & Christiani in carceres & vincula coniecti, protinus relaxandi. Nihil recusauit Constantinus. Itaque, posito diademate, post dies septem in luctu lachrymisque ac precibus cum ieiunio transactos, catechesi iam probè instructus, ad salutarem[a] fontem intra Palatium Lateranense præparatũ (vbi hactenùs eius visitur Baptisterium) accessit: moxq; vt vnda cælesti tinctus est, affulsit cælitus diuinus splendor fulgidis-

Petit baptisma Constantinus.

[a] *De excellẽtia huius fontis, vide Baron Tom 3. Anno Domini 324.*

Sanatur à lepra Constantinus per Baptismum.

gidissimus; squamisque à corpore in lauacrum decidentibus, sanus planè atque purus, ingenti omnium admiratione, egressus est: confessus palàm, eo fulgore sibi manum porrigentem Christum vidisse.

Exoritur subita gratulatio; audiuntur vbiq; voces lætitiæ: edictum ab Imperatore promulgatur, ne quis deinceps Christi cultoribus vel solo verbo molestiam exhibeat. Neque ad suscipiēda Christiana sacra quisquā impeditus sed nec cōpulsus est. Constantinus antè omnia vt Christo grati animi significationē ostenderet, eodemque pietatis ac religionis cunctos adduceret, magnificum in ipsa regia Christo Saluatori condidit [a] templum: & tum exemplo tum verbo immensas diuinæ bonitatis diuitias omnibus ob oculos statuit. Noua tunc lux oriri visa est Ecclesiæ. Gloriosa Christi trophæa erigebātur: Confessores è vinculis & metallis soluti prodibant; & tāquàm bellatores eximij, multis inclyti victorijs, de hoste prostrato triumphabant: cum eccè Iudęi videntes Christianā religionem Imperatorijs quoq; splendoribus illustratam, ac præter spem admirabili amplitudine auctam atque mirificè propagatā, maioribus quam vnquàm anteà odijs exarsere, & grauioribus inuidiæ stimulis exagitati, studuēre cum matrem Helenam Augustam, tum ipsummet Constantinum Imperatorem, quibus valebant artibus, ac magia quoque, si potuissent, à suscepta Christiana religione iā penitus reuocare: egereq; procacibus suggestionibus, importunis petitionibus, efficatioribus precibus, & clamoribus petulantibus, vt corā ipsis

[a] *De eius magnificentia vide Baron. vbi suprà.*

Extruit tēplum Christo Imp.

Iudæorum impius conatus.

ipsis in publico audirentur conuentu aduersus eandem Christianam religionem disputantes. Vbi sanè diuinus Pontifex tam egregiè eos tũ per sacram scripturam cum per miracula (Domino cooperante) redarguit, confutauit atque conuicit; vt complures ex innumera astante multitudine, à superstitione Iudaica ac Pagana recedentes: exultantibus animis ad Christi castra conuolârint. Quo tempore & immanẽ draconem seu colubrum vrbi admodum infestum, quem Gentiles cultu diuino prosequebantur, in propria cauerna occlusum extinxit.

A S. Siluestro publicè conuincũtur, vndè & multi ad Christum cõuertuntur.

Ab eodem Draco extinguitur.

Titulum quuoque suum in Regione tertia, iuxtà thermas Domitianas, quæ cognominantur Traianę cõstituit; vbi conuocauit ac collegit amplam Synodum Antistitum Occidentalium vltrà 230. in qua Hyppolitum Diaconũ, Valentinianæ hæresis sectatorem; Callistum, Sabellij hæresi maculatum; & Victorium qui receptos ab Ecclesia Paschales cyclos redarguere præsumpsisset, damnauit; Diaconos alios duos ordinauit: aliaque complura quæ pro propaganda stabiliendaque Orthodoxa fide facere videbantur disposuit, definiuit atque conclusit: cum interim contra quàm expectârat, res in Oriente legato suo Osio successêre. Labore siquidem eius ob aduersariorum ac repugnantium pertinaciam casso reddito, peruicax contentio reconciliationem concordiæ impediuit. Vndè pro Dei Ecclesia zelo exæstuans vir diuinus, Oecumenicum Nicænum Concilium, 318. sanctissimorum Antistitum conuentu celeberrimum, Imperatorio edicto indici, conuocari ac celebrari curauit:

Titulum ab eodem erectum.

Synodus Romana ab eodem collecta Anno Christi 324.

Eodem auctore celebratur vniuersalis Nicæna Synodus.

ac ab eo confirmatur anno Christi 325.

quo & legatos tres, quorum primarius erat Osius, direxit: atque ididpsum tandem consummatum Apostolica auctoritate confirmauit.

En antiquâ consuetudinê Ecclesias picturis sacris ornandi.

Ecclesias vrbis mira amplitudine à Constantino erectas sacris picturis siuè musiuo opere, siue coloribus exornauit. Eius plantatio fuit nobilissima virgo, Romana nomine; filia Calpurnij Præfecti vrbis; quæ ab eodem baptizata perpetuam coluit virginitatem: cuius Natalis dies 7 Calendas Martij adscriptus tabulis ecclesiasticis, anniuersaria commemoratione in Ecclesia perseuerat; coliturque Tuderti præsertim; vbi eius venerandæ reliquiæ asseruantur.

S. Romanum virginem baptizauit.

Ordinationes eius sacræ.

Fecit ordinationes sex per Mensem Decembrem; Ordinauit Episcopos per diuersa loca 65. alias 36. Presbyteros 42. Diaconos 26.

Hæc pauca ex plurimis tanti Pontificis præclaris rebus gestis memoriæ commendata cõperiuntur; quæ licet in terris nobis obscurè, Deo tamen, Angelis, & hominibus, satis perspicuæ atque conspicuæ in cælis apparent: ad quorum inclyta Regna tandem sacratissimus præsul, meritisque bonorum operum gloriosissimus, solutis mortalitatis vinculis lætus conscendit; summum pijssimo Imperatori, cęterisque fidelibus sui relinquens desiderium: à quibus sacrum eius corpus honorificè est terræ mandatum in cæmeterio Priscillæ, via Salaria, apud vrbem milliario tertio. Dignus sanè cuius nomen Solenni celebritate, anniuersaria commemoratione recolatur; vtpotè Sacerdotis verè magni; Pontificis maximi, Principis Episcoporum; hæredis Apostolorum; qui & pri-

Felicissimus eius obitus.

Locus sepulturæ.

& primatu alter Abel; gubernatu Noe; patriarchatu Abraham; ordine Melchisdech; dignitate Aaron; auctoritate Moses; iudicatu Samuel; potestate Petrus; ac denique extitit auctoritate Christus: cuius Diuinitatis magnus propugnator enituit ac propalator eximius; cui meritò post Petrum, eiusdem dogmatis primum ac præcipuum assertorem, tantum debeat Ecclesia, quantum alij de ea quam optimè merito: ac propterea dignissimus existit, vt in eius memoriam non Romæ modò, hoc est, in primaria vrbe ipsius patriæ, verùm in omnibus Christiani orbis ciuitatibus, ad ipsos vsque extremos Antipodas, insignes basilicæ erectæ, vel oratoria atque sacella, & aræ Deo dicentur.

Præclaro hoc encomio diē obitūs sanctissimi huius Pontificis exornat C. Baron. Tomo 3. Annal. anno Christi 335.

MARTYRIVM SANCTISSIMAE VIRginis Columbæ: Ex antiquissimis M. S. Codicibus. a Passa est anno Christi 275. Eutychiani Papæ 1. Aureliani Imp. 5.

Teste C. Baron. Tom. 2. Annal. vide & Not. Martyr. Rom. 31. Decem.

AVRELIANVS, qui anno ducentesimo septuagesimo primo ad Romani Imperij est euectus gubernacula, primo quidem Christi fidelibus haud multum infestum sese exhibuit: sed impiorum mox deprauatus consilio, sopitam acriter suscitauit persecutionem. Atque inter cęteras Christi martyrum turmas, sanctissimam virginem generis nobilitate & corporis animique specie valdè conspicuā, nomine Columbam, à fidei pietatisque constantia ad nefariū deorum cultū traducere conatus est. Ingressus enim vrbem Senonis, die illo, quo magno Christianorum gaudio Salua-

Mouet persecutionem Aurelianus in Christianos.

Conatur pertuertere S. Columbam.

Saluatoris natalitia recoluntur, cum stupenda piæ Columbæ virginis audiret opera, eã protinus accersiri, suoque tribunali sisti iussit.

Aurelianus ei blanditur & promittit nuptias filij sui.

Illa fidei armis egregiè munita, magno & excelso animo in certamen prodijt: cui Aurelianus deorum cultum blandis primum verbis persuadere conatus est. Addidit promissa ingentia, & filij quoque sui spopondit coniugium. Illa verò & nuptias & promissa respuẽte, Aurelianus sui contemptum non ferens; Aut sacrificabis, inquit, aut virgineo spoliata pudore igne concremaberis. Nec mora: Virgo, Christi potentiæ ac bonitati confisa, nihil vel supplicij atrocitatem vel castitatis iacturam verita, ad prostibulum deducitur.

Ducitur ad lupanar.

Adest confestim iuuenis, œstro libidinis vehementer incensus, Barucha nomine; qui violento impetu in cubiculum irruens, florem virginitatis castissimæ Virginis se violaturum sperabat. Eum Columba dum omni ratione à se repellere nititur, eccè ex amphiteatro vrsa immanis, solutis vinculis, in lupanar insilijt: iuuenemque humi prostrauit. Exclamat miser, & opem sanctæ virginis implorat.

Defenditur mirabiliter ab Vrsa.

Impudicus Iuuenis ad Christum conuertitur.

Hortatur illa impudicum, vt scelerum suorũ pœnitudine ductus, Iesum inuocet: seseque totum ei sincera atque integra fide cõmittat. Miser ille periculi sui magnitudine compulsus, Iesum inclamat: liberatur ab Vrsa: & domo egressus Iesum, stupẽte Aureliano, verũ Deum confitetur.

Vult eã exuri tyrannus.

Tyrannus verò furore incensus domunculã virginis copioso igne circundari, & flammis eam consumi iubet. Flammis exurgentibus bel-

bellua, impetu facto, è periculo se eripit; virgo verò precibus diuinam Christi opem implorans imbrem è cælo impetrauit: qui sæuiẽtes flammas protinus oppressit. Aurelianus rei nouitate obstupefactus quidem est scelerum suorum tenebris occęcatus, Christi potentiam non agnouit: sed maleficijs & præstigijs cuncta adscribens, virginem in Christi bonitate & potentia mirificè exultantem, capitis, primo ab vrbe milliario, damnauit. Quo perducta, instanti precatione agonem suum Deo commendans, niueam ceruicem ensi carnificis constanter subdidit: & gloriosam martyrij coronam pridiè Kalendas Iauuarias adepta est.

Extinguitur diuinitus ignis.

Decollatur.

*VITA S.*MELANIAE IVNIORIS; NOBILISSIMÆ MATRONÆ ROMANÆ: Ex ea quæ est à Metaphrast. fideliter conscripta. Floruit anno Christi 434. &c. sub Theodosio Imp. Iuniore.*

* al. Melanæ Vide Tom 5. Annal. & Not. Martyr. Rom. C. Baron. 31. Decem. Alias Ianuar. 31.

SMelania clarissima celeberrimaq; Vrbe Roma oriunda, à nobilissimis clarissimisque parentibus quartodecimo ætatis suæ anno, inuita planè viro, genere & ætate, & cunctis opibus florentissimo, a Piniano nomine, sacro matrimonij vinculo copulata fuit. Porrò illa virgineæ castitatis amantissima, corpus simul & animam soli Christo consecrare cupiebat: sed Pinianus, de hærede solicitus volentem nolentemque matrem filiorum efficere conatus est. Itaque viri subiecta imperio; difficiles partus experiri coacta: primo filiam enixa est, quam protinus Deo consecrauit. Indè verò sanctioris vitæ cupi-

a *sic restituendum censet C. Baronius.*

Iungitur viro inuita.

Parit filiã & Deo eam consecrat.

cupidissima, cum nullo modo continentiam viro persuadere posset, fugam cogitabat. Sed cùm id Deo hominibusque ingratum fore esset admonita, quod reliquum erat, pompis mundi & delicijs vniuersis ab animo repulsis, cilicio sub splendida & sumptuosa veste carnem domabat. Hoc futuræ exercitationis præludium strenuè viriliterque exercens, masculum deindè peperit infantem; vnicam paternæ hæreditatis spem: quæ tamen immatura eius morte breui sublata fuit. Porrò in vltimo illo partu, tantis est conflictata doloribus, vt maritus & reliqui omnes certissimæ mortis nuncium expectarent. Illa verò iam mortis terrore penè oppressa, cum intelligeret maritum in templum ad aram cōfugisse, diuinumque auxilium implorare, arbitrata adesse tempus pio mentis desiderio satisfaciendi summè idoneum: benignè admodum eum hortatur, pro vitæ conseruatione, vt vel deinceps perpetuum continentiæ votum vnà secum amplectatur. Paret is lubens vxoris voluntati: paribusq; votis se Deo consecrant. Parentes, re intellecta, grauiter indignati, continentiæ & vitæ sanctioris institutū conuellere, atq; ad pristinas delicias & mundi splendorē eos reuocare conātur. Illi verò igne diuini amoris iam vehementer incensi, Vrbe relicta, ad suburbana se cōferunt: vbi è Christiana disciplina peregrinis quibuslibet salutaria documēta, & egenis admirandę benignitatis officia sedulò exhibebant. Quo tempore Seuerus Piniani frater dictis sacrisq; eos oppugnans; insano dęmonis instinctu nihil non moliebatur; vt tan-

Vtitur cilicio.

Parit filium sed is mox decedit.

Vouent ambo castitatē.

Relinquunt Vrbem.

Seuerus frater Piniani eos infestat.

vt tantam tamque eximiam eorum philosophiam, quæ in oculis omnium mirificè relucebat, obscuraret.

Verina Augusta fama virtutum eorum permota, Melaniam accersijt; tantoque cũ honore venientem excepit: vt etiam fœlicem se ac beatam prædicaret, quod tanta virtute fœminam cõspicere meruisset. Cumque de illata per Seuerum iniuria audiuisset, illamque digno supplicio vindicare statueret, Melania respondẗ, An non inquit, satius est iniuriam pati quam inferre? Itaque nos quidem grauiora excipere parati, pro solis egenis pauperibusque supplicamus: vt liceat ijs ex proprijs facultatibus liberè, represso Seuero, consulere. Obstupuit sanè, nec immeritò, tantam in Melania virtutẽ Imperatrix: fecitque votis eorum satis. Illi autem è regia domum reuersi, mox plenis manibus opes distrahere immensam auri & argenti vim pauperibus erogare: & benignitatis opera incredibili alacritate exercere. Tanta enim erat diuitiarum eorum gloria, vt Romanorum nemo, excepto Imperatore, cũ ea posset contendere. Erat eis Romæ splendida & magnifica domus, cęterarum diuitiarum argumentum; quam nullus ciuium iusto pretio emere potuit.

Verina Augusta eã admirat & magnifacit.

Egregia in Melania virtus.

Distrahunt facultates suas.

Verumenimuerò his omnibus maximo animo spretis, virilis animi matrona pauperem & abiectam in Christo elegit vitam; omnibus, quæ possidebat, ità in pauperes & cælestis vitæ cultores monachosq; erogatis: vt ipsa pane interdũ arido, potuq; pertenui vteretur. Vini vsus prorsus ei incognitus erat: & hebdoma-

Diuitiarum Melaniæ insigne.

Magnæ eius & incredibiles abstinentiæ.

Dat operam scripturis.

domadarum inedia (quod mirum videri haud immeritò potest) carnem frequenter macerabat. Cęterùm diuinis eloquijs die noctéque sedulò intenta, conscribendis libris strenuam inprimis nauabat operam: corporis refectione post Solis occasum reseruata: quæ tamen non tam refectio, quam noua afflictio videri poterat.

In lignea arca arctissimè degit annos septem.

Post hæc verò maiora adhuc animo proponens, ligneam arculam corpusculo suo ita adaptauit, vt membra integrè nunquam posset extendere: in qua annos continuò septem pulchrum sanè exegit certamen. Et hæc quidem omnia, in terra peregrina; ciuitate, quæ Tagaste dicitur: ne in patrio solo cognatorum blanditijs à contento pietatis cursu tardaretur. Deindè verò visendi sacra loca desiderio tacta, matre & Piniano marito comitibus, Alexandriam nauigauit: vbi pijs sanctissimi Sacerdotis Cyrilli instructa colloquijs, cælesti gaudio plena Hierosolymam abijt: ibidemq; matre senio prægrauata relicta, monachorum deinin AEgypto domicilia lustrauit. Ibi hausta sanctioris adhuc vitæ forma, mox Hierosolymam repetijt; virginumque cœnobium nonaginta Christi famulabus erexit celeberrimũ: quibus ea cum gratia ac virtutum splendore præfuit, vt angelicæ in humanis corporibus mẽtes apparerẽt. Pinianus quoque pari sanctitate conspicuus in monachorum contubernio sese exercebat: ac tandem plenus bonorum operum è corporis ergastulo ad cęlos fœliciter emigrauit.

Adit loca sacra.

Item AEgyptum.

Construit cœnobium virginum.

Degit in monasterio vir eius.

Melania verò præter alias, procedente tem-

tempore, præclaras res gestas, Volusianum patruum suum nobilissimum pariterque disertissimum vrbis Romanæ Præfectum, Paganismi tenacissimum (quem datis acceptisque frequenter literis B. Augustinus ad Christi fidem conuertere frustrà laborauerat) Constantinopoli, quò legatus ad Eudociam Imperatricem missus, eam videndi auidus accierat, ad Christi tandem traduxit castra: ac paucis post diebus è præsenti vita, percepto primùm Eucharistiæ viatico, ad beatam immortalitatem premisit. At propria dein reuersa, miraculorum gloria abundè fuit illustrata; Dæmoniacam siquidem mutam oleo sacro pristinæ restituit sanitati; aliaque complura operata est mirabilia: quæ singula hic recensere, prolixam nimis exigerent orationem.

Claruit complurimis eximijs miraculis.

Cæterùm cum finem consummandi cursus instare prænoscens, denuò loca sancta eximia deuotione obijsset, monitaque vbique salutis impigrè dedisset; in validam tandem corporis incidit infirmatem: qua se penitùs deficere, emigrationisque diem adesse sentiens, ilicò dilectum sibi commissum gregem conuocatum, pieq; matris discessum multo lachrymarũ imbre deplorantem, ad anteriora assiduo tẽdere grauiter est adhortata: multisque dein verbis eundem consolata, ad innumeram adstantem multitudinem per vtilem quoq; fecit admonitionẽ: ac tandẽ ab Eleutheropolis Antistite, cui multa de suo grege mandarat, Ecclesiasticis munita sacramentis, soluto mortalitatis ergastulo, ad sidereas transuolauit læta mansiones; vltimo mensis, Decemb. die.

Præsciuit diem obitus sui.

Migrat in cælum.

DE SOLENNITATE DEDICATIONIS Ecclesiæ; Ex R.P. Friderico Nausea: Antistite Viennensi.

Quam antiqua Dedicationis Ecclesiæ solēnitas.
Genes. 28.

TEMPLI Dedicationē & huius anniuersariam solennitatem ac institutionem non esse recētem, sed omnium planè vetustissimam exploratissimum est; vtpotè quæ primū à Iacobo olim Patriarcha visione præsignata, per Israelitas, Domino mandante, ter in anno fieri celebrariq́ue cæperit. Quæ deindè succeſsione multò lōgissima in veteri testamento per viros sanctissimos non sinè laude & deuotiōne frequentata fuit & obseruata, vsque ad nouum testamentum; In quo nimirū Christus Rex regum & Dominus Dominantium, vnigenitus Dei filius, vnicus saluator noster, author omnis boni, satis euidenter dedicationē ipsam, & eius festiuam solennitatem approbauit, confirmauit, sibiq́ue eam esse gratissimā non vna sed multiplici ratione commonstrauit; tum quia tempore Encæniorum, idest Dedicationis, templum singulariter visitauerit; tum quia ibi sermonem ad populum fundere, diuinitatisq́ue suæ sacramenta pandere dignatus est. Vnde non potest non apertò constare, quàm rectè quamq́ue piè Catholica Ecclesia veritatis columna & firmamentum Solennitates Dedicationis tēpli singùlis annis celebrari constituerit: ac in hunc vsque diem toto terrarum orbe seruauerit; vtpotè quæ Instrumenti veteris approbatione, visionis præsignatione solennis comprobetur, confirmetur-q́ue visitatione IHESV CHRISTI: nobis exem-

Daniel. 9.
Apocal. 19
1. Tim. 6.
Comprob t eā Christus.

Ioan 10.

exemplum, quod imitemur, in seipso præbentis.

Est autem in presentia dedicare nihil aliud, quam rem quampiam alicui non modo peculiarem, sed & ita propriam facere: vt deindè non possit alterius esse, nec nisi ad ipsius solius vsum fore. Ita Dedicatio tẽpli est, qua domus ipsa materialis, ita Deo singulariter est consecrata & addicta, vt nullius deindè nisi Dei solius dici possit; nec aliud in ea debeat agi: nisi quod ad illius honorẽ est; cuiusmodi est, Deo Opt. pro beneficijs acceptis gratias agere, supplicare, orare, verbum illius prædicare & audire, sacrificia offerre, psallere, sacra ministrare sacramẽta; & si quid huius est generis aliud, quod ad sanctitatem illius attinet, quod ad tẽplum Dei quasi rem peculiarem ipsius pertinet; dicente ad ipsum propheta. *Domum tuam decet sanctitudo Domine, in longitudine dierum.* Et rectè nimirum vereque; cum in hoc loco peculiariter ille sit ac habitet, qui sanctus est sanctorũ; de se dicẽs ad vnumquemq; in persona Moysis; *Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est.* Cuius præterea sanctitatem, quæ tribuitur illi per benedictiones Episcopi in Dedicatione, Dominus etiã in eo declaruit, quod indignabundus, facto de funiculis flagello, vendentes, ementes, & nummularios eiecit de templo, mensasque illorum subuertit dicens: *Auferte ista hinc & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Scriptum est enim; Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum.*

Explicatio verbi dedicare.

Dedicare templum quid.

Psal. 92.

Daniel 9.

Exodi 3.

Matth. 21.

Marc. 11.

Luc 19.

Ioan. 2.

Ier. 7.

Esai. 56.

Ex ijs licet animaduertere, quam horrendè

Qui in Ecclesijs graui-ter peccent.

peccent ij, qui vel negotijs prophanis, vel turpibus fabulis, vel inutilibus & ociosis verbis intendunt in templo; vbi velut in quodã prophano foro spatiantur. Qui cum verbum Dei prædicatur, oculos in contemplandis mulierum formis pascunt; satanicis inspirationibus præbentes locum; nullus vt fructus ex bono semine iacto colligatur. Qui ministros Ecclesiæ siuè orantes, siuè cantantes, siuè sacrificantes nullo habent in pretio: sed eos perturbant potius ac impediunt. Sed enim quod huius temeritatis est caput, crebrò tales nec temporũ nec locorum sacrorum religione vlla tanguntur; atque idcircò non magis quam Iudæi vel Ethnici: Diuinam maiestatem in templo vsque præsentem suspiciunt atque venerãtur. At verò hi præ cæteris (cũ damnabilius multò peccent) magis sunt deplorãdi; qui cum ætate nostra odio Ecclesiæ Vatiniano flagrent, si ante hac vnquam, nunc suum hæreticum spiritum & barbaricum furorem orbi clarissimè produnt; quando Catholicis templis nullum conceduut honorem, & omne pretiosum auferũt omnemque tollunt ornatum; & spoliandi quidem ac vastandi nullum faciunt finem; veluti rem Euangelio dignam & sanctam peragant, si inter fas & nefas, inter sacrum & profanum nihil discriminis ponant: omnemque cultum diuinum abrogent ac pessundent.

In Nouatores.

Nos verò quoties anniuersarius dies templi dedicati recurrit, eandem sacram ædem libenter inuisamus, nostraque vota & quæ maximè petenda ducimus, æterno Deo tunc ardenter offera-

offeramus atque commendemus. Si enim Dedicationis dies illis qui ſub vmbra vixerunt & figura, tã fuit celebris & venerabilis, quantæ nobis debet illa eſſe celebritati & veneratio-
ni, qui viuimus in luce & veritate IESV Chri- 1.Pet.2. 2.Corint.6.
ſti? maximè propter myſticam dedicationem templi ſpiritualis, quod nos ſumus: quam illa ſignificat, & ob eam hæc ipſa potiſſimum eſt inſtituta? Sanè ſi rem ipſam penitus & huius myſterium paulò diligentiùs inſpexerimus, profectò reſciemus dedicationem ſacri tem- *Dedicatione Eccleſiæ quid doceamur ſpiritualiter.*
pli, noſtram dedicationem ſignificare: qua nos primùm non ſecus per fidem in ſacro baptiſmate Deo ſumus ex gentilitate recepti & dedicati, atq; domus Dei materialis; cum & nos ipſius domus ſimus ſpiritualis: in qua ſpiritualiter per ſuam gratiam vult inhabitare; cuius quodammodò teſtis eſt templum materiale & eius dedicatio.

Sed .n. per eam admonemur noſtrę dedicationis; qua primum, vt diximus, ſumus ex hoc mundo & à diabolo per fidẽ in baptiſmo erepti, ſoliq; Deo creatori noſtro ſic peculariter appropriati, conſecrati & dedicati, vt eius ſolius poſtea eſſemus; nec aliud in nobis & à nobis ageretur, quàm quod ſanctum eſſet, Deoq; *Pſalm.92.*
gratum: cum domus eſſemus Dei: quam ſanctitudo nec aliud deceret. Atque hinc eſt, quod ex Eccleſiæ Catholicæ inſtitutione ſemper in cuiuslibet Eccleſiæ Dedicationis feſto legi cantariqué ſoleat Euangelium de Zachæo; cuius *Lucæ 19.*
domui, id eſt, animæ & cordi facta eſt ſalus. E- *Roman.1.*
tenim & nos olim fuimus Zachæi, publicano- *Epheſ.2.*
rum quippè ante fidem & baptiſmũ principes;

quia gentiles & idololatriæ; parui omninò gratia, magni verò peccati enormitate; donec ascendimus in arborem sycomorum, quæ fatua dicitur arbor, qualis est (teste D.Paulo) Christi crux & eius fides; donecque Christus ipse nos per gratiam suam descendere iussit, & ad fidem suam vocauit; per quam esset in nobis, vt in suo spirituali templo habitaturus: donec cùm eo essemus regnaturi in templo cælesti.

1.Corin.1.

MARTY.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MARTYRIVM SS. VRSVLAE ET SOCIARVM VIRGINVM ALIORVMQVE ASSOCIATORŪ

breuissime fidelissimeq; conscriptū: Exeo quod est Per R.D. Hermanum Fleien, S. Theologiæ Doctorem, S. Cuniberti Decanū, Sanctarumq; Virginum Coloniæ Canonicum. Coronatæ sunt anno à Christi Incarnatione plus minus 451. sub Attilla Hunnorum Rege: qui eodem tempore (iuxta C. Baronij Annal. Tom. 6) Gallias, aliasq; prouincias occidentales inuasit.

CVM inclinare Resp. Romana, labi & propè cadere inciperet, nō modò principibus ipsis tyrannidē occupantibus, verumetiam & [a] Barbaris vndique in Imperium irrumpentibus, & multis pijs ac Christianis populis de ceruicibus suis iugum seruile deijcientibus, Britanni quoque à Pictis & Scotis, continuis diuexabantur ærumnis. Et quanquam fortiter ac strenuè à Romanis prouincia copijs hostium aliquoties prostratis & profligatis defendebatur: tamen, quia indies Romanæ res magis attenuabantur, imminuebanturque, & legio, quæ à Romanis missa, Britannis subsidio venerat, ducem suum cum multis nobilibus Britannis, inter quos Conanus erat honesto loco apud suos natus, secuta in Armoricā Galliæ regionem traiecerat, ibique nouum Britannię Gallicę regnum firmare cœperat; [b] coacti sunt Britones omni ope & auxi-

21. Octob.

a *Constat Romanos vocasse omnes illos barbaros, qui ipsorum imperio non parebāt.*

b *Hæc acta esse anno 449. testatur Beda lib. 1 Ecclesiast. Hist. cap. 15.*

auxilio destituti, Anglos populum Saxonicum & barbarum contra Pictos & Scotos conducere. Quæ cum fiunt, aut certè haùd multo antè, ex Britannia Gallica Conanus, qui isti regno à Duce legionis præfectus erat, missis legatis in maiorem Britanniam, vxorem sociam Regni petebat Vrsulam, filiâ Dionethi regis, & alij milites alias virgines. Putabatur enim regnum firmum & diuturnum non fore, nisi ex gente sua vxores sibi adiungerent. Dionethus apud Britones cum adhuc viueret vir magni nominis & auctoritatis erat, & à prima ætate Christiana fide vti & cæteri Britones imbutus. Vrsula filia præterquam quod & ipsa Christo seruatori nostro nomen dedisset, adeò erat pudicitiæ & virginitati dedita, vt ad nuptias istas quanquam Regias, inuita tamẽ pertraheretur. Gens verò Anglorum ad defensionem vt dictum est vocata, Insulæ fertilitate illecta, cum nisi biennio pro Britannis conctrà pictos & scotos bella gessisset, inito ad tempus cum illis fœdere, in socios Britannos arma immani audacia & ferocitate [a] vertit; prætendens sibi decreta stipendia non persolui. Ruebant, scribit [b] Beda, ædificia publica simul & priuata; passim Sacerdotes inter altaria trucidabantur; præsules cum populis sinè vllo respectu honoris ferro pariter & flammis absumebantur: nec erat qui crudeliter interemptos sepulturæ traderet. Tanta ergo clade pressi Britones, dum nouæ sponsæ abitum parant, magna hominum multitudo, tam Ecclesiasticorum, quam laicorum impendentes maiores calamitates declinaturi, sese illis adiun-

S. Vrsula petitur in vxorem à Conano præfecto Britanniæ Galliæ.

S. Vrsulæ encomium.

En execrandam Anglorum perfidiã ac impietatẽ.

a Contigisse hæc constat anno 451.

b lib. 1. Eccles. Hist. cap. 15.

adiungunt itineris comites. Ingressi mare in Armoricam tendentes, mox sæua tempestate orta classis tota dissipatur, & disijcitur; atque alijs naufragium facientibus sancta Vrsula Virgo cum vndecim millibus martyrij coronæ seruata, post longos errores & pericula tãdem Coloniam Agrippinam appulit: quam Ciuitatem tunc Hunni, gens & barbara & libidinosa, & Christiano nomini inimica, vel obsidione adhuc cingebant, vel quod verisimilius est iam occupauerant. Hunni eximia pulchritudine & venustat. fœminas contemplati, in venerem proni eos ad carnis commercium flagitare cœperunt. Cœterùm cum sancta Vrsula, non minus virtutum ac virginitatis nitore quam genere illustris, totam Societatem pijs Christianisque monitis vt potius pro Christi fide, ac pudicitia vitam amittere, quam barbarorum voluntati & libidini parere optarent, magna constantia cohortata fuisset: mox Hunni quia diu manere non licebat, immani furore perciti, Barbarica crudelitate vniuersam multitudinem contrucidârunt. Agrippinates verò cum iam hostis alio se recepisset, ciuitatem egressi sacra corpora in locis vbi occubuerant piè, vt decebat, sepeliêrunt; ac honore sanctis martyribus debito celebrauerunt, & persecuti sunt; nec non vbi quam plurima corpora recondita fuerunt, Basilicas non diu post erexerunt ædificârunt que; quarum illam, quæ SS. Virginum est in tanta veneratione semper habuerunt vt nullius mortui corpus ibidem vnquam sepeliérunt. In qua etiam Anno à nato Christo

S. Vrsula cũ socijs Coloniã appellit.

Hunni quales.

Crudeliter ab Hunnis suis necatur S. Vrsula.

Ab Agrippinatibus in Agro Coloniensi sepeliuntur.

Basilica S. Vrsulæ quãto in honore semper habita.

Eximia pietas Hermanni primi Archiepiscopi Coloniensis.

Seruatore 932. Hermannus eius nominis primus Archiepiscopus Coloniēsis collegium sacrarum virginum & Canonicorum fundauit & dotauit; atque eius successores non contemnendis bonis, ad honorem Dei omnipotentis, sanctarumque virginum cultum debitum pio zelo auxerunt & amplificârunt.

ANNOTATIONES.

Quæ dubia in Historia virginum occurrunt breuiter enumerata.

Cum multa sunt in Historia vndecim millium virginum, quæ ad maiorem veritatis cognitionem explicatione opus habēt, tum pręcipue tres quæstiones de ea iam à multis annis in dubio remanserunt: de quibus quid statuendum videatur, paucis inquirēdum venit, vt solutis istis nodis, reliqua facilius expediantur. Vna est de auctoribus, ex quibus vera virginum historia accipienda sit; altera de tempore; tertia de loco; quo scilicet tempore, & quo loco S. societas, patria sua relicta, ad martyrium pro Christi nomine, ac pudicitiæ tuitione tandem peruenerint. Auctores, qui historiam SS Vrsulæ, & sociarum contexuerunt, duplicis sunt generis. Alij enim ex maiorum, & veterum insulæ Albionis vel Britanniæ traditione ac scriptis eam repetere malunt, quam aliundè incerti quid literis mandare; Galfridus Monumetensis, Pōticus Virunnius, Polidorus Virgilius, Ioannes Trithemius, Hector Boëthius, Cæsar Baronius, & similes. Alij verò in eadem historia describenda secuti sunt visiones, & reuela-

tiones

tiones diuersas, diuersis personis, vt fertur, factas, videlicet reuelationes S. Elizabethæ, Abbatissæ Schonaugiensis, quæ vixit anno 1156. vt ipsamet profitetur; Hellentrude sanctimonialis conuentus in Heryse, quo tempore hæc vixerit, mihi adhuc non liquet: & fratris cuiusdam T. qui scripsit suas reuelationes anno 1183. vt ex præfatione eiusdem in visiones hic Coloniæ ante annos aliquot impressas est videre. Suspicor autem hunc esse Tundalum hybernum Cassellensem Carthusianum, qui hisce temporibus non tantum vixisse, sed & reuelationum suarum librum edidisse scribitur. Horum, inquam, & similium multi reuelationes diuinitus, vti dicunt, ipsis factas secuti, multò aliter ac etiam copiosius, eandem historiam, quam priores conscripserunt, vt Rogerius Cistertiensis & Richardus Præmonstratensis Anno 1190. vel circiter. Item incertus auctor Coloniæ ante complures annos excusus, & nostro tempore à Surio in Tom. 1. ex antiquo manuscripto exemplari iterum descriptus, ex quo lectiones Breuiarij Coloniensis postea desumtæ sunt. Ex ijsdem reuelationibus eadem quoque historia passim hîc Coloniæ in templis, religiosis domibus & alibi depicta conspicitur.

De tempore triplex est opinio. Vna eorum, qui historiam referunt ad annum Christi circiter 238. Altera, qui tempore Maximi tyranni à quo Gratianus Imperator interemtus est, stragem hanc accidisse putant; Tertia, qui scribunt societatem hanc tunc trucidatam, cum

Attila Hunnorum Imperator Germaniã Galliamque vastauit.

De loco similiter diuersæ opiniones inueniuntur; quarum prima refert passas esse dictas virgines ante portas Coloniæ Agrippinæ, vbi & corpora earum quiescunt, atq; ita sentiunt nõ modò qui reuelationes sectãtur, sed & plurimi Historiographi, quos infrà nominabimus; altera eorum est, qui, cùm ex Britannia soluissent, ac in Galliam iter direxissent, tempestate fuisse in oppositum maris Germanici littus eiectas, ac ibidem ab Hunnis trucidatas, atque plurima earum corpora Coloniam Agrippinam delata existimant, sic statuunt Martyrologia Romana & Cæsar Baronius. Sunt etiam qui certa literis loca designant, vt Marcus Velserus & Suffridus Petrus, quanquam hic cum suis auctoribus non tam locum Martyrij quam quo ex Britannia traiecisse arbitrabatur, indicat & demonstrat. Cum ergo in hac historia tot moueantur dubia, quæ à nullo adhuc, quod sciam, sunt resoluta; operæ prætium me facturum spero, si meam de illis exposuero sententiam, alijsque occasionem præbeam de re obscura, & quæ à nullo authore adhuc satis explicata sit, ad veritatem eruẽdam amplius cogitandi & disquirendi.

EX QVIBVS AVCTORIBVS VERA virginum historia sit petenda.

DE auctoribus hoc est iudiciũ Clarissimi viri Cæsaris Baronij, in notationibus in Martyrologiũ Romanũ: ad diẽ vigesimum

mum primum Octobris Sanctarum virginum historiam diuersimodè à diuersis auctoribus scriptam reperimus, siue à Rogerio Cistertiensi, hinc à Richardo præmonstratensi, aut ab incertis auctoribus, vt quę descripsit Mombritius tomo secundo, Petrus in Catalogo libr. 9. Cap. 87. Claudius Rota Cap. 154. Bonfinius de rebus vngaricis Decadis 1. lib. 5. aut quæ vberius recitat Surius tomo quinto. Hi quidem omnes in eandem conueniunt sententiam, Vrsulam vna cum socijs Romam peregrinationem suscepisse ac in itinere incidisse in Hunnos, ab ijsdemque sæuissimè trucidatas, idque accidisse Anno Domini 453. testatur Sigebertus in Chronica. addũt & de quodam Romano Pontifice Cyriaco nomine, qui easdem fuerit comitatus. Accidit in his quidem, vt de perdita vera Germanaque earum virginum historia, quisquis (vt libuit) siue quæ suo ingenio commẽtatus fuerit, siue quæ ab alijs leui quodam vulgi rumore acceperit, scripturæ monumentis commendarit, nõ sine magno veritatis detrimento, cum grauissimam historiam commentitiam penè reddiderint. Hæc Baronius: ex quibus manifestissimum est doctissimum virum & in Ecclesiasticis rebus diu multumq; fœlicissimè versatum, omnes illos, qui reuelationes, de quibus supra diximus in virginum historia describenda, sequuntur, repudiare: neque vllam illis fidẽ attribuere; quomodo & pleriq; alij antè ipsum, vt Melchior Canus Episcopus Canariensis lib. 11. de locis Theologicis in obiectione 13. Itẽ Crantzius in Metropoli Trithemius Abbas in epitome historiæ

Francorum & his antiquior Gobelenus quidam autor libri qui Cosmi dromium inscribitur, cuius verba paulò pòst ex Chronicis Coloniẽsibus recitabimus, nullam vel certè valdè paruam, ijsdem visionibus & reuelationibus fidẽ hactenus adhibuerint. Et ad me quod attinet, liberè & ingenuè profiteor, mihi reuelationes istas semper fuisse suspectas, nec verò sine causa; multa enim in reuelationibus istis proferuntur absurda, inter se pugnantia, & à veritate prorsus aliena. Exempli gratia: Elizabetha statim in principio suarum reuelationum narrat, virgines nostras sine honore sub pedibus hominum & iumentorum advsque aunum 1156. iacuisse, quod à vero alienum esse multis modis posteà patebit. Patrem S. Vrsulæ Maurum nominatum ait, qui dictus fuit Dionethus, ex quo nomine incertus auctor apud Surium fecit, Deo notus. Cyriacum papatum Romanum administrasse per annum integrum & vndecim hebdomadas, eidemque substitutum Anterum, eadem cõtendit, sed falsò, vt ex ecclesiastica historia infrà docebitur. Sponsum S. Vrsulæ Regem fuisse in Britannia Anglica affirmat, quem ipsa Aetherium, Frater T. Holofernem dictũ somniant. Maximino, quem Maximum ipsa appellat, & Africano Cõsulibus Virgines nostras martyrio affectas primũ affirmat, & mox sui oblita tẽpore Aquilini Archiepiscopi Colonienſ. 4. post Maternũ idẽ accidisse asseuerat. His similibusque somnijs plura alia adijcit Fr. T. quæ nunc omnia colligere non libet. Quoniã autẽ nulla nituntur veritate, vti postea intelligetur, meri-

meritò non tantùm reuelationes istas hactenus habui suspectas, sed & historiã Virginum ex ijsdem cõscriptam. Nec mouere nos debet, vt reuelationes propterea approbemus, vel quod plurimi eas hucusque magni fecerunt, adeò vt vulgò nũc vsitatum sit, Ecclesiã SS. Virginum nullo alio titulo quàm reuelationum insignire, vel quod dicta Elizabetha in numerum sanctorum relata sit, & sanctitas ei meritò fidem conciliare debeat. Nam quod multi probant, nec tamen ab vniuersis recipitur, imò à multis doctis refellitur, esse magni momenti non potest. Et cùm reuelationes non sint vnius generis, quando nonnullæ pertinent ad historiam Virginum, de quibus hic agimus, aliæ verò quibus certa virginum corpora pijs & sanctis hominibus fuerunt commonstrata, quæ & postea religiosè à diuersis Episcopis ad honestiora loca sunt translata, de quibus hoc loco nihil improbamus, à posteriori genere templũ nostrum sic appellari posse existimamus. Potest & alia esse appellationis ratio. Vulgus enim locũ Germanicè appellat Sunterniten, quæ vox cùm non immeritò videri possit, duriter à Sanctarum reuelatione esse deducta, sunt qui existimant à Vigilijs quas Christiani olim frequentius quàm nunc ad sepulchra SS. Virginum agere consueuerũt, appellationem istam esse deriuatam. Rursum sunt aliqui quibus magis placet vt à Gauillijs quibusdam, vel quod ego verius puto Gaijs Auillijs vulgò locus hoc nomen acceperit. Ratio hæc est: In templi SS. Virginum muro australi ante paucos adhuc annos antiquissimus & non parum attritus la-

pis muro insert' & inædificat' cōspiciebatur, nunc verò indè exēptus ab Illustri & generoso D. Hermanno Comite à Manderscheit asseruatur in Blanckenheim/in quo tres sunt incisæ & insculptæ facies cum nominibus, quorum imagines proferunt, ad modum sequentem.

EX hoc lapide cōiecturam facimus ante virginū cædem, familiā in lapide nominatā habuisse eodē loco suam sepulturā, & monumentū, atq; inde locū fuisse nominatū siue Gauillianum siue Auillianū (ex veterum enim Romanorū monumentis, loca non pauca fuisse denominata, manifestissimū est) cùm aūt posteà

posteà SS. Virgines eodẽ loco pro Christo fuissent trucidatæ, antiquum nomen nullo modò totũ fuisse abolitũ, & obliteratũ: sed tunc nominari cœptum ad SS. Auillianas q̃ in loco Auilliano essent conditæ, vndè cõmoda deriuatione vulgus dixerit Sunteruitten. Sed de hoc liberum esto lectori iudiciũ. Porrò nec Elizabethæ sanctitati, propterea detrahitur, si fides eiusdẽ reuelationib' in omnibus nõ adhibetur, q̃a non semper quæ sancti viderunt in spiritu, eadem vt prophetæ viderunt, sed iuxta suas mente cõceptas imaginationes. Quemadmodũ docet D. Gregorius Magnus exẽplo Natham Prophetæ, homil. 1. in Ezechiel. prophetam, & post illum Antoninus parte 3 historiæ tit. 19. cap. 11. cuius verba hæc sunt. Nec per hoc detrahitur sanctitati Elizabeth si nõ credatur. Quia & sãcti viri Prophetæ aliquando credũt a Deo sibi aliqua reuelari prophetiæ spiritu, quæ ex phãthasia sua trahunt in visionibus suis, vt patet in Natham Propheta.

Obiter hic monendum puto, Anthoninum eodem loco errare in persona Elizabethæ. Hac enim visionẽ corpus B. Mariæ Virginis die 40. circiter post assumptionem animæ, in cælum fuisse euectum, tribuit Elizabethæ filiæ regis Vngariæ, vxori Lantgrauij Thuringiæ, quæ est Elizabethæ Schonaugiẽsis, de qua nos agimus: hoc cognoui ex Ioannis Belethi, lib. de Officijs diuinis cap. 146. Ex his quæ diximus cum liquido constet veram & certam virginũ historiam ex reuelationibus sumi non posse, consequens est, vt eam ex antiquis scriptoribus & historicis petamus.

DE TEMPORE PRIMA OPINIO discussa.

PARVVS extat libellus hic Coloniæ antè annos aliquot impressus, in quo post visiones Fr. T. & passionem S. Vrsulæ incerti autoris, de qua paulò antè, tẽpus his verbis exprimitur. Item passæ sunt Anno Domini 238. Hanc tẽporis designationem auctor Chronici Coloniensis fol. 68. sequitur, atque Cyriacum Papam inter Pontianum & Anterum. Ex Elizabetha Schonaugiensi ponit. Eodem modò & Harigerus Abbas Lobbiensis in Catalogo Episcoporum Tongerensium in Metropolo, cuius verba sic habent. Metropolus filius Metropolini Ducis Lotharingiæ, ex filia regis Hungariæ factus Episcopus Tungerensis quartus, Anno Domini 221. qui in Dei seruitio iugiter perseuerans, diuersas regiones tam domesticas, quàm aduenas, sua prædicatione in fide Christi illuminabat. Huius tempore facta est sexta persecutio sub Maximino Imperatore, qui bellum contra Germanos auxilio regis Hunnorum fœliciter consummauit, qui dum Coloniam obsedisset, sanctæ Virgines Britannicæ scilicèt Vrsula Regina, cùm sodalibus suis à Roma reuertentes, & per Rhenum Coloniam descẽdentes, ab Hunnis sunt interfectæ, quarum numerus fuit vndecim millium Virginum exceptis viris, & viduis, quorum numerus fuit 30000. pontificante ibi Aquilino 4. à B. Materno, qui eos in cãpo sepeliuit. Floruit sub Apostolicis Calixto 1. Vrbano 1. Pontiano, Cyriaco & Antero. Hæc ille: At verò

Cæsar

Cæsar Baron. illam ipsam opinionem Tom.2. Annal.ad An.237.prorsus reijcit & refutat, cuius verba hæc sunt: At non audiendi penitus recentiores quidam, qui post Pontianum introducunt Cyriacum quendam Romanũ Pontificem, cuius nulla prorsus extat mentio in serie Romanorum Pontificum à Latinis descripta, vti in lib. de Romanis Pontificibus; vel apud Optatum Mileuitanum, vel Augustinum, aut Cresconium aliosve Indices Vaticanos: nec apud Græcos vt Eusebiũ, Nicephorũ, Chronographum, vel alios, adeò vt ne digna quidem sit, quę pluribus confutetur sententia, quippè quæ nulla penitus nitatur ratione vel testimonio antiquorum, ex commentitijs tantum actis illis martyrij sanctarum Vrsulæ & & sociarum quæ in nostris notationibus refutauimus. Ex ea namque historia de Cyriaco Papa qui ibi nominatur, falsa hæc opinio fluxisse videtur, sed nec illa licèt adulterina acta suffragantur, quibus sub Attila Cyriaco ille introducitur. Quod in postremis his verbis, ait Baronius, Cyriacum sub Attila introduci, id verùm esse ex reuelatione, Fr.T. liquet. Affirmat enim B. Cyriaco Papæ surrogatum in Pontificatu Hilarium, in quo rursus manifestus error. Nam B. Leo Magnus obijt 3. Idib. Aprilis, & 13. Kal. Maij eligitur S. Hilarius, quare nullus Cyriacus potest interijci, & stragem virginum ante mortẽ Leonis accidisse necesse est. Ante Baronium eodem modo hac de re statuerũt Crãzius in Metropoli, & illo antiquior Gobelenus quidã in Cosmidromio, cuiũs verba author Chronici Colonienſis, citat fol. 88.

quæ

quæ sic habent. Sed quidam, nescio quibus fabulis intenti, dicunt Cyriacum nomine & nomen illius esse deletum de Catalogo Romanorum Pontificum, propterea quod cùm 11000. Virginum ab vrbe Roma discedens papatum reliquerit Cardinalibus & Clero inuitis, & deindè apud Coloniam Agrippinam cum ijsdem virginibus martyrium pertulerit. Sed error istorum patet ex multis. Nam Hierony. petijt à Damaso Papa vt colligeret sibi nomina Romanorum Pontificum, & qui ex eis fuissent martyrio coronati diligentius annotaret. Vnde Damasus Papa collegit quēdam librum de prædictis, quem Hieronymo vltra transmarinas partes, vbi tunc idem Hierony. degit, destinauit. In quo quidem libro scripsit Pōtiano successisse Anterum, & nullum ponit in eodem libro Cyriacum, & Damasus non prætermisisset eū, maximè cum fuisset martyrio coronatus. Nec potest dici ꝙ Damasus nomen eī ignorasset, cùm vix annis 130. eum in papatu præcessisset, &c. Nec dicendū est, quod nomen eius fuerit mutatū. Quia nondum erat consuetudo mutare nomina Summorum Pontificum. Item Eusebius Cæsariensis, qui non longè post hæc tempora fuit, in Chronica sua post Pontianum ponit Anterum, & nullibi ponit aliquem nomine Cyriacū. Item quia vt legitur de 11000. Virginū, Hunni occiderunt eas, qui nondum isto tēpore egressi fuerant Mœotidas paludes, nec nomen Hunnorū adhuc cognitum erat. Itē illi qui dicūt, istum Cyriacum cū dictis Virginibus profectū, dicunt ꝙ pater B. Vrsulæ fuerit Rex Britāniæ, & pater Sponsi eius fuerit

Rex

Rex Angliæ: sed regnũ Angliæ nondũ ortum erat, nec etiã Sicilia adhuc regnũ erat, nec erat aliqua ciuitas adhuc Constantinopolis nomita, de quib⁹ omnibus prædicti fabulantes aliquos homines vel fœminas in virginũ prædictarũ comitatu fuisse asseuerant. Item finaliter non est verisimile Christianos, istis temporibus ita publicè vrbem Romanam potuisse visitasse, in tanta comitatiua, cùm necdum solitum erat eandem vrbẽ, paucas adhuc habentem ecclesias, pro indulgentijs visitari. Nec etiam aliquis Imperator fidẽ Christi adhuc susceperat, prout hæc omnia per supra & infrà scripta lucidius apparent. Sed error iste surrexit, vt dicitur de quadam fęmina nescio an inclusa vel Monacha, quæ fuit apud Schonaugiã temporibus Frederici I. circa annos Domini 1156. quæ asseruit talia, & multa alia sibi reuelationibus diuinis patefacta, cuiusmodi reuelationes assertas ego perlegi, & multis contrariantur libris Chronicis & historicis. Vnde quædam ad impugnandum seu verius ad elucidari prouocandum huiusmodi erroris caliginem collegi, quæ Coloniam examinanda destinaui, & licèt plures viri solennes & magnæ reputationis ista perlegerent; tamen solutionem eorum, quæ contra supradictas assertas reuelationes, in quantum historiam Virginum contingunt, allegaui, obtinere non valebam. In prædictis reuelationibus assertis dicit illa fœmina, quod Maximus & Africanus Consules scripserunt ad quendam Iulium cognatum suum, tunc principem Hunnorum, vt vndecim millia Virginum morti tra-

traderet, quando ad partes Germaniæ veniret. Sed si consules isti habuerunt potestatem virgines illas perimere, tunc illas eo tẽpore Romæ occidissent, eò quod tunc feruebat persecutio Christianorũ in vrbe, ita quòd Anterus Papa occisus est, vt dicit Damasus Papa, nec fuit cognita gens Hunnorum in Germania vel in Italia. Hæc ex Cosmidronio, ex quibus satis constare arbitror, & quanto in errore versentur, qui statuunt anno 238. passas Virgines nostras, & simul quàm parum momenti sit ponẽdum in reuelationibus de historia earundem virginum, & si eius libri auctor fuit Gobelinus Alemannus Carmelita, qui vixisse scribitur Anno 1305. non nostro seculo tantũ, sed à multo tempore reuelationes istas in dubium fuisse reuocatas. Non dubito aliquos mihi obiecturos autoritatem Iuris Canonici & Pontificij, cuius apud oẽs magna debet esse auctoritas. In eo enim Sexti lib. 1. Titul. de renunciatione in glossa videri reuelationes nostras approbari, cùm ex ijs exemplum Cyriaci ad docendum Papam renunciare posse papatui adducitur. Glossa sic habet: Datur autem certum exemplum de Cyriaco Papa, de quo legitur, quod cum Vrsula & vndecim millibus Virginum martyrizatus est. Scribitur enim de ipso, quod sibi quondam reuelatum est, quod esset cùm illis virginibus palmam martyrij recepturus. Tunc congregatis Clero & Cardinalibus omnibus inuitis & præcipuè Cardinalibus coram ipsis renunciauit dignitati & officio. Sed iste Cyriacus in Catalogo Romanorum Pontificũ non denominatur, quia creditũ fuit per Cardina-

dinales quod non propter deuotionem, ſed propter oblectamenta virginum Papatum dimiſiſſet: Gloſſem à hoc nullius eſt momenti, vtpotè quod neque in antiquioribus exemplaribus inuenitur, neque ab auctore ipſo, ſed alio quodam per parenteſin cognoſcitur intextum, & merito hodie tanquam nothum in emendatis auctoritate ſedis Apoſtolicæ libris ſublatum eſſe reperitur.

DE TEMPORE SECVNDA OPINIO *examinata.*

SVFFICIANT iſta de prima opinione, accedamus iam ad ſecundam, videamuſq; an Maximi Tyranni tempore hæc cædes ab Hunnis ſit patrata. Hoc enim affirmat lib. 5. extremo antiquus Btitanniæ Gallicæ ſcriptor, qui hiſtoriam Brittonum inde ab excidio Troiano aduſque annum circiter 700. à nato Chriſto patria lingua conſcripſit, quã poſtea in Latinum ſermonem conuertit Galfredus Monumetenſis Epiſcopus Eluicẽſis, ſeu ad S. Aſaphũ. Eundem ſequũtur Polydorus Virgil. lib. 3. Hiſtoriæ Anglicæ. Ponticus Virunnius lib. 5. Hiſtoriæ Britannicæ. Ioãnes Trithemius in Compendio Hiſtoriæ Francorum ad an. 387. Cæſar Baronius in Notationibus in Martyrologiũ ad diem 21. Octob. & Tom. 4. Annal. ad an. 383. & Ioannes Balæus hæreticus lib. de ſcriptoribus Britãnicis Centuria 1. Singulorũ verba huc referre nõ arbitror eſſe neceſſarium, quod & hoc prolixum foret, & auctores iſti nunc in manib⁹ omnium ſtudioſorum reperiantur. Videamus ergò de re ipſa. Varijs aũt rationibus demon-

ſtrari poteſt hanc opinionem ſubſiſtere non poſſe. Principio qd ex antiquo ſcriptore Trithemius, Baronius & reliqui auctores, repetunt Maximum ex Britannia traieciſſe in eam Galliæ regionem, quam Armoricam dicunt, & ibi conſtituiſſe nouum Britanniæ regnum, id veritati non eſſe conſonum ex hiſtoricis liquido conſtat. Præter alios enim Zoſimus lib. 4. Hiſtoriæ ſcribit, Maximum ſimulatque à militibus Imperator fuiſſet appellatus, ac purpura & diademate cinctus, confeſtim cum exercitu trãſmiſſo Oceano nõ in Armoricam, ſed ad oſtia Rheni appuliſſe, & Imperiũ in tota Gallia & vicinis regionib⁹ fauore exercitus occupaſſe, ac Victorem filium Cæſaris dignitate ornatum apud tranſalpinas gẽtes reliquiſſe, cũ poſt Gratianum interemtum Valentinianum perſecuturus, in Italiã Aquileiam vſq; copias duceret. Idemque narrat Maximo poſtea interfecto cum filio Victore Theodoſiũ Valentiniano vniuerſum Imperium reſtituiſſe. Ex qua hiſtoria manifeſtũ fit, Maximum nullũ poſt ſe regnũ Britanniæ in Gallia relinquere potuiſſe, cui Conanum S. Vrſulæ ſpõſum præfecerit. Deindè ſi placet ex Gallicæ hiſtoriæ ſcriptoribus initium regni Britanniæ in Gallia inueſtigare, nullo negotio intelligamus poſt Maximi tempora regnũ illud exortũ eſſe. Paulus. v. Aemylius accuratus rerũ Francicarum ſcriptor, li. 1. ſuæ hiſtoriæ ad tempora Regis Francorum Merouei eius regni initiũ refert, qui vt ſcribit in Galliam cũ exercitu Francorum venit an. 3. à Chriſto nato, & Aëtio fœdere iũctus cõtra Attilam poſteà exercitũ duxit. Hoc videtur animaduer-

maduertisse Marc° Velserus, quãdo ad hęc verba Baronij in Notationibus: Cũ Maximus proximas Gallias inuasisset & vicinos Armoricos sedibus expulisset, vacuã prouinciam, vberes glebas Britãnicis militibus nouæ Coloniæ tribuit ac diuisit, vnde & eidẽ prouinciæ comparatum est nomen, vt minor Britãnia diceretur, hanc glossam adijcit, meam fidẽ hic non interposuerim. Si ergò primum constitutum fuit illud regnũ tẽpore Nerouei, quis non videt nullo modo ad isti° Maximi tẽpora, de quo loquimur, historiam S. Vrsulæ referri posse? Sed hac de re iterum dicetur. Quin etiã qui res gestas, in Albione & tempore & personis accuratius distinguunt, idq; ex veteribus insulæ scriptoribus, potius meo iudicio fidem merentur, quã incertus iste auctor Britannicus, quem Galfredus cõuertit. Quales sunt Hector Boethius, Ioannes Lesłæus & Georgius Buchananus, qui omnes magno consensu testificantur Dionethũ patrẽ S. Vrsulæ nõ tempore Maximi Tyrãni vixisse, sed multis annis post, quando alius quidã Dux Romanus, quem illi Maximianum vocãt, cum Legione missus fuerat in Britanniã cõtra Pictos & Scotos, eo scilicet tempore cùm gubernaret Imperiũ Valentinianus 3. Et verò nõ pauca in Historijs præsertim sanctorum, ex illa nominum Maximini, Maximiani & Maximi similitudine esse confusa, & docti fatentur & res ipsa indicat, vt mirum non sit, quod & in hanc virginum historiam ex eadem nominum similitudine huiusmodi error irrepserit. Quæ nunc de hac opinione diximus, meo iudicio satis demonstrant neque superiorem,

neque etiam hanc de tempore opinionem subsistere posse, quare transeo ad tertiam.

DE TEMPORE TERTIA OPINIO comprobata.

ASSERTORES opinionis tertiæ sunt Sigebertus in chronicis ad annũ 453. Otho Frisingens. lib. 4. c. 28. Gotfridus Viterbiensis parte 16. Chronici ad tempora Martiani & Valentiniani, VVernerus Rolevvinck Carthusianus in fasciculo temporum ad annũ 434. Sabellicus in Martiano 8. Enneadis lib. 2. Anthonius Bonfinius de rebus Vngaricis lib. 5. Carolus Sigonius lib. 23. de Occidentali Imperio, & quos paulò antè nominaui Hector Boëthius & Ioãnes Lesleus, qui oẽs, etsi in Chronologia nõ idem sentiũt, tamen in eo cõsentiunt vniuersi, ad tempora Attilę historiam nostram esse referendam, quam opinionẽ & ego approbandã esse censeo, motus partim rationibus in proxima opinione adductis, partim quia à pluribus historicis celebratur, partim etiã q̃ tam scriptores quã tẽpora ipsa hoc modo optimè conciliari queunt. Nam si expendamus quæ de initio Britanniæ Gallicæ Francicos scriptores tradere diximus, facilè intelligemus, tempus quod annotãt superiores auctores, ipsum esse, quo Virgines nostræ pro Christo sanguinem suum fuderũt. Accedit quod ætate iunior fuit Dionethus Rex, quã Maximus Tyrannus. Cùm enim Maximus vniuersam Scotorũ gentem ex Albione eiecisset atq; exulare coẽgisset, Pictis domitis ac Romanæ Reip. subiectis, constat sanè ex Scotię scriptoribus Scotos duce Fergusio eius

eius nominis secũdo Rege nõ nisi 27. annis minimum interiectis redijsse in Insulam, & Dionethũ Regem, cui postq̃ redijssent Fergusij soror nupserat, ex eoq; Vrsulam nostrã procrearat, cum Fergusio affine anno 16. post reditum contra Romanos pro libertate patriæ bellum gessisse, cùm iã Maximus tyrannus longè antè fuisset è medio sublatus, & alius quidam dux Romanus, quẽ Insulæ scriptores, vt supra dixi, Maximianum etiã appellant, cum Legione vna ab AEtio istuc missus res Romanas in Insula administraret. Porrò nec probari ex vllo authẽtico scriptore posse existimo, Hunnos Germaniam Galliamq; ad depopulãdum vllo alio tempore intrasse, quam sub duce eorum Attila & nõ modò à vero alienũ videatur, quod scribit Lindanus Episcopus in Notationibus Baronij, Hunnos apud Coloniã egisse Gratiano Augusto cõtra Maximum tyrannum militaturos: verùm etiam quod ipse Baronius ex veteri historico, cuius iam sæpè mentionem fecimus, narrat, Melgam Pictorum & Gaunum Hunnorum piratas in littore Germanico constitisse, ibiq; virgines interemptas, merito suspectum habeatur. Equidem de Pictis perspicuum esse reor, illos iam tum regnum suũ in ipsa Albione constitutũ & firmatum habuisse, nõ in Germania adhuc Britanniam infestaturos hæsisse. Et cùm Zosimus auctor sit Maximum ex Britãnia traiecisse ac venisse ad ostia Rheni, atque Carol. Sigon. addat, ibidem ab ijs, qui in eis stationibus versabantur, militibus fuisse acceptũ, verisimile non est, istic Gratianum præsidium aliquod ex Pictis & Hũnis collocasse. Et

quamuis inficias nequaquã eo, Gratianum externa auxilia ab Alanis & Hunnis quæsiuisse, tamen Hunnos in Germaniam tunc transgressos & ad Oceanum vsque ex probatis historicis confirmari ac demonstrari posse vix credidero. Sigebertus.n. qui eorundẽ meminit, narrat illos post Maximi discessum in ipsamet Insula Britannos diuexasse, & per Gratianũ ducẽ à Maximo in Albionem missum, inde in Hyberniam profligatos, vt nulla ratione dici possit, eos in littore Germanico collocatos ad exagitandam Britãniam. Beda quoq; lib.1. Historiæ Anglicanæ cap 12. etsi Pictos & Scotos vocat gentes trãsmarinas, nõ prętermittit tamen, quomodo hoc accipi debeat, explicare his verbis: Trãsmarinas aũt dicimus has gentes, nõ q̃ extra Britãniam essent positæ, sed quia à parte Britonum erant remotæ duobus finibus maris interiacentibus, quorum vnus ab Oriẽtali mari, alter ab Occidentali Britannię terras longè lateque irrumpit, quamuis ad se inuicem pertingere nõ possint. Hæc ille: Nec his contrariũ quod S. Ambrosius ad Valentinianum refert, & Baronius citat, quando aliud nil affirmat, quàm Valẽtinianum Hũnos atque Alanos appropinquãtes Galliæ per Alemaniæ terras reflexisse, hoc est, ad suam redire iussisse. Quin & ipse Baronius agnoscit tom.4. Annaliũ ex eodem Ambrosio Hunnos nõ tam cõtra Maximũ, quam cõtra Iuthungos Rhetias populãtes fuisse accitos. Postremò diligenter perueſtiganti historiam Britannicam, qualis illa à Gilda sapiente descripta est, & à venerabili Beda breuissimè lib.1. Anglicæ historiæ paucis capitib.

repe-

repetita, facillimè occurret ratio, vnde liquido constare existimabit, nõ nisi hoc tempore, quo Attilæ furorẽ & rabiem sensit Germania & Gallia, virginum cædem accidere potuisse. Quanquam enim aliquoties Britanniam omni armato milite spoliatam per tyrannos Romanum Imperium occupantes profiteantur, tamen nullius transmigrationis populi Britãnici præsertim tã memorabilis, qualis hæc fuit, de qua scribit antiquus auctor, quod septuaginta & vnum, Hector Boethius aũt lib. -. centum millia hominum traijcere coacti sint, meminerunt, quam quæ facta est post ingressum Anglorum in Britanniam. Quando igitur Beda scribit anno 449. Anglos & Saxones in Britãniam irrupisse, & negari nequeat, eodẽ tempore Attilam Hunnum Germaniam Galliamque populatum fuisse, ex hac ipsa tempore cõfessione satis apparet virginum stragem non alio, sed hoc ipso tempore patratam. Atque hæc dicta sint de tempore, nũc porrò etiam agemus de loco.

QVO LOCO SACRATISSIMAE virgines sint passæ.

DE loco duæ sunt, vt suprà dixi, opiniones: vna eorũ qui tradunt in maris Germanici littore passas, & pleraq; earum corpora Coloniã vsq; delata & condita: altera omniũ ferè historicorum, qui de 11000. millibus virginũ aliquid litteris mandarunt, quos etsi non oẽs proximo capite enumeraui, quibus etiam assentiuntur, qui visiones & reuelationes sequũtur. Hic nũc adijcio VVandelbertum,

tum, qui ante 640. annos circiter in Martyrologio suo hæc scripta reliquit.

Tunc numerosa simul Rheni per littora fulgent.
Christo virgineis erecta trophæa manipli,
Agrippinæ vrbi, quarum furor impius olim
Millia mactauit ductricibus inclyta sanctis.

Historici ergo in eo conueniunt, nõ alio loco quàm in agro Coloniensi Virgines gloriosam & beatam pro Christo mortem oppetijsse, ad quem consensum magis confirmandum magnam meritò vim & momentum habere debet, perpetua & summè consentiens populi & totius Ecclesiæ Coloniensis traditio, quæ inde vsque à prima passionis tempore ad nos dimanauit ac deducta fuit, quam suis testificationibus non parum exornant Archiepiscopi eiusdem Ecclesiæ nostræ. Quod enim ad vnum omnes à tempore passionis earum loci, vbi passæ sunt, Incolæ profitentur, præsertim præsules, quin hoc ità sit, nemo sanæ mentis, credo, negauerit. Populi aũt hic consensus inde maximè elucet, quod tota Ecclesia Coloniensis in cãtu de his virginibus sine vllius vnquam hominis contradictione sequẽtibus antiphonis eas cõmendare & Deũ laudare consueuit. In Choro Sanctorũ iugiter diuinæ laudis resonat iubilatio, vbi laudatur Deus Deorũ in Syon, alleluia.

Inter quos vndena virginum milia, sequentes agnum sine macula, laudant illum gaudentes cœlesti laude per sæcula, alleluia.

Quæ diuino nutu à partibus occidentis exhibitæ pro Christi nomine hic fudêre cruorem, quia nunquam in persecutione potuerũt ab eius diuelli confessione. Benedicamus ergo

Deum

Deum cælorum cum omni creatura, qui tam pretioso locum istum decorauit martyrio.

O beata virginum corpora, quæ Christi confessione prostrata solo iacent hic sepulta, quarum animæ æterna cum illo regnant in victoria, quas cæli regio cum angelis regnaturas accepit.

Has Antiphonas cum reliquis omnibus, nec non Responsorijs in Matutino officio cantari solitis, arbitror ab Ecclesia Coloniensi vniuersa frequentatas, antequam vllæ reuelationes fuissent diuulgatæ, ex quibus nihil prorsus illis est insertum. Nam si post visiones fuissent introductæ, sine dubio ex ijs quoque fuissent desumptæ, vt in cantu aliorum Sanctorũ fieri consueuit.

Archipræsulum verò attestationes non minus sunt perspicuæ. Et principio, vt proximè ad tempus passionis accedam, placet quædam huc referre ex Commentario quodam doctissimi viri Ortvvini Gratij de initio & progressu Ecclesiæ SS. Machabæorum, qui extat manuscript⁹ adhuc apud Sanctimoniales eiusdẽ Ecclesiæ, vbi post narratã virginũ cędem hęc habentur. Hinc post annos aliquot, salutis videlicet quadringentesimum tertiumque & sexagesimum aut circiter, Solinus Archiepiscopus Coloniensis, quem alias Aquilinum vocatum legimus, vt sacris his locis munitionem aliquam faceret, sanctisque virginibus reuerentiam maiorem, sicuti in Archiuis huius vrbis reperimus notatum, vetustis istis tunc mœnibus noua quædã à loco vbi nunc est Xenodochium, quod nostri Wipperwatt vocant, adijciẽs,

ſtatuenſq; portã quæ vulgo Würffel porß appellatur, ea loca vbi nunc beatæ Vrſulæ extat Baſilica, & eam Grenisbergenſis ſiue Vrſulani agri regionem muro circumcinxit, & intra vrbem contraxit, eamque tanto amplioré reddidit, nec non oſſa Sanctorũ quoad potuit è terra veteribus eruens locellis, lapideis iterũ recondit mauſoleis, & ædiculã iſtam tunc Magdalenæam in loco veſtro ipſe extruxit ampliorem. Fuère quoq; his temporibus qui Baſilicã iſtam D. Vrſulæ ſacrã à vobis occidentem verſus exſtruerent, vt abundè affatimque tam ſacris pignoribus per vicina copia fieret venerationis, atque à pluribus tam exteris quam à noſtris condecorarentur. Hæc ille.

Solini tertium ſucceſſorem S. Cunibertum nõ minus virgines noſtras hic Coloniẹ coluiſſe, ex vita eius fit manifeſtum, quam recitat Surius tomo 6. Quadam die, inquit, dum ſingulare redemptionis noſtræ myſterium, & ſolum infirmitatis noſtræ remedium, plenus Deo, ſuper menſam Dominicam in Baſilica SS. Virginum immolaret, adſtans Clerus & populus vidit cõlumbam ſplendidiſſimam primum hic & illlac per omnem Eccleſiam circumuolitãdo vagari, deindè Pontificis inſidere capiti, mox indè reuerſam & iuxta tumulum cuiuſdã virginis ſtupentibus ſimul & mirantibus vniuerſis, qui aderãt, ab omnium oculis elapſam. Alius quidã incertus auctor eandẹ hiſtoriã deſcripſit, quæ in antiquo quodam libro Eccleſiæ Collegiatẹ S. Cuniberti reperitur, hic apertiſ iſta explicans, annua ſolennitate factũ cõmemorat, & præmittit Coloniã martyrũ ſanguine pro

ne pro Christi nomine fuso, scilicet trecentorum decem & octo mediante Gereone cum socijs suis & vndenũ millium virginum coruscare. Visitur etiamnũ altare in Ecclesia SS. virginum in quo sanctus Episcopus sacrificasse memoratur, Cunibertũ compluribus annis interiectis, secutus Hermãnus eius nominis primus Archiepiscopus Colonensis fundauit Collegiũ S. Vrsulæ, & in ipsa fundatione non agnoscit aliũ certaminis locum quã agrũ Coloniensem. Sic enim habet fundatio. Qui loca sacra rationabiliter gubernat, eisq; famulãtibus stipẽdia augmentãdo deliberat, remunerationẽ in futuro sibi præparat: Ideoq; in nomine sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis; Ego Hermãnus sãctæ Coloniensis Ecclesiæ diuina opitulãte clementia Archiepiscopus, omnibus sanctæ matris Ecclesię filijs ac filiabus presentibus & futuris scilicet notũ fieri volo. Quia exusto per Vngaricam tyrannidem Monasterio in loco Gerrißheim nũcupato in honorẽ sancti saluatoris & sanctæ Mariæ sanctiq; Hypoliti Martyris constructo, cunctisque & ipsius Venerabilis Abbatissæ Lancsuindæ omniumq; honorabilium sororum diuinitus vtique sibi subiectarum habitaculis specialibus sibi profecto, & communibus pari modo flammiuomis consumptis incẽdijs, mancipijs interfectis & captiuatis atque in exilium ductis, omnibusque quæ habuêre direptis. Ipsa etiam prænominata Deo deuota Abbatissa vnà cum sanctimonialibus sibi vnanimiter adhęrẽtibus sororib⁹ ex improuiso & subitaneo Vngarorũ impetu mortis periculum formidãdo Coloniensis ci-

uitatis

uitatis confugia adeuntibus, nullumque per omnia in præfato loco castellũ, vel aliud quodcunque tutamentum habentibus, vt in Dei omnipotentis famulatu, veluti propitia diuinitate in primis cœperunt, permanere mererentur per amicorum probabilium interuentum Monasterium sanctarum Virginum, extra muros Coloniæ erectum, ad laudationem Dei & sanctę Marię ac ipsarũ vndecim milium virginum, sibi à nostra concedi mediocritate deuotè poposcerant, ea pro certa ratione, quo se cũ sibi subiectis omnibus sub patrocinium ac defensionem primitus Christi Domini ac almi patroni nostri Petri, nec non & sub alas pastoris eiusdem sanctæ Coloniensis Ecclesiæ, cum ipsius præfati martyris reliquijs submittendo, quicquid prædij vel hæreditatis, siue ex traditione Gerrici bonæ memoriæ viri, vel quicquid post eius obitum ab alijs religiosis viris siue fœminis traditum fuisset, sine diminutione totum & ad integrum ad Altare S. Petri infra Coloniã honorificè in principali loco fundatum, spontanea contraderent voluntate susceptura. Item è contra per huiusmodi traditionem, quicquid bonorum traditione virorum seu honestarum mulierum ad Ecclesiam sanctarum tradebatur virginum, & sic perpetualiter Domino largiente in eodem sub regulari constitutione degendo loco, vtrumque suis vsibus deputatum, sine vlla possiderent contradictione, minimè tamen ea intentione, quo illud Monasterium in memorato loco constructum, vbi anteà diuinis inuigilabãt laudibus, sine cura omninò relinqueretur: sed aliquatenus

nus illic prout cõgruum visum fuerit, relictis sororibus cũ presbytero, Missarum solemnia, & omnem Canonicum cursum, cum aliarum frequentia supplicationũ quotidiè explerent. Quæ audientes, earumque calamitatibus ex animo compatientes, sanctum quoq; locum vbi tot preciosarum Christi corpora quiescunt summopere procurare nitentes, consultu fidelium nostrorum tam Clericorum idoneorum, quam etiam Laicorum nobilium, iuxta earum petitionem & nostrorum suggestionem vota suscepimus, & martyris Christi Hypoliti reliquias super altare almi Petri ponentes, in conspectu totius circumstantis populi eius se humiliter subdidêre Dominio, omnia ipsorũ vsibus cõmuniter deputata Evvervviniaduocati sui manu in medio posita secundum subscriptam submittentes sententiam, tali itidem tenore. Quatenus eadem Lanchunid quæ instanti præest Abbatissa tempore, omnibus vitæ suæ diebus sine alicuius obiurationis impulsu prę-fixo vtatur priuilegio, postque ipsius, cũ Dominus voluerit, decessum liberum omnimodis electionis suæ habituræ arbitrium, inter se illam quæ optima, & in sanctimonialibus vitæ proposito deuotissima tunc temporis inuenta fuerit, cum consensu atque consilio reuerendi Antistitis, quicunque illis temporibus iam dictæ præesse sacræ videbitur sedi, ab infantia secum multam ac regularem atq; monasterialis vitæ norma benè instructam, ex nobili progenie ortam in Abbatissæ sibi præferre honore. Nec vllus vnquam successorum nostrorum aliquam cuiuslibet famulationis in eisdem ancil-

ancillis Dei, potestatem sibimet vẽdicare præsumet, nisi tantum paterno affectu sanctarum precũ exercitia. Nec suæ cognationis vel familiaritatis Abbatissam, cõtra earũ voluntatẽ eius prępositionẽ attentet, sed ipsarum electio atq; petitio cum adiutorio primi pastoris, sanctissimi Petri Apostolorum Principis, firma in omnibus munitaque permaneat. Hoc loco interijciuntur bona & curtes Monasterio assignata, & illis enumeratis pergit in fundatione his verbis. Hęc omnia & superius comprehensa cum omnibus ad hæc iure pertinentibus domibus, ædificijs, siluis, cãpis, pascuis, aquis aquarũue decursib⁹, ingressibus & exitibus, cũctisq; appendicijs, omnia & ex omnibus totũ & ad integrũ de iure nostro, in i⁹ & dominationẽ præfatæ Ecclesiæ, & sanctimonialibus sororibus ibidẽ Deo sanctisq; virginibus ritè famulãtibus tradimus atque transfundimus ea, pro certa conditione, quatenus illic perpetualiter in diuinis laudibus pro animæ nostræ remedio omniumque supra nominatorũ virorum vel fœminarum augmenta capiendo proficiãt. Si quis verò quod fieri minimè credimus, si nos ipsi, quod absit, aut vllus successorum nostrorum, seu quælibet alia opposita vel extranea persona, qui contra hanc donationis chartam venire tentauerit, & eam infregerit, aut immutare voluerit, primo irã Dei omnipotentis ac sanctæ Mariæ atque earundem sanctarũ vndecim miliũ virginũ incurrat, & à liminibus ipsius sancti loci excõmunicat⁹ appareat, & insuper veniat super eum lepra Naaman & sic marcescat in radice, vt nõ florescat in pal-

in palmite, & si aliquid exindè repetit nullo vnquam tempore euindicare præualeat, & adhuc pro totius rei firmitate inferat eum constringente socio fisco, iuxta legum decreta auri libras quinque, & argenti pondera viginti, ne factum nostrum irrumpere valeat, sed præsens traditionis charta omni tempore firma stabilisque permaneat, cum stipulatione subnixa. Actum publicè Colonia ciuitate regnantibus Christianissimis regibus Carolo & Henrico, Indictione 10 3. Idus Augusti in Dei nomine feliciter. Fuit annus 922. quo Hungari Germaniam vastarunt iudicio Sigeberti, Hermanni proximus successor VVichfridus anno 927. 4. Kal. August. Henrici Regis anno 9. Indictione 15. in literis quibus vniuit Ecclesiam S. Mariæ virginis Ecclesiæ S. Vrsulæ, & alia quædam contulit illustre quoque nostræ sententiæ perhibet testimonium hoc pacto scribens.

In nomine, sanctæ & indiuiduæ Trinitatis VVichfridus diuina opitulante clementia Coloniensis ciuitatis Archiepiscopus. Nouerit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium præsentium & futurorum industria, quatenus nos diuina inspiratione admoniti, venerabilibus sororibus quæ in Ecclesia sanctarum virginum die noctuque fideliter deseruiunt, aliquid ex nostro ad earum refectionem addere curauimus. Nobis namque inquirentibus cōpertum est, illas in quotidiano victus sui alimento magnū habuisse dispendium. Nō enim ignoramus quod ad peragendum diuinum officium tanto minus desudabant, quanto maiorem cibi penuriā sustinuerunt, & quod ab illis

vnum

vnum nõ exigetur, si alterum subtrahitur. Vt de iuxta consensum communeque consilium nostrorum fidelium tam Clericorum quã Laicorum, propter amorem Domini saluatoris, propterque reuerentiam vndecim miliũ Virginum inibi requiescentium, nec non propter nostri recordationem, concessimus eis habendam ad augmentationem illarum præbendæ, Ecclesiam sanctæ Mariæ proximè statutã, &c. Hæc VVichfridus, eiusdem sententiæ fuisse reliquos omnes, qui Ecclesiæ SS. Virginum aliquid contulerunt, vt VVarinum, Piligrinum, Hermanum 2. Sigvvinum, Brunonem 2. Philippum, Engelbertum 1. Conradum, Henricũ 2. ex eorũ vel donationibus vel attestationibus facilè demonstrari posset, nisi hæc de traditione perpetua totius Ecclesiæ Coloniensis sufficere arbitraremur. Porrò hoc prætermittendũ nulla ratione videtur, veteres totum tractum ilum in quo virgines cæsæ fuerant, & corpora earum sparsim sepulta, vocare solitos agrum Vrsulanum. Extat hac de re diploma Philippi Archiepiscopi Coloniensis, quod subijciendũ putaui.

In nomine sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis. Philippus Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesię Archiepiscopus, vniuersitati fidelium tã præsentium quam futurorum. Notum facinus omnibus Christi fidelibus, quod Capellam in memoriam sanctarum virginum in loco qui dicitur. S. Vrsulæ ager in Colonia constructã cum omnibus pertinentijs suis sanctimonialibus ordinis B. Benedicti in eadem Deo & sanctis virginibus in perpetuum seruitutis, de cõmuni

muni fratrum S. Cuniberti assensu, intra quorum terminos ipsa Capella sita esse dignoscitur, præsentibus etiam Coloniensis Ecclesiæ prioribus, pro reuerentia sanctarum virginum, nec non & pro consideratione religionis & honestatis sanctimonialiũ, earundem quiete & pacificè perpetuis temporibus concessimus possidendam, statuentes vt nulli omnino hominũ liceat eã ipsis auferre, diminuere seu ex inde eas quomodolibet temere perturbare, ex auctoritate S. Petri & nostra bannum, & damnationẽ omnibus denunciantes, qui aduersus huius facti veritatem aliquam iniustitiæ vel violentiæ audaciam tentarint inferre. Ad immortalem igitur huius rei memoriã præsentem paginam sigilli nostri impressione fecimus cõmuniri. Facta sunt hęc anno Dominicę incarnationis 1178. Indictione quinta. Prętereà inde quoque manifestum esse arbitramur Virgines Coloniæ passas, quod omnes reliquiæ ex hac societate, quocunq; locorum in vniuerso orbe Christiano translatæ sunt, nõ aliundè quam ex agro & locis sacris Coloniensibus petitas cognoscimus. De S. Odilia hæc Molanus in Indiculo Sanctorum Belgij: S. Odilia virgo de numero vndecim millium, dixit in visione Ioanni de Eppa cõuerso Parisijs in Conuẽtu fratrũ S. Crucis. Surge frater, Coloniæ iuxta S. Gereonis Ecclesiã, in viridario Arnulphi inuenies ossa mea sub piro in marmoreo sarcophago, quæ in primariũ S. Crucis cœnobium iuxta oppidum Huyense, volo transferri. Conuersus à Priore Coloniã missus cũ thesaurum cælestẽ inuenisset, Sifredo Archiepiscopo nunciauit, qui Corpus Odilię eleuauit & in capsulam ligneam reuerenter reposuit. Deindè prædictus conuersus capsam cum literis gestorum clam à Colonia digrediens Huyum trãstulit

ad Ecclesiam Fratrum sanctæ Crucis. In ipsa autem translatione & in loco suæ translationis crebris miraculis coruscauit. Dies trãslationis celebratur decima octaua Iulij. Hæc de Odilia Molanus. De sancta Cordula per Albertum magnum ex horto Ioannitarum S. Cordulæ Fratrũ Hospitalis S. Ioannis Coloniensis ad eorum Ecclesiam, item de Constantia & pluribus alijs quæ lõgum foret huc inferre idem doceri potest, si opus sit. Nunc hoc tantum dico, si non Coloniæ sed in loco alio passæ essent etiam indè inuenirentur reliquiæ aliquando translatæ, & de tali loco alibi constaret. Non enim est verisimile agrum Coloniensem, quo tantum virginum corpora fuissent deportata, tãta martyrio fuisse nobilitatum, & non locum ipsum passionis. Cum ergo de nullo alio loco constet, quã agro Coloniẽsi & absurdũ meritò habeatur per viginti sex, aut plura etiam miliaria ex Rheni ostijs Coloniam vsque tantã multitudinẽ trãsferri potuisse, profectò cõfiteri cogimur nullum alium passionis locum constitui posse, quam qui hactenus fuit celebratus, nẽpè agrum Coloniensem. Huc etiam pertinet, quod cum tam frequenter reliquiarũ nostrarum translationes fieri amplissimus Senatus Coloniẽsis obseruaret, ne noster locus totus exinaniretur, singulari indulto & priuilegio à se de Apostolica impetrato, inhibuerit ante complures annos, ne in posterum quisquam eas facere præsumeret. Denique demonstrari idem potest ex itinere quod sacram Societatem post tempestatis pericula confecisse certo cõstare videtur. Ex Italia enim egressas primum venisse Eichseliam Comitatus Rinfeldici pagũ & ibidẽ ex eis tres defunctas scilicet Cunigundã, VVibrandem ac Mechtildem, inde Basileam & ibi vnam nem-

nempe Christianam, hinc Argentinam, & istic similiter vnam videlicet Aureliam occubuisse, cōpertum habemus ex Epitome Historiæ Basileensis cap: 6. Christiani Vrstisij, cuius hæc sunt verba: Ferunt denique de grege isto (vndecim milium virginum) itineris difficultate multas absumtas esse, è quibus virgines tres, Cunigundam, VVibrandem atque Mechtildem Eicseliæ comitatus Rincfeldici pago tumulatas, apud Rauracos obijsse volunt, Christianam Basileæ, atque Aureliam Argentinæ. Idem testis est, videri adhuc edito montis iugo vltra Rhenum dominij Basileensis sacellum Christianæ dedicatum, & hos de sepulchro eius Sebastiani Brant Argentinensis versus ibidem recitat.

Posteaquam meritis plena est tua vita probatis,
Christiana, ô Christi sponsa decora nimis.
Huc vel ab extremis sociis comitata Britannis,
Te Basilæa rapit, nunc locus ille tenet.
Vrsula te portum Rheni subitura reliquit,
Martyrium petijt sancta virago suum.
Hanc iaculo Gothi manus impia morte peremit,
Vulnere non tactam te pia fata vocant.
Præripuit quia non morbus te diua puella,
Martyr es ergò animo, dignaque aureola.
Indomitæ iugo pro te subiêre iuuencæ.
Ad montis donec te iuga pertulerant.
Non locus alter erat tanta te virgine dignus,
Quam locus hic heremi, quam loca lecta tibi.
Alta fuit sponso coniunctaque mens tibi Christo,
Alta igitur montis saxa sepulta tenes.
Virginis instar habes, Arabum quam collis inumbrat:
Monte super Synai quæ Catharina cubat.
Quam nec Alexandri dignum seruarier vrbe:

Sic neque digna quidem te Basilæa fuit.
Scilicet assimilem Deum ex hoc virginitatem,
Indicio monstrans, illius atque tuam.
Vnaque sed mensam, thalamos vel adire Deorum,
O securamini, ô nimium quæ potens.
Millia quæ comitum fuerant vndena tuarum,
Iam tibi colludunt gramine in Elyseo.
More puellarum legitisque hyacinthina serta,
Cum que croco nardum, liliaque & violas.
Iam pater omnipotens nectar tibi dulce ministrat,
Et simul Ambrosiam grata alimenta Deûm.
Iamque agnum comitaris eum, quem candida vestit
Palla, suo spersa sanguine purpureo.
Vt vitæ fueras, sic nominis æmula Christi,
Hic quoque cum sponso, sponsa beata cubas.

Hæc ex Sebastiano Brant Vrstisius, qui in eodem capite etiam cum B. Renano lib. 3. rerum germanicarum narrat commonstrari adhuc gradus à Martiniano templo nomen habentes, per quos societas cliuum conscenderit, similiter domum in antiquissimo vrbis vico statuam S. Vrsulæ præse ferentem, quæ omnia non sinunt nos de profectione virginum ex Italia Coloniam vsque ambigere. Quod ad Aureliam attinet, ei quoque templum extra muros ciuitatis Argentinensis ædificatum facilè ex lectionibus Breuiarij istius Ecclesiæ intelligimus, ac festum eius celebrari consuetum Idibus Octobris sexto die ante festum B. Vrsulæ & Sociarum, videre est in tabulis eiusdem Ecclesiæ. Vnde consequitur sanctam societatem nauibus Argentina Coloniam vsque delatas, vbi ab Hunnis interemtæ fuerunt. Quod enim vltra non venerint ex historia S. Cuneræ patet, quam breuiter Molanus in Indiculo suo Sanctorum Belgij his verbis est complexus: S. Cunera quiescit in oppido Rhenensi, quod

est territorij Traiectensis. Ipsa de numero vndecim millium virginum legitur superstes fuisse: sed postmodum per reginam Rheni, eiusque pedissequam stranguilat manutergio, qp in Rhenensi Ecclesia est cõseruatũ. Eã multis miraculis gloriosã Rhenẽses per VVillebrordũ transferri peruerũt. Quod præmissis fide dignorum testimonijs cum gaudio perfecit, die duodecimo Iunij: Natalis verò eius notatur in Martyrologio Vltraiectensi in die Simonis & Iudæ, qui dies est septimus à festo S. Vrsulæ. Hactenus ea in medium adduximus, ex quibus verũ passionis locum demonstrari posse arbitrati sumus, restat tũc vt alteram opinionem quæ nostra est contraria examinemus & quoad fieri potest, refellamus ac refutemus.

De loco secunda opinio refutata.

ALteram de loco passionis opinione diximus eorum esse, qui tradunt non Coloniæ Agrippinæ passas virgines, sed alibi potius, & pleraque earum corpora Coloniam fuisse delata & cõdita. Sic enim Martyrologium Romanũ Lugduni impressum. Apud Coloniam Agrippinam natalis SS. Vrsulę & sociarum eius, quæ pro virginitatis constantia ab Hunnis interfectæ martyrio vitam consummauerunt, & plurima earum corpora Coloniam delata fuerunt. Venetijs cum Notationibus Baronij editum hoc modo. Apud Coloniam Agrippinam natalis SS. Vrsulæ & sociarum eius, quæ pro Christiana religione & virginitatis constantia ab Hunnis interfectæ martyrio vitam consummarunt, & plurima earum corpora coloniæ condita fuerunt. Statuit ergò Martyrologium Virgines Coloniæ non, sed alicubi martyrio affectas, nec

tamen certum aliquem locum nominat. Cæterum Baronius quod in Martyrologio prætermissum est, supplet & certum locum designat, nempè Germanici maris littus, in Notationibus his verbis: Londini itaque cunctis coactis, inuitæ licet, patrium solum charosque suos relinquentes imponuntur nauigijs, dumque regionem Armoricorum cogitant nautæ; mox sæua procella naues impulit in Germanicum littus, vbi dum essent, Melga Pictorum & Guanius Hunnorum piratæ, qui comparata classe icto fœdere cum Gratiano Imperatore aduersus Maximum, vt vel hac arte eum à cœptis deturbarent, cum ad infestandam Britanniam tenderent, in has ad littus iactatas virginum naues incidentes; sic in Britannas virgines vt in hostes grassati sunt, vt vim inferendi illarum pudicitiæ consilium caperent. Quæ omnes hortatu Vrsulæ, mortem durissimam potius oppetere ac gladijs obtruncari Christiana constantia decreuerunt, quam ignominiosum quid pati. Cumque ea persisterent animi firmitate, mox illorum libidine in barbaricum furorem mutata, cum alio properarent, ne longiori mora distinerentur, singulas crudelissimè trucidarunt. Et paucis interiectis pergit. Sparsa in finitimis regionibus fama de gloriosa virginum nece, quod vitæ potius, quam pudicitiæ dispendium pati sustinuissent, à vicinorum locorum accolis sacra cadauera cum honore sunt sublata, atque Coloniam Agrippinam delata, debito sanctis martyribus cultu clebrata sunt. Quin & tom. quarto Annalium ad annum 383. cum Marco Velsero Augustano adhuc magis expressè eundem locum indicat his verbis: Disseruimus de his in nostris Notis ad Ro-

ad Romanum Martyrologium, Lindaniqúe Episcopi Gandauensis viri eruditione clarissimi adstipulationem adiecimus, quibus accedant, quæ vir nobilis & cum primis disertus Marcus Velserus in fragmentis itinerariæ antiquæ tabulæ summa peritia illustratis haud pridem edidit, vbi agit de prætorio Agrippinæ ad mare sito, cuius sententiæ antiquorum monumentorum fide certa testatæ, haud inuiti subscribimus. Tu velim ipsum consulas. Insuper verba Velseri hæc sunt: Adhoc prætorium Agrippinæ quod in scheda inuenitur, vbi Rhenus influit in mare, reuocanda est cædes virginum Britannicarum, quam ab Hunnis Coloniæ Agrippinæ patratam fama ex nominis errore orta proditum. Hæc illi. In alia opinione esse inuenitur doctissimus vir Suffridus Petrus lib. 1. de Frisiorum origine cap. 9. vt ex his eius verbis intelligimus. Hæc autem ciuitas Frongetst/ temporis successu in celeberrimum emporium excreuit. Eam Romani posteaquam Patauiam & Frisiam istam inuasissent ob vicinitatem nominis, quam cũ Italiæ, ciuitate Verona habebat, etiam Veronam appellarunt. Quæ nominis similitudo eos decepit, qui historiam vndecim millium virginum conscripserunt, qui cum audissent eas ex Britannia soluentes, vi tempestatum Veronam appulsas, & Veronam nõ aliam nossent, quam istam Italicã, absurdũ rati quod referebatur, pro Verona Bonnam supposuerunt, hoc est, historiam verã inscitia sua suspectã reddiderunt. Ad hanc enim Frisiæ Veronam eas appulisse nec absurdũ nec incredibile erat, cũ ex Britannia in hunc portum facilis traiectus esset. Hactenus ille. Si hæc ita habent, vti referuntur, vel saltem alterutrum verũ existit, corruit sanè quic-

quid de loco martyrij nos paulò antè constituimus. Quare vt nostram sententiam veram probemus, hæc ipsa sunt refutanda. Equidem non magnoperè laboro de Martyrologio, quod si sano intelligatur sensu, nihil alienum à veritate infert. Nam totus ille ager ab Ecclesia S. Gereonis ad Rhenum vsque, in quo campo passim corpora è terra eruta habentur, cum Ecclesijs in eo ædificatis adusque annum 1180 extra ciuitatem Coloniensem extitit, & quæcunque reliquiæ Societatis in ipsa ciuitate reperiebantur extrinsecus illatæ fuerunt. Etsi enim Solinus vt supra diximus agrum Vrsulanum ad reuerétiam Virginum vallo fossaque muniuisse fertur, Philippus tamen Archiepiscopus dicto anno ciuitatem multò ampliorem, quam eo vsque fuerat, reddens nouis mœnibus non tantum agrum Vrsulanum, sed & multa alia pia loca & Ecclesias ambientibus cingere cœpit, vt tradunt Chronica Colonienſ. fol. 76.

Porrò nec obest nobis opinio Suffridi Petri, quippe qui neque de loco martyrij quicquam narrat, & manifestissimum errorem continet, Nusquam enim in historia virginum alicuius Veronæ fit mentio, neque à quoquam Bonna vnquam fuit supposita, sed fit hoc in historia SS. Thæbeorum & Maurorum præsertim Cassij, Florentij Malhusij & sociorum, in qua aliud oppidum præter Bonnam Veronæ substitui nequiuit. Cuius auctor ipse à me monitus auctorem nominauit, quem fuisset secutus, errorem non defendit. Sumpsit autem hanc narrationem ex Batauia Hadriani Iunij, vbi ista leguntur: Indicauit mihi per Epistolam inter alia multa Nicolaus Vorstius vir non postremæ eruditionis Lugdunianæ scholæ moderator, se à gra-

uis

uis auctoritatis viro Iurecõsulto Coloniensi accepisse, in historia qua vndenum Virginum millium profectio è Britannia Insula pertexitur narrari illas nauibus impositas & fœda tempestate iactatas Veronam appulisse, id quod de hac nostrate Verona probabiliter dicitur, quod istud emporium vicinũ fuerit alueo fluenti illius quod Canefaciũ terga claudebat è Rheno productum, & præterlabens Crabbedamum in mare decurrebat, ostenditurque etiamnũ apud Veronẽses campos alueus decliuiore solo, vbi ostiũ & aditus portus fuerit è mari appellentibus nauibus. De qua cum ne per somnium quidem triuiale istud Concionatorum genus quicquam inaudisset, fidesque historiæ transalpinam illam respueret, pro Verona Bonnam nugatoriè ne dicam falso interpretatur, præter rationem omnẽ: Hæc ille satis petulanter. Quæ enim est ratio nostros Concionatores verbis tam procacibus & cõtumeliosis proscindendi in historia, quam ipsemet ignorauit, & in qua quicunque Iureconsultus fuit, quem sequitur, erratum suum agnoscere debet? Sed & ad Baronij ac Velseri dicta facilis est responsio. Quis enim id vnquam probet, quod nullius grauis auctoris iudicio contra omnem antiquitatem, contra publica monumenta affertur? At sequitur Baronius veteris historici auctoritatem, qui hoc affirmat. Scio Baronium ex Episcopo Asaphensi contexere in Notis suis historiam Virginum, in qua verba, quæ paulò antè recitaui, inueniuntur. An autem verba antiqui auctoris verè expresserit, vel eiꝰ etiã interpretis Asaphensis, rectè cognoscemus, si verba ipsa paulò diligentius discusserimus. Verba Asaphensis sic habent lib. 5. istius historiæ cap. 16. Parato autem nauigio ingrediuntur mulieres naues, &

per Thamesim fluuium maria petunt, postremò cũ vela versus Armoricos diuertissent, contrarij venti in classem insurrexerunt, & in breui totam societatem dissipant, periclitabãtur ergò naues intra maria in maiore parte submersę sunt, quæ verò totum periculum euaserũt, appulsę in barbaras insulas, & ab ignota gente siue trucidatæ siue mãcipatæ. Inciderãt siquidem in nefandũ exercitũ Guanij & Melgæ, qui iussu Gratia nationes maritimorũ & Germaniæ dira clade opprimebant. Erat autem Guanius Rex Hunnorum, Melga verò Pictorum quos adsciuerat sibi Gratianus, miseratque in Germaniã, vt eos qui Maximiano fauerant, inquietarent. Per maritima ergo sæuientes obuiauerunt prædictis puellis in partes illas appulsis. Inspicientes igitur earum pulchritudinem lassiuire cum eis voluerũt, sed cum abnegauissent puellæ in eas Ambranes irruerunt, maximamque partem sine pietate trucidauerunt. Hæc auctor iste, ex quibus nullum arbitror certum locum haberi posse, in quo Virgines nostræ cæsæ dicantur. Propalam enim dicit appulsas fuisse in barbaras insulas, & ab ignota gente trucidatas, & quanquam hanc ignotam gentem mox nominat, scilicet exercitum Guanij Hũnorum ducis & Melgæ Pictorum: tamen nusquam nominat vel insulas vel locum Germaniæ, vbi in manus eorum inciderint virgines, de quibus etiam certò affirmare non audet, an cæsæ, vel an mancipatæ fuerint. Nec obstat quòd à Gratiano in Germaniam missos dicat Hunnos & Pictos, quando apertis verbis adijcit, factum hoc vt maritimas nationes simul & Germaniam istis in locis ad vires Maximi frangendas, infestas tenerent. Vt ergo auctor ille in dubio relinquit, si societas illa interemta sit: ita

& hoc, quo loco, an alibi in barbara aliqua insula, vel in maritima aliqua natione, vel an in Germania perierit nusquam definit. Quare Virgines in littore Germanico occisione perijsse ex illo auctore euinci meo quidem iudicio non potest, & errat Baronius id affirmans, errat Velserus certiorem adhuc locum ostendens. Insuper & hoc ex superioribus repetendum arbitror, hanc ipsam historiam de Guanio & Melga incertam esse, & à nostra historia prorsus alienam. Addo & illud: In ambitu ciuitatis Coloniensis præter Metropolitanam Ecclesiam numerari decem Ecclesias collegiatas, sexdecim monasteria virorum, triginta sanctimonialium, nouemdecim Parochiales, & quam plurima alia sacella, item oratoria virorum ac mulierum. Et cum tot sint templa & fana in hac ciuitate, omnia tamen reliquijs & ossibus SS. Virginum, hic & non alibi è terra erutis ita sunt referta, vt mirum sit inueniri, qui putent, tot olim corpora ad milliaria nostra Germanica viginti sex aut plura fuisse ex loco passionis Coloniam vsque transiata, vt sepulturæ traderentur. Quid, quod nec alibi extat aliquod vestigium tantæ cladis, præterquàm Coloniæ Agrippinæ, & nemo veterum alterius alicuius loci meminit, vt iam ante etiã diximus. Denique hoc quoque vt obseruetur dignum iudico, corpora defunctorum ex vna regione in aliam nunquã transferri solita, nisi vt honestiori loco reponerentur ad maiorem eorundem honorem, quod hic factum dici non potest, cum non in ipsam ciuitatem, sed in agrum extra situm, terræ mandata fuerint. Iccirco tandem concludimus, virgines nostras in agro Coloniensi martyrio fuisse affectas.

ANNO.

ANNOTATIONES AD SVPERIOREM HISTORIAM.

PRINCIPIBVS] de Tyrannis Rempub. circa hæc tempora inuadentibus & prodentibus Orosius libr.7.cap.34. 40. & 42. Paulus Diaconus primis aliquot libris ad Eutropium additis, fusius autè Carolus Sigonius in libris de Occidentali imperio 8. extremo, 9. 10. & aliquot sequentibus. Porrò de Britannicis Tyrannis agunt Gildas Sapiens & venerabilis Beda, ille in Epistola cap.10. hic ca. 9. & aliquot sequentibus lib.1. Ecclesiasticæ Historiæ Anglorum.

Barbaris vndiq;] Barbaræ gentes Romanum Imperium depopulantes non sunt ignotæ, scilicet Gothi, Vandali, Alani, Sueui, Burgundiones, Heruli, Franci, Hunni, Longobardi, & similes, de quibus apud eosdem auctores in libris citatis inuenitur.

Multis pijs ac Christianis] Constat Romanos vocasse omnes illos barbaros, qui ipsorum imperio non parebant, inter quos erant Picti quoque & Scoti. Cæterum cùm manifestũ sit has gentes Christianam fidem amplexas, antequam cùm nonnullis Britannis confœderatæ libertatem in Britannia restituere conarentur, nec volui nec potui illas sub barbarorum nomine comprehendere, secutus ea in re Saluianum Episcopum Massiliensem, qui lib.4. & 5. de vero iudicio Dei, duo genera barbarorum tantum agnoscit, Paganorum scilicet & Hæreticorum, ac multis modis docet, Romanos tam paganis quam hæreticis illo tempore multo fuisse peiores & deteriores vt illi potius barbari, quam hi dicendi sint & nominandi, quod lib. 5. vbi de acerbissimis

mis & iniquissimis Romanorum exactionibus gravissimè disserit, inter alia his verbis affirmat. Vastantur pauperes, viduæ gemunt, orphani proculcantur in tantum vt multi eorum, & non obscuris natalibus editi, & liberaliter instituti, ad hostes fugiant, ne persecutionis publicæ afflictione moriãtur, quærentes scilicet apud Barbaros Romanã humanitatem, quia apud Romanos barbarã inhumanitatem ferre non possunt: Hæc ille.

Britanni quoque à Pictis] de Scotis & Pictis Britanniam persequentibus, & de Romanis eandem fortiter defendentibus Gildas in Epistola de excidio Britanniæ à ca. 11. Beda Ecclesiasticæ Historiæ gentis Anglorum lib. 1. cap. 12. Ioãnes Lestæus lib 3. & 4. Georgius Buchenanus lib. 5. copiosissimè autem Hector Boëthius lib. 6. 7. & 8.

Legio quæ à Romanis missa.] Hanc legionem ab Aëtio ex Gallia missam, & eius ducem Maximianũ nominatum Insulæ historici auctores sunt, vti testantur quos citaui scriptores Scotię, quibus potius fidem adhibendam existimo, quã exteris. Quia verò antiquus auctor Britanniæ Gallicæ lib. 5. extremo testatur Maximianum Romæ interfectum: suspicari quis posset, fuisse Petronium Maximum, qui interempto Valentiniano Imperium inuasit, & ad paucos menses tenuit.

In Armoricam Galliæ regionem.] Britanniæ Gallicæ regnum tempore Mereuæi Regis Francorum constitui cœptum, ex historia AEmylij suprà diximus, sed certum annorum tempus, quo Armorici ex patria sua videantur expulsi, & profligati nondum inuestigauimus, quod nũc faciemus. Principio extitisse illud an. 461. ex subscriptione Episcoporum, qui Turonibus cõuenêre, hoc eodẽ anno con-

constare videtur. Nam mansuetus Britannorum Episcopus huic Conuentui interfuit, & subscripsit, & deinceps Britannorum super Ligerim motum, regnique eorũdem, cùm ex Sidonio, qui hisce temporibus vixit, tum ex alijs in historia à Sigonio fit mentio, videlicet an. 469. & 470. Deinde illud quoque perspicuum est, Armoricas ciuitates sese in libertatem vindicasse Magistratibus Romanis expulsis, & Repub. pro arbitrio constituta, atque in eadem rebellione obdurasse vsque ad legationem à S. Germano Antisiodorensi episcopo pro ipsis ad Valentinianum Imperatorem susceptam, ex Tomo 5. Baronij ad an. 435. & historia Sigonij lib. 10. ad an. 409. lib. 12. ad an. 437. & lib. 13. ad an. 448. Nam Armoricos, cùm vires suas prorsus attritas viderẽt, nec amplius Aëtio & exercitui ad coercẽdam pertinaciam ac rebellionem eorum missio resistere possent, per Germanum primo ad exercitum, dein ad Aëtium & tandem ad Valentinianum ipsum allegatum pacem petiuisse, & facile eam impetrare potuisse, nisi noua rebellione iustam principis iracundiam excitassent, nominati auctores ex vita S. Germani, à Constantio illo tempore conscriptam tradunt. Porrò hanc S. Germani legationem Baronius refert ad annum eundem 435. Sigonius verò lib. 13. ad an. 448. Sed huius Chronologia cum errore esse coniuncta hac in re videtur. Ex literis enim Britannorũ ad Aetium datis, quas referunt Gildas & Beda manifestũ fit Maximianum qui Armoricos subegit ante annũ 446. quo idem Aetius tertiũ fuit Consul ex Britãnia in Galliam traiecisse. Frustra enim auxilium tunc Britones ab Aetio petiuerunt. Quoniam ergo Cõstantius, qui vatam S. Germani istis tẽporibus, vt dixi, descripsit, auctor est li. 2. c. 18

breui

breui post illam legationem & mortem S.Germani Armoricos pœnas perfidæ temeritatis exsoluisse, necesse est, vt dicamus post annum 435.& ante annũ 446.initium regni Britãniæ Gallicæ constituendũ. Medio enim tempore optima dabatur ditionem occupandi occasio, quod & Armoricæ res prorsus essent afflictę,& Franci vi maxima in Galliam irruerent, Romanisque omnem rebellionis coercendæ occasionem præscinderent.

Coacti sunt Brittones.] Hæc facta esse anno 449. Beda auctor est lib.1.Ecclesiasticæ historiæ cap. 15. qui fidem meretur.

Qui isti regno à Duce Legionis.] Narrantur ista à Galfredo lib.5.extremo, cuius verba suprà retulimus, & Hectore Boethio lib.7. Historiæ Scoticæ. Verba eius ex scriptoribus Insulæ, vt existimo, desumpta, non enim auctores nominat, hæc sunt: Secuto verò in Cambriam(Maximianus)ducit, Dionethi motus, quem Britones ad Hybernicum mare incolentes regem vocabant, reprimendi consilio. Cumque ad id exequendum faceret delectum per Britanniam accepit amicorum literis Africam à Romano imperio opera Bonifacij cuiusdam tyrannidem occupantis, àlienatam. Duces Valentiniani Augusti Mauortium & Gallionem Romanis cùm copijs in ea prouincia cæsos, Francos Germaniæ populum Rhenum transgressos, multò ferocius quàm vnquam antea Galliam inuasisse, Aurelianum & Parasinum occupasse agros, fixisseque ibi sedes, rege sibi ex gente creato. Apparere propediẽ totam Galliam Romanorum ducum tyrannidem, indies magis fastidientem alienatam imperio in Francorũ nomen fidemq; concessurã. Maximianus tot in orbe tyrannides in Romanum nomen fatis

aduer-

aduersis intelligens, & ipse tyrannidem occupare, vt dudum cogitauerat, decreuit. Et ne quid ei imperij initio officeret, Britanniam pacatiorem reddere curauit. Ergò vt Britanniæ regnum sibi primũ stabiliret, Dionethi filiam maiorem natu (geminã enim ille fœminini sexus prolem, virilis nullam, ex Fergusij sorore susceperat Othiliã & Vrsulam) ad quam ius regni attinere credebatur, cunctis Britonum maioribus probãtibus matrimonio sibi deuinxit. Vrsulam vt ei perpetua virginitate spẽ partus adimeret, sacrarum virginum collegio addixit. Honorificum enim erat apud Britannos Virgines summo loco natas Deo Opt. Maxi. ministras capi, nefarium autem initiatas ad matrimonium anhelare. Effecit ea affinitas Dionethum Regem, simul cum tota Cambrorum Icenarumque gente, quæ in Romanos rebellionem fecerãt, Maximiano charissimum. Vnde permissa est Dionetho secundum Maximianum Tegatum summa in Britannia administratio. Nonnullis interiectis pergit idem auctor. Porrò Maximianus, ne Armorica suis armis deuicta atque veteri exhausta habitatore, vicinis Gallis prẽda fieret, è Britãnia viros accersit, qui prouinciam incolerent, cultamq; ab hostiũ tutarẽtur iniuria. Sunt qui scribant centum millia incolarum è Britannia Maximiani iussu in Armoricam traiecisse, quibus postquam sedes ibi fixerant, Maximianus Conanum nobilem Britannum, Dionethique necessarium Regem præfecit, prouinciamque Britanniam à nouis incolis dixit, sicque Armorici simul nomen ad patriam amisêre. Ipse à Burgundis accitus ad belli summam contra Aẽtium gerendum cũ illis Romanis militibus, qui secum è Britannia in Galliam transmiserant concessit. Conanus Rex maio-

maiorum nouæ gentis consilio ne regnum recenter conditũ, intra vnius hominis ætatẽ interiret. (nulla enim spes prolis sine vxoribus esse potuit) ex Britannia, vnde fuerant profecti, fœminas quæsiuit. Missi Legati ad negocium conficiendum apud Britanniæ maiores (Dionethus enim Rex medijs his rebus fato erat sublatus) obtinuere, vt Britonũ qui Armoricæ incolendæ causa ad Maximianum transmiserant, filiæ, sorores, vxores neptesque cum vrsula Dionethi regis filia, quam Conanus ad connubium petiuit, in Galliam traijcerent. Vrsula Christi tum sacerdos singularem ob pietatẽ omnibus venerabilis cænobio, vbi perpetuæ virginitati vltro addicta sacris ministerijs insistebat, extracta, vi nauim cõscendere est coacta, ne Dionethi Regis propago deficeret. Nam Othilia Maximiani conjũx altera Dionethi filia absq; libris dudũ fatis concesserat) vt viro matrimonio copularetur. Secutus traiectus, etsi Britonibus parũ acceptus Vrsulæ tamen & permultis, quæ cũ ea vehebãtur virginibus gratus. Enimuerò aduerso flatu cũ in Armoricã tenderent, in Rheni ostia non sine vitæ discrimine omnes, qui in ea classe erãt, sunt compulsi. Vbi fœminæ in continentem expositæ, quoniam maris sæuitiã perferre nequiuissent in Armoricam terrestri itinere profecturæ, seu Romã (vt alij scribunt, Vrsula videlicet cum multis virginibus sodalibus suis cõnubia illa religionis causa auersante, & propterea profectionem in Armoricam deuitante) ab Hunnis mox Galliam, Attila duce terribili assultu infestaturis, apud Coloniam Agrippinam pudicitiã tueri conatæ, fœlices Christi sponsæ ad vnã sunt omnes interfectæ. Effecta est harũ tam sanctarum virginum (sed post annos plusculos) fama tam celebris per orbem ad

posteritatem, vt in earum memoriam Christiani sacra solennibus ceremonijs quotannis peragãt. Hactenus Boëthius, quę idcirco fusius huc referre placuit, quod quæ adhuc in historia Virginum consequũtur, ex ijs nõ parũ illustrẽtur & clariora euadãt.

Dionethus apud Britones] Dionethum de genere regio Octauio patre nec non Octauio natũ tradit Boëthius lib. 6. & 7. historiæ suæ.

Vti & cæteri Britones] Britones inter primos populos Christianam fidẽ suscepisse ad annũ Christi 103. docet Baronius tom. 2. annalium, & in Martyrologio ad diem 26. Maij. Idem tradit Iacobus Pamelius in annotatione 43. in lib. Tertulliani, aduersus Iudæos. Citant præter Tertullianum, Gildam sapientem & Bedam, quorum ille hoc asserit in Epistola sua cap. 6. hic lib. 1. Historiæ cap. 4.

Vrsulæ filia præterquam] Hæc non tantum Boëthius narrat, vt supra vidimus sed & addit B. Vrsulã fuisse sanctimonialem & Deo virginitatẽ perpetuã vouisse. Ioannes Balæus Hæreticus in Catalogo Scriptorum Britannicorum, etsi magna impudẽtia B. Vrsulæ historiam mendacijs suis aspergit; diffiteri tamen non audet Christiani Principis Dionethi fuisse filiam, liberaliter bonis artibus institutã, & laudabilis pudicitiæ fœminam.

Gens Anglorũ] Beda lib. 1. cap. 15. Ecclesiasticę historiæ. Quoniam verò auctor est an. 449. Anglos in Britãniã ingressos, & ex Boëthij lib. 8. colligi potest, nõ nisi duobus annis Saxones pro Britãnis cõtra Pictos & Scotos bella gessisse, cõsequẽs est Britannos an. 4510. vel circiter perpessos Saxonũ hãc tyrãnidẽ. Tãta ergò clade pressi Britones) Qui de virginũ Britãnicarũ cæde literis aliquid mãdarũt, vnã tantũ ex Britãnia in Galliã traiectã causã referũt, videlicet, vt nup-

vt nuptui collocarẽtur militibus. Cæterũ, quia ego supra ostẽdi, eo ipso tẽpore, quo hæc traiectio facta est, Britannos in maximas à gẽte Anglorũ siue Saxonũ redactos angustias: & simul obseruo nõ virgines modò verùm & Infantes, Matres, Viros, inter quos Ecclesiastici quoq; aliquot, iuxta traditionẽ Ecclesiæ Coloniẽsis, extiterũt & corpora ipsa ostendunt, taansfretasse, hanc alteram causam adijciendam eo magis putaui, quod nec Gildas sapiens, nec sanctus Beda vllius emigrationis populi Britannici meminerunt, quam quæ facta est ad declinandam Anglorum tyrannidem & barbaram immanitatem.

Ingressi mare] Affirmant omnes quos vidi scriptores.

Tandẽ Coloniam Agrippinam] Ex italia venisse virgines clarè supra demonstratum est, sed qua via in Italiã venerint tam facilè doceri nõ potest. itaq; quidam dicunt, Societatem cũ in ostia Rheni tempestate coniecta fuisset. Hortatu S. Vrsulæ peregrinationem Romam vsq; religionis ergò instituisse, & sic ex Italia Coloniã redijsse. Sed hoc Beato Rhenano multisq; alijs ex eo improbatur, quod credibile vix sit, Frãcos, Alemannos aliosq; barbaros populos passuros fuisse, vt aduerso Rheno opera equorũ vsa tanta turba Basileam nauigaret cum barbari in ripam Gallicam semper oculos intentos haberent prędę gratia. His & ego assentior Intelligo enim ex ijs, qui Romæ aliquãdiu vixerũt, nullũ ibi reperiri monumentũ, nullũ vestigiũ, vti Basileæ, tantam hominum multitudinẽ illo tempore BB. Apostolorũ liminibus visitatis Romæ vota sua soluisse. Quare si augurari cõiectura liceat, hoc malim affirmare, naues vento & tẽpestate agitatas & propulsas in mare vsq; mediterraneum, vnde egressæ virgines, vel in

patriam redituræ, vel in Armoricam profecturę, ad Rhenum pedestri itinere sese receperunt.

Quam ciuitatem tunc Hunni.] Ante pugnam Catalaunicam Virgines cæsas, auctores sunt Boéthius supra citatus & Sigonius lib. 13. ad an. 451. qui etiam tradit Coloniam tunc ab Hunnis occupatam ac deletam, sed cũ natalis SS. Virginum ex perpetua Ecclesiæ Coloniensis obseruatione ac traditione celebretur 21. Octobris, & ex ipso historiæ Hunnicæ ordine, quem Sigonius tenet, cognoscatur ante illũ diem & mensem Coloniã ab Hunnis occupatã & eversam, verius esse puto vt dicamus, vel post pugnã ad Tolosam factã cũ Attila se reciperet per Germaniã in Scythiã ab ipsomet, vel certè ab ijs militibus qui Coloniæ in præsidijs collocati & relicti fuerãt, interea dũ pugna commiteretur & Attila adhuc in Gallia hæreret, sanctũ exercitũ nostrum martyrio fuisse coronatum. Nã hoc ordine historiã describit Sigonius ad an. vt dixi 451. Attilam sæuiente adhuc hyeme cũ exercitu castra mouẽtẽ ad Rhenũ peruenisse, illoq; traiecto primũ occurrẽtia oppida, præcipuè Tũgros Coloniamq; deleuisse, inde in Belgicam primam digressum, Metas pridiè Paschatis occupatas diripuisse simul atq; succendisse, & sic tandem in Belgicam secundam, Senoniam, & reliquas Galliæ regiones infestũ irrupisse. Insuper quod cũ quibusdã alijs Sigonius affirmat, Coloniã ab Hunnis deletã, hoc & Saluianus fortassis innuit, cũ lib. 6. de vero iudicio Dei, Agrippinã hostibus fuisse plenã asserit, & in Epist. 1. religiosis quibusdã Adolescentẽ Agrippinatem, qui cum suis fuisset à Barbaris captũ, instituendum commendans, narrat, eiusdem matrẽ Agrippina manssisse, tanta inopia & egestate pressam, vt nec residendi, nec abeundi facultas supp-

petijs-

petijsset, nihilque fuisset, quod vel ad victum vel ad fugam opitulari potuisset, adeò vt mercenario opere victum quærere & vxoribus Barbarorum locatitias manus subdere coacta fuisset.

Hunni gens & barbara & libidinosa.] Impudicos fuisse Hunnos testimonio suo comprobat Saluianus, de vero Dei iudicio lib. 4. his verbis. Gens Saxonum fera est, Francorum infidelis, Gepidarum inhumana & Hunnorum impudica.

Hunni eximia pulchritudine.] Hæc auctoritate veterum historicorum vtriusque Britanniæ, ex quibus Galfredus, Boethius alijque repetunt, confirmantur.

Agrippinates verò.] Virgines non vno in loco sepulturæ traditas, sed diuersis, ex superioribus facilè intelligi poterit, & res ipsa etiamnum satis demonstrat. Longè plurima corpora recondita fuerunt in loco, vbi Ecclesia SS. Virginũ extructa conspicitur, non pauca etiam in Basilica, quæ nunc Machabæis sacra habetur. Quædam in horto Hospitalis S. Ioannis, & alijs in locis, vt suprà obseruauimus de SS. Odilia, Cordula & alijs. Basilicas nõ diu post.] Templa SS. Virginum & Machabæorum antiquissima, & haud diu post passionem earum ædificata fuisse, inde constat, quod in illo sacrum fecit S. Cunibertus, & hoc Conuentui S. Clementis à se fundato proprium dicauit, vt partim ex vita S. Cuniberti, partim ex diplomate Philippi Archiepiscopi suprà descripto, patet, & pluribus adhuc documentis ex Archiuo Ecclesiæ tunc S. Clementis, nunc verò S. Cuniberti si opus sit, demonstrari potest. Floruit autem S. Cunibertus an. 627. vt scribit Sigebertus in Chronicis.

Quarum illam quæ SS. Virginum est.] Reue-

rendissimus Lindanus Ruremundensis Episcopus ad notas Baronij inter alia docens locum, vbi nunc visitur S. Vrsulæ Collegium, fuisse certaminis arenam, narrat, templi aream nullum suscipere sepeliendum, imò pueros recens baptizatos de nocte in superficiem reijcere visendos, quod mihi quoque primum Coloniam studiorum causa venienti inde persuasum fuit, quia paruũ mausoleum supra terram eleuatum & paruis columnellis innixum ibi cernitur, in quo corpus cuiusdam contineri è terra iterum eiectum ab imperitis ferebatur. Sed anilem fabulam esse postea didici. Reconditæ enim in illo habentur reliquiæ cuiusdam virginis ex Societate, quam S. Viuentiam nostrates denominant, & cuius commemorationem celebrant 17. die mensis Martij, vti, tabulæ festorum & memoriarum eiusdem Ecclesiæ indicant. Et iure quis miretur, cur in illo templo terra magis corpora Christianorum, si fortè ibi sepeliantur, euomat, quam in Ecclesia SS. Machabæorum, in qua indies adhuc Christiani sepultura traduntur, cum tamen magno numero quoque ex Societate nostrarũ Virginũ corpora ibidẽ sepultura inueniantur, ac inde ab initio passionis colantur. Vt aũt in Ecclesia SS. Virginum nullius corpus terræ mandetur, statuto cautum est, quod in antiquissimo eiusdem Ecclesiæ libro his verbis scriptũ inuenimus. Diuinis flammeis visionibus frequenter admonitus, & virtute magnæ maiestatis martyrij cælestium virginum imminentium, ex partibus Orientis exhibitus, pro voto Clematius, huc de proprio in loco suo hanc Basilicam voto, quod debebat à fundamentis restituit. Si quis autem super tantam maiestatem huius basilicæ, vbi sanctæ virgines pro nomine Christi sanguinem suum fuderunt,

nũt, corpus alicui' depoſuerit exceptis virginibus, ſciat ſe ſempiternis tartari ignib. puniendũ. Quod in principio huius ſtatuti narratur de Clematio, idem his verſibus in eodem libro exprimitur.

Chriſte quem Dominum cæli regemque Deumq;
Crux iubet agnoſci mortem qui vicit acerbam,
Martyrioq; ſuo reparauit ſecula cunctis.
Hic vbi virgineum fudit manus impia ſanguem,
Angli ſeu Chriſti caſto inter ſomnia iuſſu.
Clematius fuſo poſuit pro ſanguine templum,
Et Diodora ſimul cara & gratiſſima coniunx,
In tantum meritum cæleſtia facta reſurgunt.

In quâ etiam, anno.] Quæ deinceps in hiſtoria ſequuntur ex fundationibus ſupra deſcriptis ſumpta ſunt, quæ huc referendæ erunt, ne opus ſit pluribus hoc loco repetere. Hactenus ergò rudi hoc ſcripto de vndenum millium virginum hiſtoria breuiter ea poſuimus, quæ veritati eſſent conſentanea, perſuaſum habemus, attamen ſi aliam quis mente opinionem comprehendit, apertè profitemur nos huic nihil voluiſſe præiudicati afferre, imò vt quiſq; in ſuo ſenſu abundet, per nos licet, hoc tantum rogamus, ſi contrà nos aliquã opinionem concepit, preſertim de loco martyrij, quam veritas ipſa extorquet, eo nomine nullam virginibus litem moueat, neque ſancta corpora ex agro Coloniensi in maris abyſſum contrà omnem antiquitatem deportet & immergat. Vt enim in alijs omnibus liberum beneuolo Lectori, iudiciũ concedimus: ita de loco martyrij nulla ratione diſputationem ex incertis & dubijs ad SS. Virginum contumeliam instituẽdam exiſtimamus. Denique & hoc vehementer petimus, & in primis à Doctis viris Regni Galliæ contendimus. Quandoquidem à fide dignis accepimus in

Bri-

Britannia Gallica non longè à ciuitate Nannete, in sacello perantiquo, nobilis cuiusdam domus Tremar nuncupatæ, conseruari librum manuscriptum complectentem virginum historiam, sed aliam quam quæ vulgò habetur, vt omnes & singuli quod aut obseruarunt hactenus, aut obseruarunt hactenus, aut obseruaturi sunt deinceps quod nos latuit, benignè nobiscum communicent, ad Virginum historiam illustrandam, mercedem, intercedente sancta Societate à Deo recepturi, cui honor & gloria, nunc & in omne æuum: Amen.

FINIS TOMI QVARTI.

Annumerat Bibliothecæ F. Capucinorum Paderbornæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN